

VETVSTISSIMARVM PRIMI MVNDI ANTIQVITATVM

Earumq. Vestigia in Scriptis Ethnici &c

SECTIONES, SEV LIBRI IIII. TVM EX SACRIS, TVM ALIIS AVTORIBVS.

PER LAMBERTVM DANÆVM.

Ad virum Generosum Arnoldum Vertullium Fullatium.

Accessit operi Index locupletissimus.



ORTHESII

Excudebat L. Rabirius, Regis Typographus,

M. D. XC.

GENEROSISSIMO, AC NOBILISSIMO VIRO, ARNALDO VERTVLLIO, DOMINO ROMEFORTII, Fullatij, Sanlobesij, &c. Domino suo plurimùm obseruando.



VM TOTIVS historicæ scriptionis, Vir clarissime, magna semper laus, magnáque apud omnes gentes commendatio fuit: tùm verò eius historię partis maxima prędicatio extat, quæ res antiquissimas tãquam primas Mundi huius origines tradit, ac cõplectitur. Quanquam enim quantò vnumquodque à nostra memoria lõgiùs abest, & magis remotum apparet, tantò faciliùs à multis censeri fabulosum, & incer-

tum dici consueuit: tamen vbi vetustæ res à certissimis, & fide dignissimis autoribus proditæ, & verissimis testimonijs semel cõprobatæ fuerint, nihil est eiusmodi cognitione vel scitu iucundius, vel etiam ad vsum vitæ humanæ vtilius: imò quò quidque tũc vetustius fuerit, eò cõmendatius hominibus est, ac venerabilius. Quid enim vel nobis singulis lętius esse solet, quàm ipsorum primorum nostræ natiuitatis incunabulorum recordatio, quàm primæ ætatis nostræ memoria, quàm ipsius denique ortus nostri aspectus ac repręsentatio? Quæ eadem quũ non de vno aliquo homine quantumuis eximio: sed de toto ipso terrarum orbe, de totius Mundi machina & vniuersitate tradũtur ac docentur, certè sunt tam grata, vt nihil ea narratione sãctius, & eo acroamate suauius esse possit. Me quidem hęc ipsa tam antiqua Orbis Terrarum primordia ac monumenta perquirentem sic delectarunt: post-

quam

quàm autẽ inueni, sic in admirationem rapuerunt, vt ingenuè fatear nullum vnquã studij aut cognitionis genus tantopere, quãtum istud, mihi placuisse: Itaque lubens feci, vt hæc ipsa etiã alijs cõmunicarem, ac proderem. Ex ijs enim rectè perspectis & Dei gloria maiestásque splendidiùs elucescit, & hominum piorum fides nõ solùm confirmatur: verumetiã impiorum & ἀθέων protervia confutatur: atque ex infirmorũ animis omnis de illis rebus, quæ inhæret, dubitatio tollitur. Et certè quum ea, quę de prima Mundi origine, & progressu in Dei verbo scribuntur, à profanis irrideri, ab Ethnicis hominibus negari ex eorũ sannis & scriptis intelligeremus: Illa ipsa non solùm ex Mose autore sacro, & vero totius istius Antiquitatis historico collegimus: sed etiam ex ipsissimet Ethnicorum libris, ac profanorũ veteri traditione comprobauimus, asseruimúsq;, vt omnino vera esse omnes fateri oporteat

ea, quæ de ijs rebus Dei verbo traduntur. In quo certè quidem cernitur admiranda planè Dei Prouidentia, & cura de genere humano, & de hac sua veritate inter homines conseruãda, qui tot etiam in illis Ethnicorum monumentis nostræ, id est, suę, sacræ, verę que Historię, quamuis vetustissimę, vestigia, testimoniáq; extare etiamnum hodie voluerit. Sic enim omnes eas primas Orbis res gestas & Antiquitates adumbrarunt Ethnici, vt viuus illis duntaxat color, id est propria eorum (quos Moses cõmemorat) nomina desint, vt Moisasse videantur, sic earum memoriam retinuerunt, licèt lõgissimo illo temporis interuallo iam quasi detritã, & velut fumo obscuratam, vt magna lux veritatis facilè in eorũ scriptis splendescat, imò perspicua eniteat. Quædam habent illi quidem, fateor, propter annos interpolata, & velut carie quadam exesa & obsoleta: sed tamen quæ nullo negotio possint ex Mo-

ſis libris, velut inducta & repetita tinctura, priſtinum colorem, & natiuam faciem, formámq; primam induere, & recuperare. Præclarè enim Auguſtinus, Nulla falſa doctrina, ac ſcriptio eſt, *ait,* quę non aliqua vera intermiſceat, *ac proinde quæ non primæ veritatis ſcintillas retineat. Id quod in Ethnicorũ ſcriptis apparet. Eas verò ſcintillas colligere & magni laboris fuit, & iudicij. Verùm quod ait Xenophon,* ἐκ τῶν πόνων μαλακὰ γίγνεται, *id eſt,* ex huiuſmodi labore magna voluptas manat. *Quòd ſi cui curioſiùs quædam à nobis inueſtigata, productáq; videbuntur, hoc reſponſum habeat, In tam vetuſtis Mundi illius primi & iam euerſi ruderibus multa obſcura ineſſe, & exigua quidem illius veritatis veſtigia: ſed quę ſunt illius veſtigia tamen. Nam quemadmodum in Corinthi vrbis Græciæ quondam opulentiſſimæ (poſtquam à Romanis euerſa fuit) etiam tenuiſſimis*

ruderibus ac ramentis, multæ tamen auri reliquiæ repertę semper fuerunt: sic in istis etiam exiguis, & penè, vt multis videtur, obsoletis testimonijs, quę apud Ethnicos restant, multa nihilominus & vera nostrę diuinęq; historię monumenta sunt relicta, quæ nec fastidire, nec reijcere, præsertim ad profanos homines (qui eam pernegant) reuincẽdos debuimus, aut voluimus. Et quoniam hanc tam augustam & sacram primæ Mundi Ætatis historiam nudè proponere religio nobis erat, addidimus ad eam ipsam eiusmodi interpretationes & quęstiones, quę & pios in vera rerum istarũ fide corroborarent, & scopum Mosis doctrinámq; ex ijsdem rebus salutarem demonstrarent. Verè enim Philo Iudæus lib. quæst. in Gen. Sicut cæci, *inquit*, tractant tantùm ipsam corporum spissitudinem tactu, non decus colorum, non formas, non figuras, non aliud quicquam eximiæ qualitatis

testi-

testimonium prębens: sic minus docti, & inertis animæ oculi nihil in historijs intrinsecus cernere possunt: nec ad considerandam mentis historicę sublimitatem conscendunt, maximè vbi ipsa narratio conscientiam arguit, & medelam suggerit. *Hęc autem summam cum voluptate vtilitatem auditoribus prębebunt, eóq; magis, quemadmodum spero, nostrum hunc laborem commendabunt, quò & antiquiora, & salubriora omnia tota hæc narratio cõtinebit. Ergo (liceat enim mihi propter antiquitatem illud Virgilianũ hoc loco vsurpare) volumus,* Pandere res alta terra, & caligine tectas: *& propter vtilitatem illud Horat. huic scriptioni pręfigere*

[Aequè pauperibus prodest, locupletibus æquè:
Aequè neglectum pueris, senibusq; nocebit.]

Porrò autem hanc meam operam atque historiã, Fuillati, vir Generose, tibi dedicare iampridem apud me constitueram, multis

quidem & grauibus alijs de causis, sed imprimis, tùm quòd te rerum istarum, imò totius sacræ veritatis, & cœlestis doctrinæ (cuius hęc narratio pars est) vehementer amantem, & percupidum semper cognoui: tum etiam quòd quum multis beneficijs tibi sim deuinctus, ęquum iudicaui aliquod meũ grati erga te animi testimonium publicum extare, vt si tecum reipsa propter rerũ inopiam par facere non possem, saltem verbis & scriptis agnoscerem summa tua in me beneficia, eáq; aliquo munusculo rependerem. Accedit pietas illa tua insignis, in qua laude & gloria nemini, meo quidem iudicio, secundus cęseri vel potes, vel debes. Sic enim in vera pietatis fide instructus es, vt ne summis quidem in ea cognitione ingenijs & Theologis cedas: Sic in eadem confirmatus viuis, vt nullæ te à vera Christi fide afflictiones quantumuis graues (quas plurimas iam perpessus es) vllo tempore auocare potuerint.

tuerint: imò ne quidem tuum illud in propagãdo Dei regno maximum studium vlla vnquam pericula retardarint, nedũ (quod tamen plurimis euenit) exstinxerint. Sic sanctè vitam ipse tuã instituisti, vt omnibus sis virtutum omnium exemplar Christianarum. Et quanquam reliquos mortales magnæ opes & diuitiæ (quibus abundas) generisq; nobilitas, quę in te summa est, ad luxum, vitámque dissolutam incitare, ac penè etiam inuitos pertrahere solẽt: illa tamen ipsa eò magis te ad Deum colendũ inuitarunt, quòd vt illa esse optima Dei in te dona Christianè agnoscis, sic in eiusdem laudem studiosè conuertis omnia. Sic denique totam familiam tuam piè, ac in Dei metu edoces, ac regis (quanquam illa est amplissimi) vt mihi alter quidam & secundus Abrahamus amicus Dei, & Pater fidelium esse in his terris videaris. Itaque etiam magnam huic meo labori commendationem

ex tui nominis nuncupatione in huius Operis frontispicio conspecta apud pios omnes accessuram puto. Hoc autem munus meum, vt tam gratum habeas, quàm tibi candido beneuoloque animo à me offertur, obsecro, Vir præstantissime, & me κτήσει, καὶ χρήσει tuum esse perpetuò censeto. Vale. Orthesij, Calend. Octob. CIƆ. IƆ. XC.

Tibi deditissimus Lambertus
DANAEVS.



INDEX RERVM MEMOrabilium. Numerus paginam significat.

Isis

FINIS.



Errata sic corrigito.

Pagina 277. linea 26. pro *terrenam*, lege *cœlestem*.
Pagina 480. linea 16. dele *a*.




VETVSTISSIMARVM PRIMI MVNDI ANTIQVITATVM SECTIONES, SEV LIBRI IIII.

AVTORE LAMBERTO DANÆO.

PROOEMIVM.

¶ De varijs Mundi, quæ vocantur, ætatibus, & quæ Ætas in hoc opere describatur.



VONIAM nobis propositum est primam ætatem huius conspicui Mundi à Deo cõditi, eiúsque vetustissimas antiquitates tùm ex ipsissimis S. Scripturæ & limpidissimis fontibus haustas, tùm ex Ethnicorum etiam ipsorum monumentis inuestigatas, describere, (quæ res cùm scitu iucundissima est: tum verò ad veram pietatis agnitionem, id est, tum nostræ damnationis, tum redemptionis caussas explicãdas, nosq; in fide confirmandos necessaria) primùm in quot ætates, distinctaq; secula tota Mundi huius du-

ratio diuidi soleat, videtur exponendum. Illud verò dignum est, quod obseruetur, penè quauis hominum ætate scriptores tum sacros, tum Ecclesiasticos, tum etiã Ethnicos, in certa quadam tempora digessisse totam illam seculorum, quibus Mundus iam suo seculo extiterat, seriem. Sed Profani in eo toto temporis spatio quatuor tantùm Ætates constituunt, nimirum ætatem Auream, quæ prima fuit: Argenteam, quæ secunda: Æneam, quæ tertia: Ferream denique, (Sic enim ex Danielis cap. 2. vers. 32. vocant) quæ postrema est, quæq; etiamnum hodie durat, & perpetuò (vt profani illi homines putant) quoque duratura est. Sic autem eas finiunt singulas, vt Aurea quidem ætas ab exordio Mundi ad Iouem vsque fuerit: Argentea, à Iouis regno ad Herôum virorum præstantissimorum exortum, celebritatem, & frequentiam: Aenea, ab Heroibus illis (in quibus iustitia vis adhuc regnabat) vsque ad Monarchiarum & Regum diuersorum (sub quibus iura polluta sunt & regna instituta) in hoc terrarum Orbe constitutionem, ac distinctionem. Ab hoc denique tempore Ferrea ætas duret. Sic Hesiodus (à quo cæteri omnes postea sumpsere) in lib. 1. qui dicitur [Opera & Dies:] sic Virgilius lib. 1 Georg. Ouidius lib. 1. Metamorph. Diodorus Siculus, & alij horum vestigia secuti penè infiniti tum veteres, tum recentes scriptores. Verùm Moses, sacrique ac Diuini Prophetæ nequaquam has esse Mundi ætates annotant, vel sic eas tradunt. Nam si qua fuit ætas Aurea Mundi prima, illa breuissimo tempore certè quidem extitit, vtpote duntaxat ante peccatum Adami: reliquum autem

Mundi

Mundi tempus totum, quod secutum est planè ex Prophetis Ferreum, & Improbum seculum est dicendum, non Argenteũ, non Aeneum. Nam quod est apud Danielem cap. 2. vers. 32. ad illud primũ nascentis Mundi tempus minimè pertinet, sed ad Monarchias innumerabilibus pene seculis post primam Aetatem Mundi introductas, è quibus prima, cæterarum comparatione nominatur Aurea, id est, ditior, & rerum omniũ, ac præsertim auri abundantior reliquis, ac copiosior, vti apparet Dan. 3. 1. Cæteræ egentiores, & minus opulentæ fuêre. Quid igitur? Insignes ac memorabiles rerum mutationes & velut ἐποχὰς obseruarunt, ac descripserunt Prophetæ Dei, ex quibus diuersus Mundi status, diuersaque conditio. saltem quod ad Ecclesiam, distingui discerniq; potest: ex quibus Viri Ecclesiastici, id est posteri, sequentesq; scriptores pij varias Mundi Aetates deinde definierunt. Nec tamen omnes easdem, & ijsdem temporum punctis, & rebus gestis terminarunt: sed alij aliter, & alias: atque adeo quidam, plures: quidam verò, eas pauciores nobis reliquerunt. Quidam enim duntaxat Quinque Mundi ætates esse volunt: alij Sex: alij, Septem: alij, Octo: alij etiam, plures: prout cuique libuit hanc vel illam epochan, & rem memorabilem obseruare, eamq; initium, vel finem alicuius Aetatis Mundi à se constitutæ ponere. Quamobrem quum varij Scriptores Ecclesiastici Aetates Mundi explicare & distinguere voluerint, studuerintque, non semper tamen inter se consentiunt sed sæpè dissentiũt: quæ discordia tamen neminem offendere debet, quum esse debeat liberum cuiq; in ea re definienda ani-

mi sui iudicium. Ergo Philo Iudaus, Africanus Christianus scriptor, & post eum Eusebius Pamphili, Hieronymus, Augustinus, Paulus Orosius, Beda, Addo Viennensis, Carolus Bouilleus, Ioannes Funccius, Antonius Contius, & reliqui (qui Aetates Mundi descripserunt) non ταυτὴν γραμμὴν semper sunt secuti. Caterùm Augustini potissimum sententiam recentiores amplectuntur. & nos quoque hîc, qui tum lib. 83. Quaest. cap. 58, & lib. 12. contra Faustum Manichaum. cap. 8. sex totius huius Mundi velut vnius hominis, atates constituit, quibus sit Mundus duraturus, quemadmodum sex Diebus idem hic Mundus primùm conditus fuit. Septima verò atate sit Mundi huius & quies, & plena instauratio per Christum, post illius vniuersale iudicium futura. Verba verò Augustini sunt hac, cap. 8. lib. 12. contra Faustum Manichaum, [SEX diebus in Genesi, ait, consummauit Deus omnia opera sua, & septimo requieuit. Sex atatibus humanũ genus hoc seculo per successiones temporũ Dei opera insigniunt: quarum Prima est ab Adam vsque ad Noë: Secunda à Noë vsque ad Abraham: Tertia ab Abraham vsq; ad Dauid: Quarta à Dauid vsque ad transmigrationem in Babyloniam: Quinta inde vsque ad humilem aduentum Domini nostri Iesu Christi: Sexta qua nunc agitur, donec Excelsus veniat ad Iudicium: Septima verò intelligitur in requie Sanctorum, non in hac vita, sed in alia.] Primam verò Aetatem Mundi, ab Adamo ad Noachum, id est diluuium scribit idem Augustinus lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 20. cõtinere, ex Latinorum codicum supputatione, annos bis mille ducentos sexa-

ſexaginta duos: ex Hebræorum autem numero, mille ſexcentos quinquaginta ſex. Quæ poſtrema ratiocinatio ſeu calculus verus eſt: itaque nos eum ſequimur, non autem Latinum. Nam ab Adamo condito ſeu creato ad annum Diluuij ſeu generalis immerſionis Orbis terrarum (quem annum hic Auguſtinus Noachum appellat, nimirum inſignem illam calamitatem, quæ ſub eo contigit: non autem annum natiuitatis Noachi ſpectãs) non plures anni, quàm mille ſexcenti quinquaginta ſex intercedunt. Nos verò vnũ duntaxat addemus, fientq́ anni primæ Mundi Aetatis 1 6 5 7, quoniam Aetas Mundi ſecunda non ab initio ſeu immiſſione diluuij: ſed potius ab eius fine, & generis humani ex eo liberatione, id eſt, ab exitu Noachi ex Arca incipit, eſtque ſtatuenda & ſumenda. Habet verò totum hoc primæ Mundi Aetatis ſpatium quattuor ſectiones, ſeu ἐποχὰς inſignes: quarum vnaquæque ſua capita. & res obſeruatione dignas, ac ſingulares comprehendit.

Ergo Sectio Prima huius Primæ Aetatis Mundi complectitur quicquid eſt ante peccatum Adami, id eſt à Mundi initio ad Peccatum ipſum ab Adamo primum perpetratum. Cõtinet autem totum illud ſpatium ad minus totos dies ſeptem.

Secunda Sectio ea, quæ S. Scriptura tradit contigiſſe ab Adami peccato vſque ad publicam Nominis Dei profanationem. Tempus autem hoc ab exordio Mundi computatum habet annos circiter ducentos triginta quinque.

Tertia Sectio eiuſdem primæ ætatis Mundi durat ab illa Nominis Dei populari & publica profanatione

vsque ad annum, quo Diluuium vniuersale contigit. Habet autem annos ab initio creati Mundi 1656: A profanatione Nominis Dei annos mille quadringentos viginti vnum: A peccato primo Adami minus, quàm à creatione Mundi, aliquot diebus, vel annis, vel mensibus. Est enim incertum quando Adamus & Eua primum peccarint.

Quarta verò & vltima huius Aetatis sectio est Annus Diluuij, id est, ab immissis à Deo in vniuersum terrarum Orbem aquis ad exitum Noachi ex Arca, in qua toto tempore eluuionis istius iussu Dei substiterat vnà cum vxore, filijs, nuribus, & cæteris Animātibus in eam ab ipsomet Deo introductis. Durat hoc spatium Annum duntaxat vnum. Atque hæc est totius futuræ disputationis nostræ summa partitio; & velut operis designatio, ædificijq́; frontispicium nostri, quod, Deo Optimo Maximo bene fauente, iam aggredimur, & ordimur, si prius Lectorem admonuerimus in vnaquaque Sectione hæc quattuor præcipua Capita à nobis distingui, statuiq́; nimirum Historica, Disputata, Vestigia relicta, & Collecta, seu Porismata, quæ qualis tum Politicus, tum Ecclesiasticus Mundi status tunc fuerit, ostendent. Ergo quod fœlix sit, & faustum, & ad Dei gloriam, & Ecclesiæ ædificationem, & singulorum salutem, incipimus.

LIBRI,



LIBRI, SEV SECTIONIS PRIMAE PRIMAE MVNDI ÆTATIS, QVÆ EST Ab Exordio Mundi ad primum Adami primi Hominis peccatum.

CAPVT PRIMVM

¶ Continet Historica octo: Dies autem ad minus septem.

HABET Historia hac, 1. Creationem Mundi. 2. Hominis. 3 Paradisi terrens situ. 4. Arbores in eo duas. 5. Impositionem nominum. 6. Mulieris formationem. 7. Coniugij institutionem. 8. Statum primum Adami & Eua.

I. *Dies Mundi.* I. *Mundi creatio.*

Ex nihilo Cœlum summum & Primum, id est, totum hunc visibilem Mundum ambitu suo concludens creatur: item & Terra, sed rudis, inanis, tenebrosa pri-

mùm, & vacua. Hoc eodem die & Lumen quoque (sed post cœlum illud & terrã conditam) producitur: quod Lumen totis quatuor prioribus diebus fuit vagum, nulloque certo corpore, & loco comprehensum ferebatur supra terram quidem: sed tamen infra cœlum illud primum creatum. Dies igitur a nocte post lumen productum per vices successionis distinctus est. Fuit autem iste dies primus ac natalis huius mundi, Gen. 1.1.
Vocatur Dies Creationis.

2. *Expansionis productio continetur, id est, eius loci, & spatij, quod interponeretur inter Aquas inferiores (quæ sunt erantq; cum ipso corpore Terræ) & Aquas sublimiores, (quæ sunt erantq; sursum eleuatæ supra elementum & Orbem Terræ) easque secerneret. Hæc expansio etiam Cœlum à Deo nominata est, quemadmodum & primum illud corpus seu cœlum primo die creatum, quod primum Cœlum [Cœlum cœlorum] dicitur. Patet autem hæc expansio latissimè à superficie terræ vsque ad illud summum & primum Mundi huius cœlum & corpus, Genes. 1.6.*
Vocatur Dies Distinctionis.

3. *Aquarum inferiorum in vnum locum (qui Mare dictus est) collectio fit. Terra igitur emersit tũc ex aquis, & quæ eminens ex Aquis extitit [Arida] vocata est. Hæc verò illo eodem die Herbas, & Arbores tum in vsum Hominis & Animalium postea futurorum & creandorũ, tum in ornatum Terræ ipsius, ex suo corpore produxit, Gen. 1.9.*
Vocantur hic, & sequentes dies, Dies ornatus: sed propriè iste Dies ornatus Terræ.

Lu-

4. *Luminaria creata sunt in Expansione cœli (quæ secundo die fuerat condita) maiora duo, primum nēpe Sol, & Luna: deinde reliqua minora, quæ Astra, Stellæ, & Sidera vocātur, vt Diem & Noctem Mundo distribuerent, & lumen administrarent vicissitudine quadam perpetua. Ergo in Sole, Luna, cæterísque stellis Collectio Luminis primo die creati facta tunc à Deo fuit. Gen.1.14.*

Vocatur Dies ornatus non Cœli primi, sed Expansionis, quæ sub eo est.

5. *Aues, & Pisces creantur ex aquis: nimirum Aues quidem ex aquis superioribus, quæ sunt in expāsione cœli: Pisces autem ex aquis inferioribus, quæ Mare dicebantur. Additur his præceptum Dei de multiplicatione, & propagatione sui cuiusque generis ex coitu nempe Maris, & Fœminæ, cuiq; generi Animalis factum in sua specie, Gen.1.20.*

Dies ornatus Aquarum superiorum, & inferiorum, id est, Maris.

6. *Brutorum animantium è terra productio fit, Gen.1.24.*

II. Creatio Hominis, velut totius huius boni ac domus Patrisfamiliás, & Domini.

Homo Mas eodem illo die sexto creatur à Deo. Corpus quidem eius sumptum est è limo seu puluere terræ: Anima verò, quæ tota est immortalis, ex inspiratione, & flatu Dei ipsius in Hominem, id est, in corpus homi-

nis iam conditum per faciem eiusdem hominis à Deo immisso. Hic Homo primus Mas a Deo conditus est, & Adam à rubore vocatus est, creatusq; ad Dei ipsius Imaginem, & quidem ex omni rerum in hoc visibili Mundo conditarum numero & genere solus, Dei autoris, & Prototypi sui tum agnoscendi, tum colendi gratiâ, Gen. 1.26.29, & 2 7: & vt istarum rerum omnium à Deo conditarum in hoc visibili Mundo dominus esset Homo, id est Adamus, & eius posteri, Gen. 1.29, Psal. 8.

Dies Perfectionis, & consummationis huius Mundi.

7. *Quieuit Dominus Deus à toto suo opere, cui benedixit, id est, à totius Mundi huius fabrica, Gen. 1.31, & 2.2.* *Dies Sabbati, seu Quietis.*

III. Eden, seu Paradisus Terrestris.

Hortum Deus in Edene regione parat, omni herbarum & arborum genere abundantissimum, ac copiosissimum. Horti autem illius situs, vti & regionis ipsius Edenis, erat ad Orientem ratione Deserti, in quo tunc scribebat Moses: & Iudea seu Terra promissa, cuius idem Moses rationem habuit, Gen. 2.8, & 3.10.23. Non fuit autem tota regio Eden, Hortus: sed pars eius duntaxat.

IIII. Arbores in eo duę Præcipuæ conditæ.

Duas autem Arbores Præcipuas in eodem illo horto Deus plantat seu germinare fecit: Vnam, [Vitæ] quæ immortalis Adami posterorúmque eius in hoc Mundo

status

ſtatus, felicitatis, & durationis futuræ ſymbolum erat à Deo datum Adamo ac illius poſteris, Geneſ.2.9, Apoc.2.7. Alteram [Scientiæ Boni & Mali] quæ ſymbolum fuit mali, & vitij in Adamo, & eius poſteris futuri, ſeu inhabitaturi (ſi ex ea ederet, ac ſua ſorte & felicitate non contentus, Deo non obtemperaret.) Datum autem fuit Adamo hoc ſacramentum à Deo, vt eum eiuſq; poſteros tentaret qua fide in ſe futuri erant, & vt eos cautiores, prudentioreſq; faceret. Erat autem vtraq; Arbor & conſpectu incundiſſima, & eſu ſuauiſſima, Gen.2 9. & 3.6.

Adamum à ſe recens alibi tamen conditum Deus die eodem ſexto, quo eum creauerat, in eo Edenis Regionis Horto collocat, velut præſtantiſſimo domicilio, ac totius huius Terræ ſolo optimo, incundiſſimo, ac fertiliſſimo: eúmque Hortum Adamo & colendum, & cuſtodiendum idem Deus tradit, quòd in eo Horto cum Adamo colloqui poſtea vellet, permiſſo ei cuiuſvis alterius Herbæ & Arboris eſu liberrimo pro animi voluntate: ſolius autem, & vnius Arboris Scientiæ Boni, & Mali interdicto, addita etiam ad ſui interdicti confirmationem, & Adami poſterorúmque terrorem grauiſſima Mortis vtriuſq; (id eſt, Animæ & Corporis) pœna, quam Adamus hanc Dei Legem violans, eiuſq; poſteritas erat ſenſura. Gen.1.29. & 2.17. & 3.2. & 3.8. Rom.6.23. vti poſtea ſenſit.

V. Impoſitio Nominum.

Nomina rebus omnibus in hoc viſibili Mundo conditis imponit Adamus, velut earum Dominus, Deo ſic

iubente, volente, ac eas Adamo donante. Imponit autem ea nomina Adamus præsertim Animantibus Terrenis, & Cœlestibus: quæ Deus ipse coram Adamo sisterat, vt eum illa velut terrenum dominum suum agnoscerēt, & ex nomine sibi ab Adamo posito, datóue postea citata adessent, seq́; coram eo ipsa per sese sisterent, id est, non vinculis constricta, non vi coacta, vel opera hominum vlla adducta, sed ipsa sponte sua: sicque vnumquodq́; Animal voci Adami & posterorum eius, velut Domini sui legitimi, & à Deo sibi constituti iussui pareret, & spōte obsequeretur. Gen. 2.19 & 6 19 Ps. 8 Heb 2.8. Nomina verò rebus creatis imposuit Adamus cuiq́; pro naturæ ipsius proprietate, vt nomē illud naturæ rei conueniret quā nouerat Adamus ipso naturali lumine (id est, quod sibi à prima natiuitate Deus infuderat, eratq́; in eius posteris permansurum) vtpote quum ea res omnes creatæ in hominis vsum, à Deo factæ essent. Ergo earum singularū naturam, vim, proprietatésque nosse debebat Adamus, & illius posteri, vt ijs commodè, & in finem (ad quem, singulæ conditæ erant) vterentur. 1. Tim 4 3 4. Nam rei ignotæ nullus esse potest vsus, nullàve, quemadmodum habet prouerbium vetus, cupido.

VI. Mulieris Formatio.

Mulierem seu fœminam Hominem in Paradiso terrestri Deus creat post omnia creata. Creat autem eam ex vna Adami costa, m ilieremq́; istam vocat [Ischam] nomine ab Isch (quod virum seu marem significat) deducto. Ergo Ischa est Virago, sic à Deo appellata,

pellata, vt originis suæ vel ipso nomine admoneretur. Hac eadem [Eua] postea dicta est. Fœminam autem Hominem creauit Deus, quoniã inter omnia animalia condita nullum reperiebat, quod esset par, commodum, atque conueniens Adamo ad Dei ipsius imaginem cõdito, & auxilium illi esset, id est, cum quo consortium, colloquium Adamus haberet, vt de Dei cultu, & præcepto sibi dato communicaret, & cum quo de rerum natura agere & conferre ad Dei gloriam posset: denique ex quo prolem sibi similem susciperet Adamus. Ergo condita est Ischa, id est Mulier & ipsa ad Dei imaginem quoq; sicut & Adamus, quæ eiusdem cognitionis Dei, & cultus ipsius, & fœlicitatis, ac dominationis in his terris particeps, & capax esset, cuius & Adamus: & quæ eiusdem indolis, naturæ, sermonis, rationis, & ratiocinationis vsum haberet, cuius & vir seu Mas ille Homo iam conditus. Eam igitur condidit Deus, vt futuram Maris seu Viri Hominis sociam, & auxilium ad prolem suscipiendam aptum. Itaque ex latere seu costa Adami eam compegit ac fecit. Adamum autem, ne quem dolorem propter istam costæ detractionem sentiret, magno sopore Deus affecit, atq; consopiuit interea dum ei costam detrahit, eiusque locũ postea carne reples, ac reficit. Genes. 1.27. & 2.21. 1. Timoth. 2.13.

VII. Matrimonij Institutio.

Matrimonium ex quo propagatio generis humani, id est, Imaginis Dei in his terris fieret, Deus ipse instituit inter duos tantùm nempe Adamum, & Ischam,

(quæ eadem Eua est) inter vtrumq; videlicet ad Dei Imaginem à se conditum, è quibus vnus esset Mas: Altera verò Fœmina. Quamobrem neque inter Hominem & Brutum Animal: neque inter duos Homines vtrumq; Marem, vel vtrumque Fœminam: neque inter plures, quàm duos & quidem Vnum Marem, & Alteram Fœminam: neque deniq; inter alios, quàm quos Deus coniunxit, matrimonium, aut propagatio generis humani, aut denique legitimus homini coitus esse potest. Gen. 1.27. & 2.22. Malach. 2.15. 1. Cor. 7. 2.3.4 Coitum quidem esse inter Bruta Animantia iam præceperat, instituerat q; Deus die etiam quinta, videlicet ad speciei cuiusq; Animalis conseruationem, eique benedixerat. Genes. 1.20. Verùm Hominis ad suam Imaginem côditi Deus sanctiorem, augustiorem, & aliam, quàm simplicis coitus naturalis (qualis est inter brutas pecudes) originem esse voluit. Itaque ad genus humanum conseruandum, præter coitum naturalem, Matrimonium quoque intercedere Deus voluit. Nam Mulierem à se ex Adami costa creatam Deus ipsemet ad Adamum confestim adduxit, illique eam in vxòrem, & vnicum auxilium dedit Hominum ad Dei Imaginem eandem (ad quam ipse vterque Homo conditus iam erat) postea gignendorum (id est ad humani generis propagationem) Ergo Adamo eam tradidit in manum. Ergo vtrosque illòs inter se ipsemet Deus coniunxit. Inde Coniugium, eiusque sanctissimũ, atque arctissimum vinculum Adamo, Eua, & posteris eius institutum est, cuius Deus autor fuit, & conciliator primus, Gen. 2.22.23. Prou. 2.17. Matt. 19.8.

Vnde

Vnde qui vxorem nanciſcitur, dicitur à Deo bonum accepiſſe. Pro.18.22. Huic autem coniugio & copulæ Maris & Fœminæ Hominis à ſe factæ Deus poſtea peculiarem benedictionem addidit, ſummum animorũ affectum iniecit, denique & perpetuam firmiſſimámq; ſocietatem, adeò vt Coniux Patri & Matri præferri à coniuge debeat, & vtérque parens propter coniugem à coniuge deſeri. Gen.1.28. & 2.23.24. Pſal 45. Matth.19.5. Quod Vinculum, & quæ ſocietas & benedictio etiamnum poſt peccatum poſtea permanſit, ac permanet quoque hodie. Math.19.6. Rom.7.2. 1.Corinth.7.11.

VIII. Status Hominis vtriúſque, id eſt Viri, & Mulieris in paradiſo Edenico.

Status autem vtriuſque Hominis Primi, id eſt, Adami maris, & Iſchæ (quæ eadem poſtea Eua eſt) fœminæ in ſumma hic erat, quòd vterque Dei veram, plenámque Imaginem (quantã natura humana Animalis & in his terris verſans habere potuit) nactus erat. Erat autẽ fœliciſſimus, ac perfectiſſimus hic ſtatus. Nihil enim fœlicius, ac perfectius Deo, Deique imagine eſſe poteſt. Etſi verò Dei imago in hominis anima propriè, veréque poſita erat: cõtinebat tamen hæc fœlicitas quattuor hæc Dei dona præcipua, Nempe, I. Mentis ſeu Intelligentiæ humanæ perſpicacitatem & cognitionem ex connatis ingenitiſque notitijs rerum tum Diuinarum, velut Dei ipſius (quis & qualis eſſet, Viuus videlicet, immortalis, ſpiritus) & rerum ad Deum co-

lendum necessariarũ: tum etiã terrenarum rerũ velut naturæ proprietatisq; rerum omniũ in hoc visibili mũdo creatarũ. 2. Habebat cordis seu volũtatis humanæ puritatẽ & rectitudinem. 3. Corporis cõpositique ipsius totius summã pulchritudinẽ, ac immortalitatẽ. 4. Dignitatem ac dominatum in omnia hæc visibilia à Deo condita. Erat igitur vterq; homo mente perspicax, corde purus, corpore immortalis, dignitate dominus. Omnia enim Homini Deus subiecerat: Hominem sibi duntaxat: vt esset Homo quidẽ totius huius Mundi Dominus vtilis, qui vocatur: Deus autem ipse eiusdem Mundi Dominus directus. Denique Deus ad se colendum dederat Homini & Legem, & sacramenta duo, nempe duas illas, quas diximus, Arbores: Legem autem hanc, nimirum vt sua sorte contentus Homo earum arborum altera abstineret, Gen. 1. 27. 29. & 2. 17. & 3. 3. & 5. 3. Quare donis & spiritualibus, & corporeis (quantum eius felicitas in his terris postulabat) præditus erat Homo vterque à Deo, quibus ijsdem donis posteri quoque eorum postea donandi omnes erant, & hæredes futuri.



CAPVT II.

¶ Disputata, & agitata quędam in his singulis capitibus octo.

Multa



VLTA verò quærunt Scholastici in prima Mundi huius (quem conspicimus) historia, quæ apud eos extant tum in Lõbardi lib. 2. Sentent. tum apud Thomam in Prima parte primæ Summæ distinct. 65, & sequentibus. Multa Philosophi & Platonici, & Aristotelici, vt alios omittam. Nos verò neq; omnes eorum quæstiones (quadã enim sunt prorsus ineptæ) persequemur: neque etiam nullas. Ergo quæ præcipua, maximéque vtiles visa sunt nobis, hæ sunt, & quidem in primo capite, quod est de Creatione Mundi, in qua quæritur:

Ad I. De Creatione Mundi.

Vtrum Cœli primo die conditi nomine Angelica natura cõtineatur. Visibilium enim & inuisibilium Creator est vnus Deus, Col. 1. 16. R. Quũ sit, fuerit vt Mosi propositum ὁρατὰ tantùm in hac historia describere, & conspicuum hunc Mundum nobis notum, in quo velut Dominus collocatus est Adamus, proponere Gen. 1. 13. de Angelis, eorumque creatione nequaquam agit in toto hoc capite vel libro Moses. Q. Vtrum omnia Dei opera vno duntaxat die condita sint re ipsa, vt putat Augustinus lib. 4. cap. 34. de Genesi ad literam, & lib. 15. de Ciuit. Dei: Ecclesiastici 16. 26, & 27: quæ diuersis tamẽ diebus innotuerint, & à Deo posteà patefacta sint: an sex diebus omnia nempe singula, quẽadmodum à Mose narrantur, suo die. R. Quum nihil sit allegoricum in hac Mundi conspicui creatione prima: sed naturaliter sint accipienda illa omnia, tanquam ab historico, quæ Moses in hac descriptione tra-

dit, singula suis quæque & diuersis diebus creata sunt, non autem simul omnia. Q. *Vtrum primum cœlũ, id est, primo die creatum sit illud ipsum, quod postea fuit ornatum à Deo stellis videlicet, quum Solem, & Lunam, & astra Deus condidit, Psal.*19. R. *Cœlum illud primum tãquam cortina quadam à Deo hominum oculis duntaxat obiectum est. factúmque vt curiositatem & visum eorum terminaret, Psal.* 104.2. *Itaque de eius Cœli ornatu nihil postea scribit Moses. Solem autem, Lunam. & stellas collocauit Deus in expansione, quæ infra illud primum Cœlum est vsque ad aquas protensa. Ergo stellæ sunt expansionis illius ornatus, non supremi & primùm conditi Cœli. Sol tamen, Luna, & Stellæ in ista Expansione sitæ dicuntur esse in cœlo, quoniam hæc ipsa Expansio Cœlum quoque nominatur. Sed primum illud Cœlum dicitur Cœlum cœlorum, Psal.*115.16, *&* 148 4. *Id quod etiam in extremo Dei iudicio concutietur, & cum stridore præteribit, ac renouabitur, vti & terra ipsa, & reliqua elementa, Luc.*21.26, 2.*Pet.*3.10. Q. *Quotuplex sit genus Aquarum illarum, quas expansio à se ipsis diuidit, & vtrum supra totam Expansionem sint Aquæ aliquæ.* R. *Diuidit quidem Expansio aquas cœlestes (quas aëreas vocant ex quibus sunt, fiuntque nubes, pluuia, tonitrua, grandines, ros, &c. huiusmodi, Ps.* 147.8, *&* 148.4) *à terrenis & marinis, quæ cum globo & corpore terræ comprehenduntur, ac simul coniunguntur non tamen tota expansio intra vtrasque illas aquas comprehẽditur, ac concluditur, vt nulla supra aëreas aquas sit & restet illius Expansionis pars & portio.*

tio. Est enim illius expansionis supra aquas etiam cœlestes & aëreæ pars aliqua, nimirum ea, ex qua Sol, Luna, & Stellæ extiterunt & in qua collocatæ fuerunt. Ex quo fit vt illius Expansionis longitudo & spatium totum etiam aquas cœlestes superet, sitque etiam supra eas expansum Gen 1.6.15. Expansio ergo continet interuallum aquas inter se separãs, & præterea illud spatium, in quo Stellæ, ac Planetæ mouentur, vel hærent, certè collocantur.

Ad III. De Edene Regione.


Quæritur Edene illa regio vbi fuerit, in cuius parte vna terrestris Hortus erat. Nec enim tota illa regio erat Hortus ille amœnissimus. R. Fuisse eam regionem sitam ad Orientem Mosi tunc in deserto Arabico scribenti versantiq;. Huius autem regionis non semel fit mentio in Dei verbo, sed sæpius, vti 2. Reg. 19.11,12. Isa. 37.12, Ezech. 27.11,12, vbi Eden & Carræ ciuitas coniunguntur. Item Amosi 1 3 illa regio commemoratur, & nota fuit non tantum sacris Scriptoribus: verumetiam & prophanis, atque etiam alys. Aethicus eam inter nobiles (quas famosas vocat) Orientis prouincias collocat & recenset, vbi Adonis pro Edonis, vitio librariorum scriptum est, quemadmodum rectè obseruauit Iosias Simlerus vir eruditissimus. Stephanus in libro de Vrbib. Edanæ vrbis meminit (quæ ad Euphraten sita esset.) Hanc ex Edenis regionis nomine velut insignes fuisse reliquias quis dubitet. & idcirco sic appellatam? Apparet autem eam maioris Armeniæ prouinciam vel partem fuisse, & totam Mesopotamiam

comprehendisse. Patuit vsque ad Damascenam regionem, Amosi 1.5, *Plinius lib.6.Histor.natur.cap.9. Armenia Maior Tigrim & Euphratem fluuios fundit,& initium Mesopotamiæ per duos amnes sitiræ facit. Hos autem eosdem fluuios tribuit hic Moses Edeni regioni. Mesopotamia verò etiam Armeniæ maiori tribuitur,olim autem Assyriæ,confusis & mutatis postea regionum istarum nominibus, vti & nunc. Nam istarum appellationũ vestigia iam nulla extãt.*

*Q. Quæ sit regio Heuila,quam vniuersam flumen Pischon ex Edene regione, non autem ex Horto nascens,alluit,vti & Hortũ ipsum Gen.*2.10.11 *Quid regio Chuz,quam Gichon fluuius (qui est fluuij ex Edene nascentis diuortiũ,& alueus seu riuus) alluit post irrigatum Hortum hunc terrestrem. Quid denique, & vbi Paradisus,in quo collocatus à Deo fuerat Adamus primus homo. R. Primùm obseruandum est quatuor illa flumina, quæ recenset Moses, fuisse vnius & eiusdem,siue aquæ siue fluuij ex Edene regione nascentis diuortia seu brachia,quæ diuersa quoque nomina sortita sunt, quemadmodum apparet. Ex his enim vnum Euphrates: alterum Chiddeket siue Tigris: tertium Geon:quartum Pischon nominatur. Orsus est autem Moses in istis quattuor brachijs eiusdem fluuij recensendis ordine retrogrado, non à capite fluuij istius vel vicinioribus capiti brachijs & diuortijs: sed ab ijs, quæ remotiora erant,& vicinora tunc Mosi ista scribenti, & populo Israëlitico, cui scribebat. Ergo facit Tigrim tertium brachium,& Euphratem quartum: qui tamen vterq; fluuius est fonti originiq; fluuij istius,*

à quo

à quo deducũtur proximior. Fons autem, & ex eo fluuius emanãs in Edene regione (antequam se in diuortia illa quattuor diduceret) irrigabat, & quidẽ totus adhuc, & nondũ diuisus in brachia, Hortum terrestrem: postquam autem totum illum Hortum irrigauerat, tunc se infra Hortum in quattuor illa flumina diuidebat. Ergo nequaquam Hortus ille extendendus est vsque ad ea terrarum loca, in quæ illa quattuor flumina, seu diuortia feruntur, & labuntur. (nec enim Hortus terrestris terram Chuz, vel regionem Heuila complectebatur, vel tam latè ex ea parte patebat. sed iam supra eum locum, id est, ante vnius illius fluuij seu Aquæ diductionem seu diuortia in illa regione Edene finiebatur) imò ne ipsa quidem Edene regio patebat in longitudinem tantum quantum cursus quattuor illorum fluminum ex vno illo Paradisi fluuio deriuatorũ, & fluẽtium. Cur igitur dicet quispiam, horum quattuor fluminum facta est à Mose mentio? Nimirum, vt intelligeretur quàm esset abundãs aquis, & copiosus vnus ille Paradisi terrestris fluuius, ex quo tot, tamq́; opulenta illa quattuor flumina postea oriebantur, & fluebant, velut riui (nec enim in toto terrarum orbe his quatuor maiora flumina sunt) ac proinde facile vel vnum illorum fluminum potuisse aqua sua elicibus ductis, & ab Adamo factis, totum illum Hortum terrestrem irrigare: Nomina autem & fluminum illorum, & quarundam regionum, quas illa alluunt, addita sunt à Mose, vt huic Historiæ tam antiquæ fidem faceret, ac autoritatem conciliaret, ne fabula quædam esse censeretur. Secundo loco notandum est, Euphratem flumen, item



& Tigrim varia nomina etiam eodem tempore apud diuersos populos sortitum esse. Nam qui hîc à Mose dicitur Euphrates, idem ab alijs populis & Auxius, & Pixirates, & Omirra, & Aramalcha i. flumen regiũ dictus est olim, vti docet Plinius lib. Hist. Natur cap. 26. Ammianus Marcell. libr. 23. Histor. [Et Marsias, ait, & Regium flumen Euphrates cunctis excellens.] Tigris etiam Pasitigris vocatus est, quemadmodum Strabo lib. 15. & Plinius lib. 6. cap. 27. tradunt: & Basilius, vt idem Strabo scribit lib. 16. Sed & Pallacopa quoque nominatus, quemadmodum apparet ex Arriani libro de Expeditione Alexandri, lib. 7. Solinus cap. 40: [Primùm, ait, pigrè fluit Tigris, non cum suo nomine: at quũ fines Medorum inuectus est Tigris dicitur.] Denique meminisse oportet tertio loco flumen Euphratem, item & Tigrim, & a diuersis Regibus & diuersis in locis & temporibus, in alueos plures deriuatum deductúmque fuisse: eorúmque alueorum inter se commissuras, seu confluenta variè dissecta à varijs, seu dirupta, ac diducta: denique oppleta, vastata, & immutata nomina alueorũ ipsorum variè, vt iam sit propterea vel difficile, vel valde nobis ignotum id, quod hîc scribit Moses: erat autem illo sęculo notissimum. Certè Herodotus lib. 5. scribit vel vnum Gyndem (qui in ijs locis est) in 360 alueos fuisse diductum. Plinius lib 6 Hist. Natur. cap. 20. ait, Euphratem diuisum sub Assyrijs à Semiramide, quod cõmemorat Pomponius Mela lib. 1. cap. 11: item à quodam Satrapa Babyloniorum in plures partes, ne infestaret Babyloniam: postea à Nicatore: ab Orchenis quoq; dum agros suos irri-

irrigant, vt ibidem Plinius cap 27. tradit: atque etiam scribit Arrianus libr 7 de Exped. Alexand. Babylonios deduxisse & deriuasse sæpe, diuersoq; tempore Euphratem magnis fossis, magnoq; labore in Pallacopam flumen. Denique & Traianus quoque fossas nouas parauit ad committendum Euphratem pluribus in locis cum Tigre, vt tradit in eius vita Dion Historicus. Vide Ammianum Marcellin lib. 23 Hist. Quibus expositis, vt viam futuræ expositioni præmuniamus, probemúsque istius rei explicationem esse perdifficilem, dicimus regionem Heuilam, quæ Pischone flumine infra Paradisum seu Hortum terrestrem alluitur, esse eam, quam Tigris (quum Pasitigris vocatur) alluit, & ambit ex vno latere, quæ Parapotamia quoque vocatur à Plinio lib. 6 cap 27. Hæc regio vicina est ad Meridiẽ Susianæ prouinciæ, vt tradit Strabo lib 15. & Perside inferior, & ad Mare seu Sinum Persicum pertingit. Ergo nobis est trans Tigrim Heuila. Hæc etiã & Palmetis, & olea, pomisque, & arbustis nobilis est, vt ait idem ibidem Plinius. Imò Solinus cap. 40 scribit miram & ingentem esse in ijs regionibus, quas ad Sinum Persicum Tigris (qui in Sinum Persicum defert Euphratem) alluit, & gemmarum & pretiosorum omnis generis lapidum vim, & copiam. In Sinu autem Persico, vicinísque illi regionibus & affusis, esse nasciq; Aurum quoque optimum & experiẽtia nauigatioq; Lusitanorum docet, & historia cuiusuis ætatis: imò ibi etiã copiosissimum, & abundantissimum Aurum est: ibidem quoque & Uniones, & Gemmæ. & Bdellium: id quod de terra Heuila testatur quoq; Moses. Quamobrem

ista omnia propterea à vicinis illi regioni populis sperñuntur, vt ait Plinius lib.6.cap 27, Aurum nempe & Gemmæ, propter copiam: quæ tamen duo reliquæ Orbis gentes plurimi faciunt. Idem de ijs regionibus scribit Tertullianus in lib. de Cultu Mulierum. Ex ijs enim Legati suo tempore ad Seuerum Imperatorem Romã venerant. Quæ omnia cum ista Mosis Historia, & Heuilæ terræ laude, & descriptione hic facta consentiunt. D. Stukhius amicus meus quædam in suis commentarijs in Periplum maris Erythræi de Heuila tradit: sed nõ tam ex sua quàm aliorum sententia. Heuila igitur est regio illa, quam Pasitigris alluit, nobis Trãstigritana, a cuius finibus vsque ad Sur desertum Aegypto vicinum soboles Ismaëlis (qui fuit filius Abrahami ex Agara ancilla) & posteritas habitauit postea per duodecim diuersa regna, familiásque latissimè diuisa. Igitur posteritas Ismaelis eam incoluit, fratribus suis nimirũ Israëlitis pene vndique opposita. Ille enim latissimus terræ tractus proximè & collimitaneè totum terræ promissæ Orientale Meridianum, & Occidẽtale latus claudit, adeò vt qui ex terra promissa exit ex ijs tribus partibus, statim in terram Ismaëlitarum ingrediatur. Atque ea est via, qua itur in Assyriam ex Aegypto per Sur desertum (quod, vt dixi, Aegypto, Marique rubro proximum est Exo. 15.23, & 17 8 Eius autem deserti Metropolis fuit Hagra, sita ad sinum Elaniticum, vt ait Plinius lib.6.cap.29:) ea, inquam, est via, qua itur ex Aegypto in Assyriam, nempe tractus ille totus quem Ismaelitæ occuparunt à Sur ad Heuila, nempe claudentes à latere trino Israëlitas suos

fra-

fratres. Hinc ijdem Jsmaëlitæ dicuntur habitasse coram fratribus suis videlicet Israëlitis, quòd eis ex Oriente, Meridie, & Occidente obiecti ac oppositi essent ratione regionis quam incoluerunt. Jd quod apparet ex istis S.Scripturæ locis, Gen.16.7,& 21.21,& 25 18, 1.Sam.15. Hæc igitur regio Heuila erat Orientalis Mosi. Etsi verò in Saba regione aurum est copiosum, vt est 1.Reg.10.11: gemmæque plures reperiuntur, 2.Chron.9.9: optimum tamen aurum, optimæque gemmæ sunt ex ista Heuila, regione latissima, quæ ad Persicum vsque Sinum pertinet, & pertingit, clauditq; Jsmaëlitas ab Oriente, & quam Pischon qui & Pasitigris, alluit, vti dixi. Iam de regione Chuz, & Geone flumine dicamus. Chuz regio proculdubio à Chuzo filio Chami (qui fuit filius Noachi) dicta est, continetq; totum eum Syriæ tractum, quem Chuzi istius posteritas occupauit. Illa verò extẽditur à flumine Euphrate ac Babylonia ad Meridiem, sub vel intra Ismaëlitarũ regionem vsque ad Aegyptum ipsum seu Sinum Arabicum, qui & Mare Rubrum vocatur. Ergo regio Chuz fuit inferior quam Heuila, & toti Mari Meridionali vicinior ad Meridiem Mosi, seu Iudææ sita. Totus hic tractus terræ Arabia postea dicta est, quæ & ipsa triplex constituta est, & distincta, nimirũ Deserta, Petræa, & Felix. Eadem & Aethiopia quoque cognominata ab incolarum nigro colore. Ergo hæc Aethiopia (quæ Chuz dicitur) est ea Aethiopia, quæ est Syris citra Aegyptum, & Mare Rubrum: non autem ea, quæ ijsdem est trãs Aegyptum in media Africa ad montes Abyssenos sita. Sed & duplicem quoq; Ae-

thiopiam agnouit Homerus in Iliade vetus imprimis scriptor. Hoc verum esse, & eam regionem quæ Chuz vocatur, esse eam Aethiopiam, quæ Syris est cis Mare Rubrum probant hi S. Scripturæ loci, Genes. 10.6,7, Exo. 2.22, Num. 12, 2 Chron. 14 & 21 6, Hiere. 25 24 vbi ab Hieremia Arabes appellãtur, qui Chuzæi dicuntur ab Ezechiele 30 9. Hæc docet & persequitur latè copioseque primus Mathæus Beroaldus tum lib 2. Chron. cap. vltimo. tum lib. 4. cap 6, & duplicem illam Aethiopiam distinxit: quãquam Flauius Iosephus Arabas & Aethiopas communi nomine Chusæos dici generaliter scripserat, sed confusè. Confirmatur autem Beroaldi (ex quo postea certatim omnes mutuati sunt) sententia ex Plinij lib 5. Natur. Hist. cap. 11. & 12. Strabonis lib. 15. & 16, vbi agit de Syriæ tractu Babylonijs & Aegyptijs vicino. Solini cap. 40 & Aethici libello, vbi hic Oceani Orientalis flumina recensens, Tigrim describit. Ergo latissima fuit Chuzæorum istorum regio, & terra hæc, quæ Chuz propriè dicta est: ac, vti dixi, eadem fuit magis, quàm regio Ismaelitarum, Mosi Meridionalis (quanquã Ismaelitæ sæpe generaliter Arabum quoque nomine comprehenduntur) & Aegypto propinquior, tres illas Arabias nempe continens suprà à nobis commemoratas. Verùm hæc regio Chuz neque in Edene regione fuit, sed extra Edenem: neque Horti terrestris pars, sicut nec Hauila: sed fuit Syriæ portio maxima ad Mare Rubrum, & Meridionale (quod Sinum Arabicum & Persicum interiacet) pertinens. Hæc eadem toto latere vno nempe Orientali, à flumine Geone alluitur, vt hic tradit

Moses

Moses Gen.2. Alij aiunt ab Euphratis brachio, alij Tigris. Nam Euphratem (postquam in Tigrim incidit confluxitque) suum nomen amittere, & in sinum Persicum à Tigri deferri Plinius, & ex eo Solinus in Polyhistore scribunt. Ergo verba hac Mosis, Gen.2.13, [Nomen verò secundi Gichon is est, qui alluit vniuersam regionẽ Chuz] non sic accipio, vt Gichon vel Geon iste omni ex parte & latere terram Chuzæorum circũplectatur & ambiat: sed vt ex vno duntaxat latere, nimirũ Orientali eã alluat: quemadmodũ flumen Pischõ ex latere & plaga Occidentali duntaxat alluit & circũdat terrã Heuila. Quamobrem istorũ diuortiorũ seu fluminum duorũ ex eodẽ illo & vno fluuio (qui ex Edene regione nascebatur, & Hortum totum alluebat) defluentium ac dimanantium vnum, Arabas: alterum, terram Heuila perluebat. Ex quo iam apparet quod sit diuortium illud seu flumen, quod Gichon, vel Geon appellatur. Est autem pars & brachium totius illius aquæ (quæ ex Euphrate & Tigre iam commixtis inter se, & confluentibus in Abiadene regione, vti docet Ammianus Marcellinus lib.23. Historiæ, conflatur, & sic coniuncta labitur) quod brachium ex duobus illis vicinius est nobis, & tamen à nonnullis etiam Euphrates ex ea parte dicitur: vti eiusdem aquæ brachium alterũ quod est Orientale, id est magis vicinum Indiæ, nominatur quoque à nostris (qui nomina istorum diuortiorũ propria ignorant) Tigris, qui Hauilam alluit. Ergo Euphrates Arabiam seu Chuzæam regionem totã ex parte, quæ Mosi fuit Orientalis, claudit, alluitque. Plinius lib.6.cap.26. ait, [Ambitu verò Euphratis

Nomades Arabiæ vſque ad deſerta Syriæ comprehẽduntur: vnde in Meridiem flecti eum dicimus, ſolitudines Palmyrenas relinquentem]Hoc Arrianus lib. 7. expeditionis Alexandri probat. Strabo lib 15. videtur etiam eum fluuium quem alij Euphratem, vti dixi, Moſes autem Geon nominat, Tigrim appellaſſe. Sic & Aethicus in deſcriptione Tigris fluminis: Eum enim ait per Aethiopiã, id eſt Chuzæam regionem perlabi. Quin idem quoque Strabo refert quoſdam exiſtimaſſe omnia Syriæ flumina per meatus ſubterraneos ex lacubus Euphratis & Tigris profluere Certe quum hæc duo eiuſdem fluuij, & eiuſdem aquæ brachia tàm diuerſa ſitu, & regione fuerint, rectè Moſes vtrique ſuum nomen & proprium ſeorſim tribuit, quale tunc fuit: malè verò profani ſcriptores vtrúmque illud brachium confuſè ſæpe vno & eodem vt diximus nomine appellant. Verùm Dionyſius Alexandrinus docet incertum eſſe quo nomine illa brachia ſint vocanda. Herodotus libr. 5. videtur Gyndem nominaſſe hoc ipſum flumen, quod Geon vocat hîc Moſes. Accedit enim Herodotus ad Moſem, vel ipſo vocis ſono. Marcellinus meminit etiam iſtius Gyndis fluminis. Porro Geon flumen & in Gallia quoque quoddam eſſe annotat Aethicus: & plerique Nilum vocant Geon. Eſt & Geon riuus ſeu fluuiolus in Iudæa Hieroſolymam illabens, qui & Siloé dicitur, vt nõnulli volunt ex 1. Reg. 2. 33. 2. Chron. 32. 30: de quo Geone ſcribit Epiphanius in epiſt. ad Ioannem Hieroſolymitanum Epiſcopum ſe ex eo guſtaſſe, quum Hieroſolymis eſſet. Sed hic Geon ad hunc locum non pertinet. Et hæc quidem eſt mea de

iſtis

istis locis sententia. Hortus autem Terrestris vbi fuerit iam apparet, nimirum ad Orientem Iudaeæ & Terræ promissæ in Edene regione (quæ Armeniæ Maioris pars fuit) in ea nimirum Edenis parte, in qua fluuius ille (ex quo quattuor isla, quæ demonstraui, diuortia fiunt) totus fluit, & nondum diuisus. Ergo erat Hortus supra diuulsiones istarum aquarum situs. Tigris, Euphratis, Geon & Pison: quemadmodum etiam Iosephus lib. 1. Antiquit. Iudaic. cap. 2. sentit & scribit. Perijt autem hic Hortus, eiusque facies tota tum post peccatum primi hominis: tum post diluuiũ vniuersale, quod sub Noacho contigit, nisi si qua illius vestigia, sed obscura, extẽt ea, quæ dicemus. Nec verò in aere fuit, vt Scholastici existimant, Paradisus seu Hortus iste: ac propterea falsum est, quod ijdem scribunt, in extremo totius Orbis incendio non esse eum locum igne, vt cætera loca, repurgandum. Q. Vbi Deus hominem primum videlicet Adamum condiderit: Nam Ischam, id est primam Mulierem in Horto illo creatam fuisse ex ipso Mosis textu Gen. 2. apparet. R. Id nullo certo S. Scripturæ testimonio posse demonstrari: nonnulli tamen volunt in Damasceno agro, qui Edeni regioni sit vicinus, Amosi 1, fuisse conditũ: vnde in Hortum Edenis translatus postea a Deo fuerit: Alij in mõte Moria, vbi & Templum Dei exstructum postea fuit, & Isaacus Deo oblatus: Alij denique iuxta mare Rubrum, vbi terra ipsa colore naturali rubet. Erat autem Adamus recens conditus Rubeus, vnde dictus est Adamus. Q. Cur Adamus (cui ab arboribus fructus, & herba ex terra affatim absque vllo labore,

*sed sponte ferebãtur ad victum) colebat hortum illum: item quomodo eum colebat, ac custodiebat. R. Iucundioris dũtaxat exercitationis, & quidem corporeæ gratiâ (nam spiritualis eiusdẽ exercitatio tota in Dei potentiæ, sapientiæ, bonitatis, & Mundi huius creationis meditatione posita fuit) Adamus Hortum illum colebat. Erat enim Adam animalis, non spiritualis homo (quales post Resurrectionem beneficio Christi euademus) Ergo vti & cibo, & potu ad victum, corporisque sui sustentationem egebat: sic & somno seu quiete, & exercitatione seu labore quodam: (Diem enim propterea à nocte distinxerat Deus, Psal.*104.22,23, *ad eiusdem corporis conseruationem,* 1.*Cor.*15.44.) *Id quod in Adami posteris locum quoque habiturum erat. Colebat autem eum Hortum Adamus ante peccatum, absq; molestia, fatigatione, tædio vllo, sed summa cum animi corporisq; voluptate. Ergo vera est illa Augustini sententia, lib.*14.*de Ciuitate Dei cap.*11: [*Viuebat itaque homo secundum Deum in Paradiso & corporali, & spiritali. Neque enim erat Paradisus corporalis propter corporis bona: & propter mentis, non erat spiritalis.*] *Itaque Adamus illic & bonis animi, & bonis corporis fruebatur. Colebat verò Hortum elicibus seu riuis è fluuio, qui per hortum fluebat, in omnes, quascunq; volebat, partes deductis, vt maiori copia & venustate Herbæ, Arboresve illæ crescerent, & conseruarentur imprimis duæ illæ Arbores, nempe Arbor vitæ, & Arbor Scientiæ Boni, & Mali: Sed vt cætera quoque, quantum fieri per earum naturam poterat, crescerent, ac multiplicarentur. Porro Adamus*

serua-

seruabat Hortum illum iussu Dei, ne a beluis & bestijs facies ac decor eius, amœnitásve corrumperetur, neve in eum passim irruerent, & ingrederētur, quòd is totus locus esset constitutus Adamo & posteris eius velut Templum Dei, in quo cum eo ipse colloqueretur, illique Deus appareret: ac proinde velut sanctius quoddam domicilium erat conseruandum, atque ab eo tuendum, Exod.3.5, Ios.5.15. Vide Augustini lib.8. de Genesi ad literam, cap.10. Q. Cur in Aegypto & ad Meridiem non fuerit potius collocatus Adamus, aut Hortus ipse à Deo positus, quum tota terra Aegypti sit irrigationibus, & exūdationibus seu deriuationibus naturalibus & anniuersarys Nilis feracissima, & fœcundissima absque labore hominum: & Aegyptus ipsa cum Horto illo Edenico comparetur. Genes.12.10. R. Strabo, Plinius, & Solinus testantur id, quod S. Scriptura docet, Fertilissimam fieri quotannis totam Aegyptum inundationibus Nili secundum tamen ab Horto Edenico locum illa habet. Primam autem fœcunditatis & iucunditatis laudem Hortus ipse Edenicus, Deo sic illi pro bona sua voluntate benedicente, semper obtinuit. Praterea cōmodior fuit Adami habitatio in Oriente, & loco temperatiore, & primùm radijs Solis illustrato, quàm in Meridie, vbi maior est æstus & serpentes frequentes. Q. Vtrum Adamus (quanuis non peccasset) fuerit tamen & ipse, & eius posteri, ex Horto isto & Paradiso terrestri in Cœlum supremum & Paradisum cœlestem postea transferendi, tanquam in meliorem vitam. R. Hoc non definit quidem pracisè S.Scriptura: tamen Adamum in-

exterminabilem (vt loquitur Augustinus in libro de Agone Christiano) & immortalem futurum fuisse, si non peccasset, docet verbum Dei Gen.2.17. quod idem de eius posteris est sentiendum. Præterea constat ex eodem Dei verbo, (quicquid contrà sentire videatur Augustinus lib.9.de Genesi ad literam, cap.16.) quòd in Cœlum è terris trásferimur à Deo, & quòd immortalis illius felicitatis, quam in cœlo consequimur simus participes, totum esse speciale & proprium beneficium Christi pro nobis incarnati, id est naturam nostram humanam assumentis sibiq; vnientis: non autem esse conditionem humanæ naturæ datam. Nam quò natura nostra, id est, humana cum ipso omnis boni fonte, .i. cum ipsamet Deitate arctiùs in persona Christi, quàm Adami cõiuncta est: eò maiores quoque Dei gratias, maiora dona, maiorémque felicitatem, & splendidiorem locum eadem natura nostra consecuta est à Deo sed per Christum, vti dixi. Quare si nostram naturam Christus Dei Filius non assumpsisset, neque eiusmodi dona consequeremur. Sic Deus incredibili sua potentia ex nostris tenebris lucem: & ex peccatis bonum eduxit, vt docet Paulus 2 Corint.4.6. Et quod dicitur etiam & cœlum, & terra, in illa (quæ nobis per Christum parta est) beatiore felicitate, futura, verum quidem est: sed illud cœlum & illa terra erit prorsus noua, neque duntaxat qualis primùm fuit cõdita à Deo: neque dicitur eadem illa terra noua futura sedes & domicilium beatorum cum Christo collectorum. Q. Vtrum omnes Adami posteri in eodem illo terreno seu Edenico Horto erant cõtinendi, atq; dũtaxat habitaturi. R. Nequa-

quaquam. Nam dictum fuerat à Deo homini, [Replete terram] Gen.1.28. Et hæc quidem satis. Iam ad Arbores, quæ erant in Horto, accedamus.

Ad IIII. De Arboribus.

Q. Si bonus erat fructus earum Arborum, Cur Deus prohibuit hominem eo fructu vesci. Sin malus, cur eas creauit? R. Bonus quidem erat earum Arborum fructus, vt est Gen.3.6, Prou.3.18. Verùm Deus in eo periclitari voluit, quàm sibi obsequens futurus esset Adamus eiusque posteritas. Itaque fuerunt Arbores illæ futuri in Deum animi humani signum, & obedientiæ testimonium. Augustinus Sermone 34 in Lucam: [Si autem, inquit, debuit Deus aliquid iubere, vt te (quod tibi expedit) sentires esse sub Domino, necessariò ab aliquo prohibendus eras, nõ propter illius Arboris malitiam, sed propter tuam obedientiam. Nõ potuit Deus perfectiùs demõstrare quantum bonum esset obedientia, nisi quum prohibuisset ab ea re, quæ nõ erat mala: Ergo bonum est, sed nolo tangas.] Arbores autem istæ duæ fuerunt veræ Arbores, non autem res quedã incorporeæ, & spirituales: sed corporeæ, & terrenæ, vtpote signa sacramentáve, sicuti docet idem Augustinus lib.13.Ciuit.Dei cap.21, & lib.8.cap.6.de Genesi ad literam. Q. Vbi, id est, in qua parte Horti, seu Paradisi sitæ erant Arbores illæ. R. In medio Horti, quemadmodum disertè Scriptum extat, Gen.3.3, Prou.3.18, Apoc.2.7. Q. Quomodo Deus, quum Adamo esu Arboris interdiceret, locutus est. R. Anxiè quidem de eo quærit Augustin.

lib.8 de Genesi ad literam, tum cap. 18, tum etiã 27. Dubitat enim vtrum tam citò fuerit Adamus intelligens, quam recens adhuc creatus esset: item vtrum alia, quàm seipso, creatura egeret ad cognoscendam Dei voluntatem. Frustrà. Erat enim Adamus ab ipso suæ creationis principio conditus à Deo sapiens, intelligẽs, & iustus: & quoniam Animalis factus erat, etiam alijs rebus & creaturis opus habuit, quibus Dei voluntas vel ei indicaretur, vel confirmaretur. Ergo Arboribus illis & sacramentis egebat Adam. Deum verò per seipsum & suam essentiam loquentem intelligere absque voce articulata idem non poterat. Ergo vocem sibi finxit Deus (vti in mõte Horebo, quũ Legem suam dedit Exod 20. & sæpè aliàs) & quidem sonoram, & articulatam, qua cum homine primo loquebatur. Q. Vtrum Præceptum de non edendo fructu Arboris Scientiæ boni & mali vtriq; Homini, id est, Euæ & Adamo datum est primum à Deo. R. Augustinus lib. 8. de Genesi ad literam, cap. 17. ait, [Deus ordinatissimè præcepit, id est, præceptum hoc primum dedit Adamo seu viro] & quidem tunc soli, vtpote quum nondum esset creata fœmina, vt per virum seu Adamum, postea idem hoc præceptum ad fœminam perueniret. Quam disciplinam seruat & in Ecclesia Apostolus, dicens 1. Cor. 14. 35. [Siquid autem discere velint, domi viros suos interrogent mulieres.] Q. Vtrum nulli morbi in Adamo, & posteris eius futuri erant, si non peccasset Adamus. Videntur enim morbi in ijs esse potuisse, quanuis immortales futuri erant. R. Arbor vitæ erat omnis morbi, omnisque calamitatis, infirmita-

mitatis, & ægritudinis ex Adamo, eiusque posteris à Deo ipso tollendæ sacramentum, & aduersus eos præsentissimum remedium. Ipsius enim tum esus tum etiã solus aspectus ex fide morbos, & defectus omnes, ac dyscratiam ex Adami corpore fugasset, quemadmodũ solus in Deserto Serpentis ænei aspectus ex fide tollebat aliorum serpentum venena, Num.21.9. Ioan. 3 14. Sunt enim morbi & infirmitates præcursores mortis, & vexatio corporis, quæ vtraq; tunc, id est absque peccato Adami, nulla futura erat, Psal 73.3, 1.Cor.15.56. Iam de Nominum impositione agamus.

Ad V. De Nominum Impositione.

Q. Quando Adamus nomina imposuerit Animalibus. R. Quoniam rationem seriemque temporis, quo res vnaquæque gesta est, sequitur Mose: & post nomina rebus imposita condita fuit mulier: Deus autem ab omni opere suo creando die septima quieuit, necessariò colligitur nomina fuisse imposita Animalibus ab Adamo die sexto, id est, eo ipso die, quo creatus fuerat Adamus. Vide Augustinũ lib 9.cap.1.de Genesi ad literam. Q. Qua lingua nomen cuiq; Animali sit ab Adamo primùm impositum. R. Augustinus lib.16. Ciuit. Dei, cap.11. scribit, & sentit Hebræa lingua fuisse nomen cuiusvis animalis nuncupatum ab Adamo, quòd ea lingua & prima omnium extiterit, id est, à principio Mundi: & in diuisione linguarum minimè corrupta fuerit, sed integra permanserit. Hæc Augustini sententia est, quam omnes sequũtur, & eam primã Mundi linguam Hebræam ab He-

ber postea dictam fuisse volunt (quanquã postea eadem quoque Chananaa dicta est, Isa.19.18) & sanctam. Eam autem prorsus incorruptam semper mãsisse, ac talem (quali Adamus ipse vtebatur) alij negant. Certè multa vocabula peregrina .i. tum Syriaca, tum Chaldaa, tum Persica irrepsisse in linguam Hebraeam (quae & qualis nunc extat in libris sacris, nedum in communi Iudaeorum colloquio & vsu) certò certius est, & nemo vel pius vel eius linguae peritus diffitebitur, aut negauerit. Incorruptior tamen, quàm alia vlla, perstitit, ac Dei beneficio, perstat. Q. Vtrum rebus omnibus creatis in hoc visibili Mundo (nam Adamus cœlestibus, velut Angelis proculdubiò nomen non dedit) imposuerit Adamus nomen. R. Praeclarè docet Augustinus lib. 3. de Genesi ad literam cap. 11: Varia esse animantium genera, velut Volatilia, Reptilia. seu Aquatilia & Quadrupeda seu Iumẽta: sed & haec suas quoque species habent diuersas. Videtur autem, ac colligitur, vt nonnulli volunt, ex Gen. 2.20. Adamum primum aquatilibus animantibus, id est, Piscibus nomen minimè dedisse. (Nam neque ad Adamum adducti fuisse Pisces dicuntur, neq; volatilium cœli, vel bestiarum agri nomine cõprehenduntur, Gen. 1.21.25. quibus duobus duntaxat animantium generibus videtur Adamus nomen dedisse.) Deinde neque plantis terrae, vel herbis, vel etiam arboribus videtur Adamus nomen imposuisse. Denique neque astris, seu stellis ipsis, vel cœlestibus qui dicuntur, orbibus. Ergo tot rerum genera non videtur Adamus proprijs nominibus appellasse, Gen 2.19.20. Et haec est quorundam sententia.

Verùm

Verùm quum omnia hæc in vsum hominis creata fuissent, eisque omnibus, velut Dominus earum Homo dominaretur, Psalmo 8, Hebr. 2 8, Gene. 1.29, & 2. 16. certè & ijs quoq; rerum generibus omnibus & singulis, velut seruis suis, & rebus sibi à Deo dicatis, nomen Adamus imposuit, vt ijs ipse vteretur, etiam Sole ipso & Luna quemadmodum Iosua fecit, Ios. 10.12. & de ijs cum vxore, & posteris suis Adamus loqui ad Dei gloriã posset. Quare verba illa Mosis [Indiditq; Adam omnibus iumentis, & volatilibus cœli, & omnibus bestijs agri] per synecdochen sunt explicanda, vt ex parte totum rerum creatarum omnium genus intelligatur ab Adamo nomen accepisse: Nam si hæc maiora nominauit Adamus, multò magis & illa minora velut herbas, arbores, quas facilius nosse poterat, quibusq; ad esum suum quotidianum ipse frequentiùs vtebatur.

Q. Vtrum bestiæ fuerint in Hortum ipsum & terrestrem Paradisum ad Adamum adductæ, vt videret ecquod nomen cuique rerum speciei inderet, Gen 2 19, quum eundem Hortum Adamus Dei iussu sedulo custodiret, ne in eum bestiæ illæ ingrederentur? R. Adductæ quidem à Deo dicuntur ad Adamũ bestiæ agri: sed locus non additur vbi illæ consisterint, aut vbi, interea dum nomen sortiuntur, subsederint, Vtrum foris extra Hortum: an potius in Hortum ipsum venerint, quem illo tam breui tempore, quo quæque bestia & animal nominabatur, non corruperunt. Erant enim tunc veluti & postea quũ ingressæ sunt iussu Dei in Arcam Noachi, placidissima omnia animan[t]ia [n]on autem petulantia, vti nunc sunt Gen. 6. 19. Vide Augustinum

lib. 3. de Genesi ad literā cap. 15. & 16, & lib. 9. cap. 14 & 12. Ego verò sentio postquam nomina bestijs Adamus imposuisset, iussum fuisse custodire Hortum, ne passim vel gregatim illæ postea in eum introirent, & tantā illius Horti venustatem atque amœnitatem corrumperent ac confunderent: non tamen vt nullæ omnino, aut nunquā in Hortum eum (Adamo nempe iubente, volente, vel accersente) bestiæ ingrederentur. Nam in eum ipsum Hortum postea Serpens introijt, & Euam tentauit, Gen. 3. 1. 2. His autem expositis, ad Creationem Mulieris accedamus.

Ad VI. De Mulieris Creatione.

Quæritur ex qua costarum parte, supremáne an infima, sumpta sit ea costa, ex qua Mulieris corpus à Deo cōpactum est, ac cōpositum Gen. 2. 21. R. Res ipsa docet ex inferioribus costis sumptam fuisse eam costā, seu costas, ex quibus Mulier condita fuit à Deo. Nam & costas habent Mulieres vna plures, quàm Viri: & inferiores virorum seu Marium costæ appellātur Nothæ, quia breuiores sunt, & caro potius, quàm os, vel costa videntur esse. Costæ, inquiunt Medici, quæ à Græcis πλευραὶ dicuntur, in omnibus ferè animantibus viginti quatuor sunt, ab vtróque scilicet latere duodecim. Septem priores longiores, Græcis γνήσιαι, Latinis veræ & legitimæ dicuntur. Reliquæ inferiores breuiores, & ad pectus haud pertingentes, quinque in quouis latere, νόθαι Græcè, Spuriæ Latinè nominātur. Hæ ad septum trāsuersum desinunt. De quo & Fuschius, vnde has transcripsimus, & Cornelius Celsus lib. 8. cap. 1. & Ioan-

Ioannes Fernelius lib.1.Physiologiæ,cap.3. Ex inferioribus verò costis sumpta est mulier, vt se dignitate inferiorem esse agnosceret suo viro, è cuius corpore desumpta fuit. Ex latere verò viri sumpta est ad ipsius Maris & fœminæ coniunctionis vim commendandam,& vt socia sui viri esse intelligeretur. Augustinus lib.9 de Genesi ad literam cap.13. Petrus Lombard. lib.2.Distinct.18. cap.[Quum autem.] Q. A quo Mulier creata sit, vtrū à Deo ipso costa illa fuerit Adamo detracta,an ab Angelis. R. A Deo ipso. Nam quòd eam costam fuisse per Angelorum ministerium Adamo dormienti detractam putant nonnulli,vt ait Augustinus lib.9.de Genesi ad liter.cap. 15, colorem non habet. Cur enim istud minùs Deo cōpetit,& conuenit, quàm ipsummet Deum è terra puluerem accepisse,ex quo primū Hominem creauit? Certè in hac prima rerum creatione nullæ sunt, fuerúntve Angelorum partes, nec istius operis portio vlla ad eos deriuatur in S. Scriptura: nec alius, quàm vnus est cuiuslibet creaturæ seu paruæ,seu magnæ creator, nempe verus Deus. Vitanda tamen est hoc loco puerilis de Deo,& Dei manibus cogitatio,quemadmodum rectè monet Augustinus lib.6.de Genesi ad literam.cap.12: Fœminæ verò primæ corpus à Deo creatum est ex illa costa,eo sexu,ea forma,& ea distinctione membrorum, qua fœminæ nobis hodiè quoque notæ sunt. Hæc enim eadem fœmina postea peperit Cainum, & Abelem, & fœminas alias similes nostris,ex quibus postea procreatum est reliquum genus humanū, quemadmodum præclarè scribit lib.9.eiusdem operis idem August.cap.11.

Q. Vnde creata sit anima Mulieris, vtrum ex Adami costa, an in corpus Mulieris iam factum à Deo insufflata postea, quemadmodum & in Adamũ ipsius virum. R. Placet Augustini lib. 10. cap. 1 de Genesi ad literam hæc responsio, [Quoniam Deus omnes animas hominum nascentium facit, sicut primam: propterea Scriptura de alijs tacuit (vti & de anima Euæ) quoniam posset, quod in vna factum cõmemoratum est, etiam de cæteris prudenter intelligi.] Alioqui Scriptura non siluisset, si quid diuersum in Muliere factum in eo fuisset, quàm in viro Adamo. Ergo frustra se torquent in hac facili quæstione Scholastici soluenda. Q. Vbi creata sit Mulier prima. R. In horto Edenico, queadmodũ ex ipso Mosis cõtextu satis apparet Gen. 2. 15. 21. Q. Quãdo creata, seu formata fuerit prima Mulier. R. Sexto die, & post Adamũ conditũ, & imposita animalibus nomina. August. lib 6. Genesi ad liter. cap. 2. ait, [Neque enim sexto die factus est masculus, & accessu tẽporis facta est fœmina, sed fecit eum, inquit Moses Gen. 11. Masculũ, & Fœminam.] Idem cap. 5, & 6. Quòd si creari Mundus cepit, vt vult Augustinus in lib. Quæst. ex vtroque Testamento mixtim cap. 106. in æquinoctio verno, prima die mensis Nisan primo die Pascha, seu vndecimo Calend mensis Aprilis, id est, XXII. Martij mensis nostri, Homo vterq; conditus fuerit die XXVII Martij. Verùm non in æquinoctio verno, sed potius autumnali factus est Mundus, mense Septembri medio. Q. Vtrũ Mulier sit à Deo rerum hîc creatarũ Domina constituta, vti & Adamus ipsius maritus. R. Quum ad Dei

ima-

imaginem, quemadmodum & vir ipsius Adamus, fuerit condita Mulier, illiusque imaginis pars quadā sit, ac fuerit dominium illud in res creatas, Psal. 8. certè fuit Mulier Domina quoque rerum hic conditarum à Deo constituta, vti & Adamus: eiusdē felicitatis particeps quemadmodum & ille: atq; etiam nunc est æternæ, 1. Pet. 3. 5. 6. & eorundem donorum κοινωνὸς, & capax, quorum Mas. Vnde & Plato lib. 5. de Repub. & Basilius (ex quo suum Hexameron descripsit Ambrosius) Homil. 10. in Hexameron sentit in genere humano parem esse Maris & Fœminæ indolem: eorundē donorum & operum vtrumq; capacem: parémque denique naturam esse vtriusque. Iam de Matrimonio primo agamus.

Ad VII. Matrimonij Institutio.

Q. Quando coniugium inter Adamum & Ischā (quæ & Eua seu Chaua est) primum institutū fuerit, vtrum die sexto, an septimo (est enim ex Pythagoreorum sententia numerus septenarius coniugij symbolum, vtpote qui contineat quattuor velut Marem, & tria velut Fœminam) an octauo potius die, vel sequentibus.

R. Augustinus lib. 14. cap. 22. de Ciuit. Dei scribit Masculum & Fœminam homines fuisse, & quidem verè, inter quos à Deo coniugium institutum est primitùs, vt nunc homines duo diuersi sexus videmus, & nouimus: neque ista Mosis verba esse allegoricè interpretanda, vt Mas sit ratio hominis: fœmina verò sit eiusdē cupiditas Hoc enim sentire, ait, est magnæ absurditatis. Verùm lib. 6. cap. 3. de Genesi ad liter. idem tra-

dit Coniugium inter Marem Adamum, & Ischam seu Euam mulierem nequaquam eodem die institutum, quo vterque creatus est, nempe die sexto, vt ibidem idem docet, cap. 2: sed neque septimo, id est, proximè sequēti: verùm die octauo, vel alijs aliquot ab vtriusque creatione interiectis diebus. Etsi verò Moses Gen. 1. 28 statem post creationem hominis subijcit, [Et benedixit eis Dominus, & dixit, Crescite, & multiplicamini, &c.] tamen videtur series rerum gestarum, & narratarum Genes. toto capite secundo, & eiusdem cap. vers. 22. postulare, vt alio die fœmina creata fuerit, alio Coniugiū institutum. Ergo per anticipationem scripsit Moses, quod tradit Genes. 1. 27, & 28. de Coniugio, vt totam historiam istam semel absolueret, & vno velut orationis filo continuaret. Et certè quidem Eccles. 17. 5. 6. vbi Mulieris creatio narratur, ex cōmuni, quæ tunc erat recepta, Iudæorum sententia, nulla coniugij, illiusve institutionis fit mentio. Ex quo apparet sic verba Mosis Gen. 2. 22. ab illis populariter explicata fuisse, vt alio tempore condita prima fœmina fuerit, alio autem Coniugium inter eam & Adamum institutum sancitumque à Deo. Quam ego quoque sententiam amplector. Ergo post septimum diem coniuges facti sunt Adamus & Eua. Q. Vtrum Adamus Ischam vxorem suam in Paradiso seu Horto Edeno ante peccatum cognouerit: Atque vtrum quæ inter eos eiusque posteros si non peccasset Adamus, copula carnalis erat futura, turpis esset. R. Patres, vti Basilius, Hieronymus, Ambrosius, & ex ijs alij fere sic sentiunt: In Horto Edenico seu Paradiso Terrestri ante peccatū Hominis fuisse

qui-

quidem inter Adamum & Euam Coniugium, & vinculum: non tamen coitum & nuptias. At vbiq; contra Pelagianos docet Augustinus, si Adamus minimè peccasset, futuros fuisse omnes hominis affectus, & actiones absq; turpitudine, sordibus, & spurcitie: quare & coïtus quoque coniugalis tunc absque turpi cupiditate & peccato erat. Sic lib 9 de Genesi ad liter. cap. 3. & 9. Imò verò idem Augustinus lib. 14. cap. 23 de Ciuit. Dei, grauiter eos reprehendit, qui putant homines Adamum & Euam inter se coïturos non fuisse, nisi peccassent: [quasi verò, inquit, propter numerositatem sanctorum necessarium fuerit peccatum.] Ergo ante primum peccatum cupiditas, appetitúsque coïtus, & copula carnalis in homine erat honestus, sanctus, omni turpitudine, etiam coram Deo ipso carens: poterátque inter Adamum & Euam esse, atq; inter eius posteros. Copulam verò illam carnalem inter Adamum & Euam fuisse etiam ante peccatum, quæ causa vel ratio negare obsecro, suaserit? Certè nulla. Imò hæc fortasse coget fateri eam copulam ab iis ante peccatum exercitã fuisse, quòd dictum iis in Paradiso seu Horto fuerat à Deo iam præcipiente, [Crescite, & multiplicamini.] Hoc enim ipsum verba hæc sonant, vti coeãt iam tum, id est etiam ante peccatũ. Ergo accesserat Diuina autoritas, de quo tamẽ videtur ambigere Augustinus lib. 9. cap. 4. de Genesi ad literã. Quemadmodum igitur Adamus & Eua ederunt, biberunt, dormierunt ante peccatum: sic coïerunt. Erant enim tunc omnes istæ actiones & honestæ, & naturales. Q. Vtrum Ischa vxor Adami conceperit Cainum ante peccatum. R.

De eo nihil quicquam certi statui potest, quanuis fateamur & concedamus Adamum, & Ischam (qua & Eua) coysse ante peccatum. Nam quòd Caini anni & cæterorum numerantur & sumuntur ab annis Adami, nihil probat, aut concludit. Probabilius tamen est non fuisse conceptum. Q. Vtrum si Adamus non peccasset, ipse ac Eua, & eius posteri tam Mares, quam Fœminæ perpetuò fœcundi futuri fuissent & quauis ætate liberos potuissent gignere. R. Plane curiosum est hoc quærere, & temerariū definire. Illud modò statuatur, quodcunq; naturæ vel humanæ vel alterius cuiusquam iam vitium est, vel labes vel sterilitas vel infirmitas, id omne ex peccato Adami profectum, ac infusum esse: Principio autem rerum nulla vitia vel extitisse, vel futura fuisse absque peccato. Q. Vtrum quisque cum propria vxore sic ante mortem inductam coyset vt post ę litum semel ab ea partū amplius eam cogniturus non fuerit, quum immortales futuri essent homines, & terra statim replenda videretur, si ex eodē Coniugio plures sæpiusq; liberi susciperentur. Nūc autem hominum quotidiana continuáque mortalitas dispendium interitus noua assiduaq; aliorū hominum procreatione, etiam ex eodem coniugio nascentium reparetur. R. Nec hoc ipsum ex Dei verbo definiri potest: etsi de eo nonnihil Augustinus lib 9. cap. 9 de Gen. ad liter. Certum tamen est tunc futuros fuisse compositos, & moderatos omnium hominum affectus, vt neq; lasciuia, neque salacitas, neque intemperies vlla in eorum coïtu, vlláue actione futura fuerit. Sed ad statum primi Hominis, qualis fuerit ante peccatū, accedamus.

Ad

Ad VIII. De Statu vtriusque hominis.

Q. Vtrum Imago Dei in Adamo, id est, masculo, & Ischa, id est, muliere omnino par erat. R. De hoc ipso videtur Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 12 aliquid quærere, sed non definire. P. Lombardus lib 2 Sentent. Distinct. 32. cap. vltimo. de hoc disputat, quũ hoc controuertit, Vtrum omnium hominum animæ creentur inter se æquales. Ego verò vt quid sentiam liberè promam, atque symbolum quoque & ipse de ea re meũ conferam, Dico Marem quidem & Fœminam id est, Adamum & Ischã ad eandem vnius & eiusdem Dei, nempe veri Imaginem conditos fuisse, Gen. 1 27: Eius tamen Imaginis radios, viuacitatem splẽdorem, aciem, & vim in Adamo, quàm in Ischa, .i. in Mare, quàm Fœmina maiorem, efficaciorem, & potentiorem fuisse, vti in eodem corpore fortior manuum est dextera. Ergo & per Maritum Uxor Dei præceptum didicerat, etiam ante peccatum: & eam Satan per Serpentem potius quàm Adamum adortus & aggressus est, tãquam infirmiorem: & prima peccauit Eua, non autem Adã, Gen. 3. 1. Tim. 2. 14. Nam & in Angelis quoque ipsis alij alijs à Deo conditi sunt excellentiores, quanquam omnes ab initio suæ originis erant ad Dei imaginem, & eam quidẽ lucidiorem, quàm Homo, creati, Iob. 4. 18, Iud. ver 6. Hæc autem distinctio, discrimenque in posteris Adami, id est, in genere humano postea fuisset obseruatum. Nam Mares quàm Fœminæ, viuidiores, viuaciores atq; δρασικώτεροι futuri erãt. Q. Quid sibi vult Paulus, quum de primo Homine vtroque lo-

quens, qualis ante peccatum erat, ait eum fuisse εἰς ψυχὴν ζῶσαν, id est [animal viuens:] non autem εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν, id est [Spiritum viuificum.] 1. Cor. 15. 45. An vt hominis adhuc puri felicem illum statum deijceret. Nam id etiam ad Euam pertinet, quanquam à Paulo dicitur de Adamo. R. *Augustinum etiam ipsum vexauit hæc quæstio, quemadmodum apparet ex eius libro Genesi ad literam cap. 19. & 25. Lib. 13 Ciuitate Dei cap. 23. Nonnulli existimarunt corpus Adami primùm quidem factum fuisse animale: sed quum Adamus in Hortum Edenicum translatus est à Deo, conuersum fuisse in corpus spirituale, vt esset immortale: quam sententiam refutat idem Augustinus, eodem lib. 6. cap. 20, & 23: & certè quoque falsa est. Scholastici de hac eadem quæstione multa, velut Thomas, & Durandus in librum P. Lombardi sententiarũ secundum, distinct. 19. Verùm ibidem Lombardus ipse melius: Sic enim scribit. [In primo statu fuit corpus Hominis animale, id est, egens alimonijs ciborum. Vnde & Homo factus dicitur in animam viuentem, non spiritualem, id est, in animam corpus sensificantem, quòd adhuc erat animale, non spirituale, quod egebat cibis, vt per animum viueret. Factus est ergo in animam viuentem, id est, vitam corpori dantem per sustentamenta ciborum. Et tunc erat corpus Hominis mortale, & immortale, quia poterat mori, & poterat non mori.] Ergo Adami caro etiam ante peccatum ita immortalis creata est, vt per alimoniam adiuuanda esset, quò mortis & doloris esset expers. Nam Adamus, vt & cætera animalia, ad corporis vitam cibis egebat. Itaque illi*

à Deo

à Deo designatæ ad victum fuerant herbæ, & arborum fructus: & alia animalia quoque Anima viuens nominantur, etsi eorum vita non erat, vt Adami, immortalis Gen. 1.24, 29. & 30. Ergo anima Adami præbebat eius corpori vitam per cibos, iisque egebat ad sustẽtandum corpus, vti & somno ad concoquendum eos, & labore ad vires corporis illius tum recreandas, tum fouendas, vti & in ceteris animantibus. Erat tamen, si Deo obsequeretur Adamus, etiam immortalis corpore futurus, Dei beneficio: non autem ipsius animæ, aut naturæ suæ viribus, quemadmodum præclarè respondet Augustinus lib. 6. de Genesi ad liter. cap. 25: quicquid Thomas & Durãdus disputent, & Lombardus hæreat lib. 2. Sentent. distinct. 19. cap. 2. In animam viuentem dicitur factus esse primus Homo, non in Spiritum viuificantem, quoniam anima est quæ corpus viuificat, ne sit mortuum cadauer. Ergo ab ea iure denominationem sumit. Post resurrectionem præstantior erit vis illa viuifica, quam à Spiritu Dei corpus accipiet. Huius auautem Dei beneficij, futuræque istius immortalitatis etiam in corpore, (Nam anima hominis, quoniam erat imago Dei, erat immortalis) Arbor vitæ erat Adamo signum & symbolum: at post Resurrectionem, vti ait Paulus, erit Homo in Spiritum viuificantem, nõ quòd aliud ὁσία corpus, animamque aliam sit habiturus homo, quàm ea est, quam nunc habet. Sed anima Deo plena, illique indiuulsè coniuncta, perfectéque per Christũ tunc instaurata, nullis cibis & alimentis ad sustentandũ corpus sibi adiunctum egebit: Verùm vi illa, potestate, & efficacitate (quã immediatè à Deo accipiet, & quæ


Spiritus vocatur) se, corpusque suum potenter absque alio adminiculo sustinebit. Erit enim Deus tunc omnia in omnibus. Tanta igitur vis immediate tunc in animã à Deo infusa dicitur à Paulo [Spiritus viuificans] 1. Cor. 15. 45. Anima verò qualis erat, estque cibis egẽs etiam in primo Adamo nõ quidem ad se, sed ad corpus suum tuendum, vocatur à Paulo [Anima viuens.] Vide Damascenum libro 4 Orthodoxæ fidei cap. 28.

Q. Quomodo Homo corpus immortale habebat, si cibo sustentabatur. Nam corpus illud fame corrumpi non poterat: quamobrem cibo non egebat. Præterea, si propter peccatum mortalis effectus est Homo, vtique ante peccatum non egebat talibus cibis. R. Vt intelligeret Homo se solo Dei beneficio. (quandiu Homo ipse pareret Deo) nõ naturæ, id est, materiæ (qua ipsius corpus constabat, & vnde desumptum fuerat) vi & potestate futurum immortalem, voluit Deus, vt Hominis corpus, sicut & cæterorum animãtium, opus haberet cibis, & esca ad se tuendum. Id quod docet Augustinus lib. 13. Ciuit. Dei, cap. 23. lib. 3. Genesi ad liter. cap. 21: & confirmatur Gen. 1. 29, 30. Quare corpus illud naturâ quidem mortale erat: sed Dei gratiâ & sustentatione futurum erat immortale. Itaque fame corrumpi poterat per se. Sic Christi corpus naturâ sua frangibile fuit, & corruptibile: Dei verò decreto fuit infrangibile & incorruptibile. Psal. 16, Exo. 12. 46, Num 9. 12, Ioan 19. 36. Q. Si cibis egebat homo, vti & cætera animalia: quibus hãc suam vitam sustentaret, & quum eosdem cibos homo ederet, quos animantia reliqua, cur non & hæc quoque immortalia

talia futura erant. R. *Augustinus in lib. Quæst. Veteris & Noui Testamenti cap.19. respondet, Arbor vitæ, medicinæ modo, in homine corruptionem omnem prohibebat, ac prohibitura fuerat: ex qua solus Homo edebat, non etiam reliqua animantia. Ergo illa non fuissent immortalia, sed solus Homo. Nam gustus arboris vitæ corruptionem corporis inhibebat: adeò quidem vt, si, quemadmodum ibidem scribit Augustinus, post peccatum de eadem arbore illi concessum fuisset edere, Indissolubilis mãsisset, Gen.3.22.* Q. *Vtrum in Adami corpore, quemadmodum nunc in nostris aliquid ante peccatum deperditum fuisset, quod cibis, & nouo alimento sartiendum esset.* R. *De hoc ipso anxiè Thomas in lib.2. sentent. P. Lombardi dist.19. Art.1, & Durandus quæst.2. N.3, disputant. Certe deperditum aliquid fuisset, quod tamen nouus cibus plenè in primo homine & cæteris restituisset. In alijs autem animantibus non item. Ergo hæc mortalia, ille verò immortalis futurus erat. Nam corporis humani destructio futura non erat, quum ex eo quicquid esset deperditum, integrè illi reponeretur. Cibus enim perfectè in alimentum conuertebatur, & eadem mensura, vi concoctionis, restituebatur, qua oportebat, & prius in Homine erat.*

Q. *Qua statura Adamus à Deo primùm conditus est: Item & Ischa.* R. *Perfectissima, & consummatissima, adeò vt quicquid subsequentibus momẽtis & temporibus postea rebus inchoatis accedit, Deus rebus à se primùm creatis indiderit. Fuerunt quidem res primùm creatæ rerum eiusdem generis postea gignendarum velut semina: sed erant ipsæ in sese absolu-*

tissimæ. Sic Augustinus lib.6.Gen.ad liter.cap.10, 11. Imò etiam idem lib. 13.cap.24. Ciuit. Dei, scribit ea primorū parentum corpora, ac proinde cæterorū, perpetuò in iuuentutis flore fuisse permansura, id est, in eo vigore, in quo est adulta Hominum ætas, seu virilis, Ephe 4 13 Reliqua pete ex Gregorij Niceni libro de Creatione Hominis, quæ pertinent ad corpus hominis. Quæ verò ad eiusdem Animam, ex nostræ Isagoges Christianæ Tractatu De Homine.



CAPVT III.

Vestigia superioris Veritatis, & Historiæ



VETVSTISSIMAE Rerum Historiæ, & ipsorum Mundi penè incunabulorum certe nataliū (quæ res est nobis antiquissima) vestigia, quæ, magnâ Dei prouidentiâ, supersunt, collecturus, præfari debeo Nihil quidem esse Ethnicorum scriptorum testimonijs (quæ huic veritati nostris .i. Sacris literis comprehensæ cōsentiunt) admirabilius : nihil tamen à plerisque magis esse aut omnino neglectum, aut minus obseruatum, & annotatum. Cuius rei duplex ratio afferri potest: Vna, quòd res ista, quāquam verissima, dum ab ipsismet profanis,

fanis, & veri Dei ignaris hominibus recitantur, appellantur fabulæ, quemadmodum lib 1. Bibliotheca scribit & eas nominat Diodorus Siculus. Ex quo fit, vt tota hæc prima mundi ætas ea, quæ sunt fabulosa, duntaxat complecti ab ijs censeatur. Falsò quidem: sed tamen quoniam vetustissimam hominum memoriam continet, (cui plerique non assentiuntur) idcirco ea & ignota, & difficilis, & fabulosa dicta est, vt docet Plato, illius tamen vbique sanctissimus studiosissimúsque inuestigator, custos, & patronus, vti tum 3. lib. de Leg. tū in Timæo Dialogo. Altera neglecta tam vetustæ historiæ caussa est, Ipsamet eius Antiquitas, quæ facit vt à multis ignoretur: ac proinde minimè vera esse credatur. Præclarè enim Augustinus lib. 16. Ciuitate Dei cap. 43. Hæc prima Mundi ætas velut infantia Mundi fuit: quam demergit obliuio, sicut deleta est diluuio. Prætereà quotus quisque est, qui suam recordetur infantiā? Ergo nec Mundi primam infantiam norunt Homines: verùm suâ maximâ culpâ, vitioque. Nam hoc pacto & Deum laude pulcherrimorum ipsius, quæ tunc extiterunt, operum fraudant: & seipsos vtilissima, & iucundissima rerum notitia. Voluit tamen Deus etiam istarum, quātumvis à nostro seculo remotarum rerum, vestigia etiam apud ipsosmet homines Verbi ipsius contemptores extare ad suæ veritatis confirmationem, & hominum ipsorum arguendum stuporem ab ipsismet hominibus. Ergo etiam in hac ipsa prima Mundi historia euenit, quod habet prouerbium vetus, σοφὸς ἄλλος ἀπ' ἄλλου, id est, vt Sapiēs doceatur vnus ab altero: & per manus tam necessaria cognitio primùm trade-

retur, pòst autem etiam literis mādaretur ac consignaretur, ne prorsus tādem periret ex hominum memoria. Atque huius veritatis tam augusta, tamq́; conformia Dei verbo vestigia, & Ethnicorum testimonia collegerunt quædā ante nos nonnulli, velut Lactantius septem libris: Eusebius de Præparatione Euāgelica: Augustinus variè, sed imprimis in libris de Ciuitate Dei: Cyrillus in libris contra Iulianum: Theodoritus in libello περὶ ἑλληνικῶν παθημάτων. Denique nostro hoc seculo doctissimè Philippus Marneus-Plesseius in libro De Veritate Christiana. Nos verò quanquam fortasse nō Pindarica diligentia & interpretatione nostra addemus: quia tamen id instituti nostri ratio pollicitatioq́; requirit, breuiter ista eadem veritatis huius antiquissima vestigia colligemus, & recitabimus ex Ethnicis ipsis, illa quidem è multis pauca, & tantùm ea, quæ ante Christi Domini nostri aduentum, fidemque Euangelij inter Gentes propagatam in libris infidelium hominum extāt, quò certiùs appareat illa Ethnicorum Dicta ex ipsa vetustissima traditione inter eos populariter recepta emanasse, & eos cum Diuina veritate, quā sequimur consensisse. Cæterùm sæpe contenti fuimus locos ipsos autorum notasse: verba verò eorum non transcripsimus, quoniam id fuisset infinitum: & ea ipsa potest per se quisq́; apud ipsos Autores perlegere. Quædam tamen descripsimus.

Ad I. De Mundi Creatione.

AIT igitur Moses, [DEVS] Deum esse, eum, qui hæc omnia produxerit, docet Trismegistus autor

tor vetustissimus in Pimandro, Dialogo primo. Moses ait tenebras fuisse super faciem Abyssi: Trismegistus se vidisse, & extitisse vmbram quandam horrendam, quæ in rebus producendis demigrabat in humidam naturã. Moses docet omnia potenti Dei verbo facta: Trismegistus, Verbum illud, quod Mundum fecit, esse verbum lucens, omnia illuminans, germen mentis Diuinæ, Filiũ Dei. Ait Moses, Spiritus Dei fouebat molem aquarum: Trismegistus ait, Verbum vocis suæ sono fouisse humidam illam naturam, illique adstitisse. Moses denique ait, Et Deus dixit, [Crescite, & multiplicamini:] Trismegistus scribit, [Extemplò Verbo sancto Deus clamauit, Pullulate, adolescite, propagate vniuersa germina, & opera mea.] Quid igitur magis esse potest cõforme Mosi, & verbo Dei? Linus Poeta vetustissimus Græcus, vt est apud Diogenem Laërtium, initio libri primi de Vitis Philosophorum, sic scripsit, [Tempus erat, quo cuncta simul sunt condita quondã] Orpheus in Argonautis, & Hesiodus in Theogonia Mundum cœpisse, & ex quodam Chao à Deo factum fuisse disertè tradunt. Imò etiam idem Orpheus versibus scripsit librum περὶ κοσμογονίας, id est, De Creatione Mundi. Nónne verò hæc sunt verissima nostræ veritatis vestigia, quæ etiam apud Ethnicos apparent? Empedocles idem quoque docuit. Plato tum in Protagora, tum in Politico, tum in Timæo quoque, Mundum & factum non æternum, & quidem à Deo absque circuitione docet. Id quod Plutarchus quoque diligẽs eius lector obseruauit, & in Psychogonia annotauit. Platonici verò omnes, ait Varro, idem sentiunt. Nam tra-

dunt Mundum aliquando cœpisse, non autem æternum esse. Imò ipsemet Varro Historiã à Creatione Mundi ad primam Olympiadem contexuerat. Stoici Philosophi & ipsi Ethnici idem probarunt. Ouidius lib. 1. Metamorphoseos, ex Hesiodi, & Anaxagoræ sententia, nónne manifestissimè Mundum à Deo aliquando conditum ac formatum canit, docetq́; quum ait,

[Ante mare, & terras, & quod tegit omnia, cœlũ,
Vnus erat toto naturæ vultus in Orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles.
Hanc Deus & melior litem natura diremit.
Nam cœlo terras, & terris abscidit vndas.
Quæ postquam euoluit, cæcóque exemit aceruo,
Dissociata locis concordi pace ligauit.] *Seneca de vita Beata cap. 31. Item lib. 1. Quæst. naturalium. Cyrillus ex Ethnicis scriptoribus idem confirmat lib. 2 contra Iulian. & Eusebius lib. 9. cap. 4. de Præparatione Euangelica. Lactantius quoque Firmianus ex Sibyllinis versibus lib. 1. Diuinarũ Institutionum cap. 6. hoc ipsum demonstrat.*

Ἀλλὰ θεὸς μόνος εἷς πανυπέρτατος, ὃς πεποίηκεν
Οὐρανὸν, ἠέλιόν τε, καὶ ἀστέρας, ἠδὲ Σελήνην,
Καρποφόρον γαῖάν τε, καὶ ὕδατος οἴδματα πόντου. Id est,

Est Deus & summúsque, vnúsque: Hic omnia fecit
Et cœlum, & Solem, Lunámque, & Sydera cœli,
Frugiferam Terrámq́; & vasti littora Ponti.

Idem Lactant. lib. 7. cap. 7. Ex quibus penè infinitis Ethnicorum testimonijs Deum Mundum hunc condidisse apparet.

CREAVIT INITIO] *Trismegistus in Pi-*

Pimand. Dialogo 11. confutat eos, qui negant Deum aliquando potuisse efficere hunc Mundum. Plutarchus in Psychogonia reprehendit Heraclitum, qui Mundũ hunc, neque à Deo, neque ab Homine potuisse vnquam fieri contendebat. Etsi verò Philosophi non concedunt ex nihilo factum esse hunc Mundum tamen ijdem & factum esse, & quidem in tempore, eóque certo non antem eum ab æterno cœpisse fatentur. Imo de eo consensus penè Mortalium omnium fuit, Mundum hunc existendi principium seu initium habuiße quemadmodum tradit Diodorus Siculus lib. 1. cap. 1. Itaque Plato tũ in Protagora, vti dixi, tum in Politico, tum in Timæo disertè docet Mundum in tempore productum fuisse. Quin verò idem Diodorus Siculus à bello Troiano ad sua tempora tradit intercessisse tantùm Annos 1138. At Lactantius lib. 4. cap. 6. scribit à Propheta Mose ad bellum Troianum, non plus quàm 900. annos interuenisse, ac fluxisse. Porro à Mundi principio vsque ad Mosem extinctum seu mortuum, sunt, vt apparet ex Dei verbo, anni 2553. Summa ergo iam ista tota collecta efficit annos 4591, qui fluxerunt à Creatione Mundi ad Diodori Siculi, qui vixit sub finem imperij Augusti, ætatem ex ipsorummet Ethnicorum testimonio. Quæ secutus Macrobius lib. 1. Saturnal. minimè vetustam esse ait huius Mundi ætatem. Cæterum de Creatione Mundi hæc sunt quoque apud eos vestigia, quòd in Mundi materia definienda ipsi variant. Nam materiam Mundi censuerunt nonnulli Ethnici Philosophi rudem primùm & informem cui tenebræ insiderent: eamq; etiam nominarunt Chaos, vt Hesiodus, A-

naxagoras, Ouidius. Alij eam materiam maluerunt esse terram, vti veteres quoque plerique Philosophi, quemadmodū scribit Plutarchus, quā barbarè Moth, Græcè ἴλυν, id est limum (à quo ὕλη per inuersionem literarum factum est vocabulum) vocabant, ex quo limo nata sunt, ortáque omnia. Quod quàm parum à Creatione abest? Verùm rectè Plessius in lib. de Veritate Christiana cap. 10. Rectè, inquam, argumentatur ei, qui Mundum conditum à Deo fatetur, esse necesse, vt ex nihilo, non autē ex præcedente materia vlla factum agnoscat, ac concedat. Alioqui progressus fiet in infinitum. Quod ipsum antea Tertullianus contra Hermogenem seu Materiarios docuerat. Sic ex nihilo creatum eße Mundum apparet. Imo Sibylla apud Lactantium, libro 4. capite 6. Deum vocat κτίστην, id est, Creatorem disertè, non tantùm δημιουργὸν, id est, Exornatorem Mundi.

OMNIA] Aristoteles in lib. de Mundo ait, Νοῦς αἴτιός ἐστι πάντων, *& eadem Mens cuiq; rerum generi dat motum. Idem in lib. de Admiral. Audition. scribit, Mare olim tegebat totam terram, verùm Deus terræ partem discooperuit in vsum hominum. Id quod etiam ante eum dixerat Trismegistus in Pimandro. Animalia omnia primùm ex terra & aqua emanasse scripsit Euripides, & post eum Diodorus Sicul. eamq; fuisse veterum Philosophorum sententiam tradit Plutarchus lib. 1. de Placitis Philosoph. cap. 2. Horatius, [Quum prorepserunt primis animalia terris] Quæ omnia cum Historia Sacra consentiunt. Illa enim docet omnia Animalia vel ex aquis, vel è terra orta fuisse*

Dei

Dsi iussu, & præcepto. Hoc idem & isti quoq; Ethnici sentiunt & docent. Ecquod igitur nostra veritatis vestigium maius requiri potest? Solem, Lunam, & reliqua cœli sydera condita fuisse, vt essent nobis in signa, & dierum & temporum distinctionem, scribit Aratus in Phænomenis. Noctem die artificiali, id est, lucente priorem dixit Thales Milesius, vt ait Plutarchus in Conuiuio. Idem Druydes docuerunt, quemadmodum Caius Julius Cæsar lib. 6. Comment. Belli Gall. memoria prodidit, Itaque sic tempora numerabant Galli, vt diem nox præcederet. Hæc verò nónne planè cum Sacra Scriptura consentiunt?

PER VERBVM] *Trismegistus in Pimandro, Dial. 5. ait,* [*Mundum hunc Verbo, nō manibus fabricatus est opifex Deus.*] *Hoc autem Verbum idem Trif. Dial. 1. ait esse Intelligentiam seu Sapientiam æternam, quæ est etiam Filius Dei primogenitus, & mera eius voluntate, non coitu ab eo genitus. Orpheus citante Cyrillo, lib. 1. contra Iulian. in Cosmogonia sic scripsit,*

[*Cœlum adiuro te Dei magni sapiens opus:*
Vocem adiuro te Patris, quā locutus est primū Pater,
Quum Mundum vniuersum suis firmauit consilijs.]

Idem in Argonautis sæpius repetit. Lactantius lib. 4. cap. 6. ex Sibylla citat hos versus in eandem planè sententiā, consentientésq; cū veritate superiùs explicata.

Παντα τρέφον κτιστὴν, ὅστις γλυκὺ πνεῦμα ἅπασι
Κάτθετο, χ᾽ ἡγητῆρα θεῶν πάντων ἐποίησε.
Αυτὸν ἔδωκε θεὸς πιστοῖς ἀνδράσι γεραίρειν,
Αυτὸν σὺν γίνωσκε θεὸν, θεοῦ υἱὸν ἐοντα, Id est,

Hunc (vitam qui dat cunctis, estq́; omniũ alumnus,
Cuncta creans) cunctis præfecit Regibus ille.
Hunc cunctis Sanctis venerandum præbet eundem.
Hunc agnosce Deum, natúmque Dei Patris esse.

Ergo etiam huius veritatis vestigia tam magna in Ethnicorum scriptis extant, vt eos, si illam negent, ex illis confutemus.

Ad II. De Creatione Hominis.

EX LIMO SEV PVLVERE Terræ] *Creatum Hominem ex limo seu puluere Terræ docet Moses, eundemq́; esse vocatum Adamum. Hominem ex limo terræ primùm conditum fuisse Abydenus, & Alexander prodiderunt, vt refert Eusebius lib. 9. cap. 4. de Præparatione Euangel. Idem ipsum ex veterum Ethnicorum sententia Diodorus Sicul. lib. 11: ad cuius cõfirmationem affert exemplum ranarum, quæ ex limo terræ, Nilo recedente, in Aegypto nascuntur. Hunc ipsum hominem ex limo terræ à Deo ipso factum vocatum fuisse Adamum, vetustas etiam ex profano suoq́; oraculo intellexit, cuius hic est versus apud Iustinum Martyrem.*

Ὃς πρῶτον πλάσας μερόπων, Ἀδὰμ δὲ καλέσας, Id est,

Qui primum finxit hominem, Adamq́; vocauit.

Ex quo apparet, & ex eorum scriptis colligitur, & hominem ex terra conditum, & primum fuisse vocatum Adamum: quæ sunt certissima nostræ veritatis testimonia. Quid verò nomen Ischa (quo nominata est prima fœmina, & vxor Adami) nónne apparet in voce [*Isis*] *quam Aegyptij retinuerunt, magnámque, & anti-*

antiquissimam Deam esse voluerũt omnium parentem? Isis autem pro Issa ex Ischa Latini, & Graci pessimè postea pronuntiarunt, & descripserunt. Ergo vt Ischa est vxor Adami in Dei verbo: sic ex veteri Aegyptiorum traditione Issis fuit vxor Ossissidis, quam Latini Osiridem appellant, Aegyptiaca ad suum idioma mollientes, & transferentes. Adam nomen extat in vita Alexandri apud Plutarchum: Sic enim regina Cariæ vocata est, quæ fuit vetus memoria illius nominis, & vocis reliquia. Alius autem versus etiam apud Lactantium lib. 2. cap. 12 ex Sibyllis extat, hic nempe,

Ἄνθρωπον πεπλᾶσθαι θεοῦ παλαμαῖς ἐνὶ αὐταῖς.

Vbi Dei manibus formatum hominem apertè dicitur. Huic consentit qui multis postea seculis secutus est Ouidius, lib. 1. Metamorph. & ipse quoque Ethnicus:

[Siue recens tellus, seductáque nuper ab alto
Aethere cognati retinebat semina cœli,
Quam satus Iapeto mixtam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Horatius Flaccus lib. 1. Carm. od. 16 idem docet Prometheum ex limo formasse hominem. Idem quoq; Diodorus Siculus, lib. 1. Bibliothecæ. Ergo ex limo terræ conditum à Deo hominem etiam ex ipsismet profanis scriptoribus intelligimus, qui illa veteris vetustatis illibata vestigia retinuerũt, literisq; prodiderũt. Porro cur, id est, in quem finem conditus sit Homo his verbis consentienter Mosi tradit Trismegistus in Pimandro Dialogo 3. [Generatio hominũ, ait (sequuta est omniũ animalium ortum) ad diuinorum operum cognitionem: ad imperandum omnibus quæ cœlo teguntur: ad bonorũ

discretionem: ad incrementum & propagationem generis sui: ad cœlestium Deorum discursum suscipiendum: ad varium bonorum, & artium artificium inueniendum.] *Cicero lib. 1. de legibus, & in Somnio Scipion. lib. quoque 2. de Natura Deorum idem docet. Seneca huic consentiens in lib. de Vita Beata: Vt Deo seruiret conditus homo est, ait. Quid cum Dei verbo conuenientius scribi, dicive potuit? Certè nihil. Ouidius quoque lib. 1. Metamorphoseos,*

[*Os homini sublime dedit, cœlúmque videre*
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus.] *Hæc nónne sunt certissimi sacræ veritatis vestigia?*

AD IMAGINEM DEI] *Trismegistus scribit penè ex verbis Mosis in Pimandro dial. 1.* [*Hominem creauit Deus sibi similem.*] *Itaque ait idem Dial. 10. eiusdem operis, Non est terrenis brutis similis Homo, sed Deo. Suprà ex Ouidio idem demonstrauimus, dum dixit,* [*Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorũ.*] *Verùm apud Lactantium lib. 2. cap. 10. disertissimè Sibylla in Dei persona loquens, scribit*

Εἰκὼν ἐς' ἄνθρωπος ἐμὴ λόγον ὀρθὸν ἔχουσα, Id est,

Est Homo imago mei felici prædita mente. Et cap. 11. extat aliud oraculum Sibyllæ in eandem sententiã. Plato appellat formam hominis θεοειδῆ, & θεοίκελον, *id est, conformem Deo, & ad Dei imaginem expressam. Sed ante Platonem Archytas Tarentinus scripserat (sicut Iamblicus prodidit memoria in lib. de Secta Pythagoreor.) à Deo fuisse imaginem sui impressam Homini, eámque omnis cognitionis, rationisq; fuisse capacem. Sic enim, id est, talem eum Deus fecerat. Cicero ex li-*

ex libris Platonis de leg. & ipse lib. 1. de leg. sic ait, [Animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutū, memor, plenum rationis, & consilij, quem vocamus Hominem, praeclara quadam conditione generatum est à supremo Deo. Solum est enim ex tot animantium generibus, atque naturis, particeps rationis, & cogitationis, cuius caetera sunt omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni coelo, & terra, ratione diuinius?] Reliqua veritatis istius vestigia persequi est supernacaneum, ne dicā infinitum, cum nihil sit hac Ethnicorum hominum sententia magis tritum, Hominem in his terris esse Dei ipsius Imaginem.

Ad III. De Horto Edenico seu Paradiso.

De Horto Edenico, seu Paradiso (quis autē id existimaret?) extant etiam certissima apud eosdem Scriptores testimonia, & vestigia, quanquam sunt infideles. Ac primùm de nomine ipso Edenico seu Paradiso, esse, & notare delitiarum Hortum (quod vox ipsa Hebraea Gheden significat. Est enim Gheden voluptas, ac delitiae) constat. Nam & Chaldaei, & Persae, quemadmodum scribit Xenophon in libris de Paedia Cyri, & Expeditione Cyri, vocant Pardeis, quod Graeci παράδεισον dixerunt (deducto a Pardeis vocabulo) Latini verò à Graecis mutuati nominant Paradisum. Est autē Paradisus omnis locus amoenissimus, & voluptatis plenissimus, vt etiam A. Gellius definit, quem etiam Viuaria dici à Latinis putat, lib. 2. Noctiū Attic. cap. 20. Ex quo fit, vt Beatorum post hanc vitam sedes illa felicissima, Paradisus in Dei verbo passim nominetur,

Luc.23.44, 2.Cor.12.4, Apo.2.7. Hæc autē omnia ad nomen Hebræum Gheden alludunt, cuius significationem referunt, ac retinent: Imo vox ipsa Græca ἡδονὴ, quæ voluptatem significat, ab Hebræa deducta videtur Eden. Unde & Adonis siue Edonis regio (quæ Edene est) sed vitiosè à peregrinis Græcis pronuntiata Edonis, & Adonis, pro Edenis, vel Edene. Sibylla etiā apud Lactant. huius Horti delitiosi, id est, Edenici & Paradisi disertè meminit, lib.2.cap.12. his versibus, vbi de primis parentibus agitur.

Οἱ δὲ θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν, ἀέναόν γε
Ζωὴν κληρονομοῦσι τὸν αἰῶνος χρόνον αὐτοὶ
Οἰκοῦντες παραδείσου ὁμῶς ἐριθηλέα κῆπον, Id est,

Ergo Deum venerantes, verúmque, æternúmque,
Æternam nacti vitam quoque sorte fuissent,
Frondentem vt colerent Paradisi tunc simul hortū.

Quid magis simile Diuinæ veritati dici aut scribi potest? His etiam, etsi longa manu, videtur accedere & illud, quod Homerus ex veterum traditione, de campis Elysiis scribit, id est, felicissimo quodam huius Orbis loco, & quidem in extremis finibus orbis sito, in quo beatissimè boni, pijque homines viuerent, lib.5. Odyss. & ex Homero postea alij, tum Poëtæ, tum Philosophi sumpserunt. Porro Adonis Horti, & Horti Hesperidum tam celebres in Ethnicorum scriptis quidpiam quoque his simile, atque aliquod illius Horti vestigiū fuisse censeri possunt: de quibus Plinius lib. Hist. Naturalis 19.cap.4. Præsertim verò Adonis, qui dicti sunt, Horti, fuerunt hic ipse Hortus Edenicus. Præclarè enim in Aethico annotat Simlerus, [Adonis] pro

Edenis

[Edenis] regionem seu prouinciam illic scriptam esse, & nos supra diximus: Vnde [Adonis] à Græca voce ἀδώνις, Horti pro Edenis regionis horti dixerunt veteres illi, istius veritatis ignari: quanquã ijdem quendam Adonin Regem esse volunt, qui ex illius Regionis nomine sic appellatus fuerit. Et hæc quidem de Horto. Verùm de Edene regione, illiúsque fertilitate & fæcunditate (quanquam alio nomine, nempe tum Mesopotamiæ, tum Mattianæ regionis appellatione, quas vtrasque regiones Edene complexa est) etiam hæc vestigia supersunt. Moses scribit quattuor flumina ex Edene fluere, velut quattuor diuersa eiusdem Aquæ brachia, & diuortia. Herodotus lib. 5. qui est Terpsichore, ait in Armenia (quæ generaliter sumpta, vti fit ab Herodoto, Edenem quoq; regionem, comprehendit) quattuor flumina oriri, quorum vnus sit Tigris, alter Euphrates, tertius etiã Tigris, quartus Gyndes. Strabo lib. 16. Geographiæ, quattuor item flumina recenset ijsdem in locis, velut ex eodem fonte & monte manantia, nimirum Euphratem, Tigrim, Basilium & Aborram. Mutata quidem sunt, fateor, nomina (quid enim vetustas temporis nõ mutet?) sed quid Mosi in re ipsa magis simile? Vberrimum autem & fæcundissimum fuisse totum eum Edenis regionis tractum apparet ex Mose. Dionysius Alexandrinus idem hoc planè docet. Nam in libro de Situ Orbis nihil Mesopotamia, & Mattiana regionibus (quæ sunt inter se vicinæ, & Edenis regionis partes erant) in omni fructuum, ac pomorũ præsertim genere feracius scribit. Strabo de Mesopotamia eodem lib. 16. Geograph. ait, [Regio fæcunda

est, & maximè pascendis bobus idonea, fert quæ semper virent. & aroma amomum.] De eodem Plinius lib 6. Hist. Natur. cap. 26, & 27. Porro de Euphrate flumine, vt facilè agros certo anni tẽpore irriget, terrasq́; velut Nilus, impinguat, & faciliùs tamen cohibeatur, vide & Strabonem lib. 16. & Plinium loco iam citato, Solinum, Ptolemeum, & Ammian. Marcellin. lib. 14. Historiæ. Et hæc quidem sunt Edenis regionis, Edeniciq́; Horti vestigia, pauca quidem ex multis: verum alij plura colligent. Præterea enim quædam iam exposuimus de ea, in quæstionibus etiam ex Ethnicis. Nos enim breuitate, quam qui maximè, gaudemus: & digitum ad fontes intẽdere duntaxat voluimus, non autem ipsam Lectorum sitim explere, ne cuiquam industriæ, & laboris sui laudem præriperemus.

Ad IIII. De duabus Arboribus Paradisi, seu Horti.

Duas Arbores in Paradiso collocatas à Deo fuisse scribit Moses, alterius quarum vsus interdictus Homini fuerat, quo Dei interdicto violato per nimiam hominis tum superbiã, tum auiditatem cupiditatemq́; malum omne genus, & calamitas in Mundum irrepsit. Huius ipsius veritatis vestigiũ est, quod Timon Poëta in Syllis scripsit, vt refert Diogenes Laërtius,

Πάντων μὲν πρώτιστα κακῶν ἐπιθυμία ἐστίν,

[Omniũ scelerũ, ac vitiorũ concupiscẽtia prima caussa est.] Sed & illud eiusdem veritatis testimoniũ maius & clarius, quod ex Sibylla profert Lact. lib. 2. cap. 12

Ἄνθρωπον

Ἄνθρωπον πέπλασε θεὸν παλαμαῖς ἐνὶ αὐταῖς,
Ὅντε πλάνησεν ὄφις δολίως ἐπὶ μοῖραν ἀνελθεῖν
Τοῦ θανάτου γνῶσιν τε λαβεῖν ἀγαθοῦ τε, κακοῦ τε, .I.

Namq; hominē Deus ipse manu plasmauerat: atq;
Decepit serpens. sortemq; suasit adire *(hunc*
Mortis, notitiamq; vafer rectiq;, maliq;.

Hæc verò ex ipso Mose descripta quis non dixerit? Denique quid illud de Pandora muliere, & eius pixide figmentum Poëtarū (per quam omne mali, miseriæ, morbi, mortisque genus primum in Mundum inuectū esse scribunt, vti Hesiodus lib. 1. Oper. & Dier.) aliud sibi vult: aut vnde traslatum, nisi ex obscuris istius veritatis vestigijs, vti postea dicetur.

Ad V. De Nominum Impositione.

Cæterùm Nomina rebus ab Homine, velut earum Domino fuisse imposita scribit Moses, pro cuiusque rei natura. Huius veritatis scintillæ ac vestigia hæc extāt: Primùm, quod Athenæus lib 6. Dipnosophist. ex Cratete Poëta in bestijs scribit futurum fuisse tempus, quū res omnes, suis nominibus ab Homine citatæ, velut pisces bestiæ &c adfuissent praestò statim Homini, illique pro nutu paruissent. Legat locum illum qui volet. Cicero lib. 1. de Inuent. in Prœmio ait, Magnum quendā, & sapientem virum olim fuisse, qui res nominibus primus notauerit, docueritque sensa animi ex his exprimere. Plinius lib. 7. Natur. Hist. cap. 6. ait semper apud Assyrios literas fuisse. Sunt autem ad Orientem illi, vbi habitabat Adam. Quòd si literas, ergo & nomina primi habuerunt, id est, vocabula: verùm & ab

ijs ad alios linguam, & vocabula quoque emanasse, vti & literas, quibus scribuntur, verum est, & cum Mose, velut veritatis vestigium, consentit. Plato in Cratylo Dialogo, tomo 1. *totus in eo est, vt doceat Nomina rebus fuisse primùm imposita, velut earum* δηλώματα, *& similitudines earum naturam exprimentes. Denique concludit his verbis,* Δηλονότι ὁ θέμενος πρῶτος τὰ ὀνόματα, οἷα ἡγεῖτο εἶναι τὰ πράγματα, τοιαῦτα ἐτίθετο καὶ τὰ ὀνόματα, ὥς φαμεν, *[Nimirum qui primus nomina imposuit, qualem existimabat esse rerum naturam, talia & imponebat nomina, vt diximus.] Quid restat, nisi vt eundem Adamum appellet? Hæc verò quàm sunt omnia maxima veritatis nostræ testimonia, vestigiaq;?*

Ad VI. De Mulieris Formatione.

Mulierem ex mare homine dormiente, & ex eius costa desumptam scribit Moses. Huius veritatis vestigium extat apud Trismegist. in Pimand. Dial. 1. *& alijs, dum ait Hominem primùm à Deo factum fuisse Marem, & Fœminam simul, vbi & de vigilia hominis quoque agitur. Plato in Conuiuio ex eadem doctrina vult primùm Homines fuisse duplicis sexus, nimirum Mares, & Fœminas simul, & in vno eodemq; corpore, Androgynosq; propterea nominatos: quos Deus postea in Mares, & Fœminas seorsim distinxerit, secreuerit-que, quales hodie manent. Hesiodus Pandoram, quæ prima in humano genere fœmina fuit, & à viro conditam, & hominis specie efformatam fuisse contendit lib.* 1. *Operum & Dierum. Ouidius lib.* 1. *Metamorphos. tradit eandem esse & Maris Hominis, & fœminæ originem,*

ginem, nimirum è terra. Sed his omnibus maius testimonium restat, nimirum natura ipsa. Nam illius costa viri, vnde fœmina sumpta est, damnũ etiamnum hodie apparet in Maribus, qui (quemadmodum Medici docent) habent veras costas minus vna quàm mulieres. Quod ipsum quoque ad fœtus maiorem capacitatem, vterive faciliorem gestationem commodè mulieribus accidisse docent. Denique lib. 5. de Repub. Plato huius veritatis de creatione fœminæ hominis vestigium retinẽs, ait, Mulieres ad eadem prorsus studia, officia, muniáque natas, & natura aptas (Nam sunt eiusdem Dei imago) ad quæ & viri ipsi sunt, excepto coitus vsu & discrimine, propter quod illæ Mulieres, hi verò Mares & viri sunt, & vocantur. Idem Aristoteles lib. 2. de Generat. Animal. tradit.

Ad VII. Coniugij institutio.

Coniugium à Deo inter Marem vnum, & Fœminã vnam Homines institutũ fuisse scribit Moses, vt essent duo in carne vna. Huius veritatis vestigium perspicuum fuit inter Profanos, non tantùm quòd illi scripserunt Coniugia esse à natura, ac proinde à Deo (Nam illi Deum appellant Naturam) verùmetiã, quòd suis Coniugijs Deum aliquem præesse, alij Iunonem, alij Venerem, alij Iouem ipsum senserũt: & non nisi magnis religionum suarũ ceremonijs semper adhibitis, matrimonia contrahebant. Nam adhibebant flãmea, & cereos: imo sacerdotes quoq; ipsos Deorũ suorum, ex sententia Platonis, ad ea accersebant. Deum enim Coniugij præsertim inter homines autorem esse agnoscebant. Itaque

priusquam vxores ducerent, sacrificabant, & auguria capiebant: quæ si non fuerant bona, ab eiusmodi vxore, & nuptijs abstinebant, quòd eas, Deo autore earum nolente, facere non liceret. Terentius in Phorm. Act. 4. Scena. 4. Quod verò Brutorum inter se copulam vocat Matrimonium quoque Plutarchus in libello de naturali parentum affectu, per Metaphoram tantùm ab eo dictum est: non quòd Deum agnoscerent illi etiam infideles homines perinde copulationis Brutorum inter se autorem, ac principem, atque eius matrimonij, quod est inter Homines. Ergo etiam Plato lib. 5. de Rep. vult sacra, hymnos sacros, dies festos in cōiugijs interuenire, sine quibus matrimoniū nullum fiat inter homines. Imo idem lib. 6. de Leg. iubet, vt sponsus, & sponsa sobrij inter se prima nocte nuptiarum coëant, & conueniant, nimirum vt Deo placeant: à quo, ait, proles fructusq; coniugij sit expectandus. Quod verò marem hominem cū fœmina homine coire oporteat, non autem marem cum mare, fœminam cum fœmina, docuit eadem vetustas, ex sacræ nostræq; veritatis reliquijs, quæ superfuerunt. Nam idem Plato lib. 1. de Legibus, Ἐννοητέον, ὅτι τῇ θηλείᾳ καὶ τῇ ἀῤῥένων φύσει εἰς κοινωνίαν ἰούσῃ τῆς γεννήσεως, ἡ περὶ ταῦτα ἡδονὴ κατὰ φύσιν ἀποδεδόσθαι δοκεῖ. Ἀῤῥένων δὲ πρὸς ἄῤῥενας, ἢ θηλειῶν πρὸς θηλείας, παρὰ φύσιν, καὶ τῶν πρώτων τὸ τόλμημα εἶναι διὰ ἀκράτειαν ἡδονῆς, *id est, [Intelligendum est eam esse naturalem voluptatem, quum fœmina masculo copulatur ad generationem. Quum verò Masculi cum masculis, aut fœminæ cum fœminis copulantur illam esse præter naturam, & summum eorum, qui hoc primi ausi sunt, facinus ex fœda volupta-*

tis

tis intemperie natum.] *Praeterea lib.8.eiusdem operis ait hanc esse Naturæ legem, quæ ante Laij Thebanorũ regis tempora posita sit,* [*Ne masculo, fœmineve Venerem commiscere fas sit, id est, ne Masculus cum masculo, Fœmina cum fœmina misceatur, & coeat.*] *Denique, quod Vir & Vxor vna Caro fiunt per Coniugiũ, scripsit etiam ex veteri traditione Plutarchus in Erotico seu Amatario Dialogo. Amor enim iste, nempe cõiugalis (de quo disertè illic loquitur Plutarchus) ait, animas coniugum colliquat, vt iam neq; velint duo esse, neque duo se esse censeant. Eodem pertinet quod in Cõuiuio ait Plato, per coitum, præsertim coniugalem, fieri ex Masculo, & Fœmina velut vnicum hominem, vnicámque carnem, quales primùm erãt Androgyni. Denique scribit Horatius in Arte Poëtica fuisse primùm boni, prudentísque Legislatoris, qualis fuit Orpheus, imprimis* [*Concubitu prohibere vago, dare iura maritis.*] *Sic igitur Coniugium & honestum imprimis esse, & à Deo institutum vitæ etiam Ethnici ipsi veritatis nostræ vestigia sequentes, & retinentes existimarunt, & cœlibatui prætulerunt.*

Ad VIII. De Statu vtriusq; hominis.

DE Statu primo, ac fœlici vtriusq; hominis apud eosdem extant quoque vestigia quamplurima. Et primùm quidem de hoc, nempe homines fuisse primùm animo, & corpore prorsus immortales. Mors enim per peccatum est ingressa in Mundum. Idem enim scribit Trismegistus in Pimandro Dial.12. videlicet Hominem Dei capacem factum fuisse, consortémque naturæ

Diuina. Itaque & animam, & corpus habebat, ait, immortale. Secundo loco, dicitur homo tunc paruiſſe Deo, Hortum Paradiſum coluiſſe. Sic ſuprà ex Sibylla citante Lactantio, lib. 2. cap. 12: [Frendentem vt colerent Paradiſi tunc ſimul Hortum.] Plato etiam in Theateto, Hominis ſummam felicitatem & præſtantiam tunc fuiſſe, ait, quum ſimilis Deo eſſet, iuſteque viueret: atq; etiamnum hodie talem eum fieri debere, vt felix, & beatus viuat. Sed & homo tunc rebus omnibus dominabatur, cum beſtijs verſabatur. Hoc ipſum in Politico Dialogo Plato ex veteri traditione cõmemorauit. Idem Cicero lib. 2 de Natura Deorum, Deus, ait, Hominem finxit, & ornauit, quem voluit eſſe rerũ omnium principem. Hominis ergo cauſſa omnia in hoc Mundo eſſe facta docuerũt ex veſtigijs veritatis Stoici ante Chriſti in has terras aduentum, quemadmodum ſcribit Lactantius lib. 7. cap. 7. Docuerunt Iuriſconſulti, vti Brutus, ait Cicero. Sed quid cum iſta veritate magis conſentit, quàm quod his verſibus ait Ouid. lib. 1. Metamorphoſis, citátque Lactantius:

[Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet,
Natus Homo eſt.] Plato verò luculentiſſimè in Politico, Tom. 2. vti dixi. Scribit enim in Prima, Aureáque illa Mundi ætate, qua intemperies hominum nondum erat, Homines intrepide cum beſtijs fuiſſe verſatos, colloeutos, & his omnibus tanquam adiumentis, ad philoſophandum vſos, id eſt ad Deum contemplandum: atq; in eum, ait finem alij cum alijs, & cum beſtijs verſabantur. Ex quo fit, vt idẽ lib. 1. de Leg. appellet

ex veteri traditione Hominem[Diuinum miraculum, & opus, itémque μικρόκοσμον,] nimirum ex illa prima ortus sui conditione consideratum. Denique nihil tunc, id est, in eo primo hominis statu, seu ætate in toto mundo erat confusum, vel perturbatum, nec in cœlo, nec in terra. Omnia homini è terra sponte nascebantur, ius, pietas, rectúmque vigebat in Homine, quæ eadem veritas etiam in illis ipsis autoribus Ethnicis extat. Plato enim in eodem Politico sic ait, [Sub Saturni regno] id est, prima illa Hominis, & Mundi ætate adhuc pura, [cœli reuolutiones erant, sponte omnia nascebantur è terra, quod ei stellarum conuersioni, quæ nunc est, minimè quadrat, sed superiori potius cōueniebat. Tunc sanè toti illi circuitui Princeps inuigilabat summa curâ Deus. Tunc nihil erat ferum, neque alia alias se vorabant animātes: aberat bellum penitus, & seditio. Deus homines pascebat, ipse erat eorum pastor, & custos, quemadmodum homines nūc, quorum natura diuinior, cæterarum animantium genera pascunt. Deo igitur sic regente, ciuitatum constitutiones nullæ erant.] Ergo & scelus omne tunc aberat, vti & Hesiodus lib. 1. Operū & Dier. & ex eo describit Ouid. lib. 1. Metamorph.

[Aurea prima sata est ætas, quæ, vindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem, rectúmque colebat.
Pœna, metúsque aberant.] *Denique vt veteres omnes Philosophi sensêre, prodente Lactant. lib. 2. cap. 11, Mundi initio neque hyems, neque æstas, id est, vis nimia frigoris, aut æstus erat, hominésve lædēs: sed perpetua quædam cœli temperies, & ver æquabile rebus creandis, fouendísque aptissimum. Et hæc quidem tot*

tot sunt priscæ veritatis & nostræ de primo & felici Hominis conditi statu vestigia ex profanis scriptoribus à nobis ad ἀθέους, & Verbo Dei incredulos homines arguendos comprimendosq; collecta, & descripta.



CAPVT IIII.

¶ Collectanea ex superioribus, vbi de statu mundi Politico, & Ecclesiastico agitur, quis tunc vterque fuerit.

COLLECTANEA, quæ dicuntur à nobis, eò pertinēt, vt ex superioribus intelligamus, ac colligamus, tum ecquis Politicus, tum etiā ecquis Ecclesiasticus mūdi Status tunc fuerit, id est, toto eo (quod Adami peccatum antecessit) tempore. Et quidem is Politicus status (qui Magistratum leges, & vrbes cōplectitur) fuit, vt Magistratus quidem mundi totius esset vterq; Homo, Primus, & quidem summus, is, qui masculus erat: inferiore verò loco, Mulier. Videtur enim in eo superior fuisse Mas quàm fœmina: quòd Homo mas à Deo ipso didicerat discebátque, itémque acceperat, & accipiebat, quod postea fœminam docebat ipse, eique communicabat. In omnia verò Animantia imò in vniuersum mundum, vterque ius habebat par, non suum tamen,

men aut crudele imperium: sed vt tutor, & eorum clemens Dominus: quo vtebantur neque ad curiositatem, neque ad libidinem turpem qua carebat vterq; homo. Leges istius regiminis erant Dei ipsius præcepta, & sana tunc recteque ad illorũ obsequium composita Hominis vtriúsque voluntas, omni vitio carens & iniustitia, sed benigna, & iusta. Ciuitates tunc quoque nullæ erant ædificatæ: sed neq; eas exstrui fuisset necesse, quũ omni metu homines, quà a se, & quà à beluis prorsus vacarent. Metus autem & terror est, fuitque vrbium ædificandarum primaria quemadmodum demõstrabimus, inter homines causa. Et hæc quidem de Politico illius seculi Statu. Ecclesiasticus autem Status (qui in hisce quattuor versatur, nempe Dei verbo, eius Ministro, sacramentis, & loco) erat eiusmodi Verbum Dei, quod Adamo, ac proinde Ischæ (quæ & Eua) eius vxori innotuerat, a Deo ipso illi reuelatum, minimè autem scriptum erat. Continebat autem primùm Historiam Creationis totius huius Mundi, imprimisq; ipsius hominis. Deinde ius, & imperium Homini concessum à Deo in hanc rerum vniuersitatem. Denique futuram vtriusque Hominis, ac totius generis humani fœlicem conditionem, ac immortalitatem, si Deo Homines illi duo paruissent, seque in suo semper ordine continuissẽt. Huius verbi à Deo reuelati Minister erat Adamus vxori: ac proinde cæteri Mares fœminis, & Mariti suis vxoribus, & Parentes liberis Ministri, & Concionatores eiusdẽ Dei verbi erant futuri eodem modo. Sacramenta verò, quæ illi Dei verbo promissionique fuerant à Deo adiuncta, recensentur duo: nimirum v-

num, Arbor vitæ: alterum, Arbor Scientiæ boni, & mali, quæ postremæ edere à Deo vetitus erat Adam, addita grauissima pœna, quò magis timerent. Eam autem Arborem duntaxat cernere oculis, & manu tangere poterant. Nec enim id illis fuerat interdictum, vti nec vesci priore Arbore, id est, Arbore vitæ. Denique locus Ecclesiæ fuit, & futuræ quidem ipsius Dei cum Adamo, & posteris eius collocutionis Hortus. Ergo velut Templum, Mundi totius sacratius, & peculiare, Paradisus ille, siue Hortus Edenicus erat. Futuræ autem parentum cum liberis, & Maritorum cum vxoribus de eodem Dei Verbo communicationis, locus fuit mutua conuersatio, domesticumque consortium. Nulla tunc pecorum sacrificia Deo fiebant, vel futura erant, quoniam hæc sunt, fuerúntve futura Christi passionis symbola, quæ tunc, id est, si homo non peccasset, nulla futura erat. Laudes autem, gratiarúmque actiones Deo canebant primi homines, eiúsque posteri futuri eundem Deo cultum obtulissent, & nomen Domini inuocabant, vti & Dei sui, & parentis benignissimi. Et hæc quidem de primo illo, quod Adami peccatum præcessit, tempore.

LIBER



LIBER SECVNDVS SEV SECTIO SECVNDA PRIMAE MVNDI AETATIS, QVAE

continet Peccatum Primum Hominum, & quæ post illud gesta sunt vsque ad Publicam Nominis Dei Profanationem. Habet autem annos à Creatione Mundi ducentos trigintaquinque.

CAPVT I.

Continet Historica XVII.



ROPOSITVM est nobis in hac Sectione complecti breuiter ea, quæ ab Hominis Peccato ad publicam, & popularem Nominis Dei Profanationem contigerunt, prout ea Sacra Dei Scriptura tradit. Illa verò sunt varia, & multiplicia (Nam crescente & adolescente Mundo, creuit quoque Historia Mundi) numero septemdecim capita sunt, è quibus est

I. Peccatum Primum Primorum Hominum.

Adamus, & Ischa uxor Adami (quæ & Eua) primi Homines, & adhuc in Mundo soli, nondum propagato genere humano, liberè, prudentes, scientes & volentes mandatum Dei de non edendo fructu Arboris Scientiæ boni, & mali trāsgrediuntur, Satanæ astu (qui per Serpentis tunc pulcherrimi vaferrimique omnium Animalium os, ac ministerium eos allocutus est) mendacióque persuasi, prima quidem Ischa à Serpente, postea verò Adamus per Ischam uxorem suam. Vterque verò nempe Adamus, & Ischa primum peccāt ex magna infidelitate, vtpote Verbum Dei, id est, tum promissiones, tum minas sibi à Deo ipso factas negligentes, & minimè veras esse existimantes: magna item animi in Deum ipsum ingratitudine, beneficia Dei in se plus quàm in cæteras animantes præstantissima spernētes, suæque originis & conditionis obliti: Sed ex immani quoque superbia, ordinem & locum tam honorificum inter omnia huius Mundi opera à Deo sibi datum ac concessum deserentes, & abycientes. Præterea ex intolerabili perfidia locum Domini sui, id est, Dei ipsius regnum occupantes: Deinde Sacrilegio sese non vltro quidem, sed tamen sponte, liberoq́ animi consensu Diabolo, carnisq́, id est, voluntatis suæ Deo rebellis, & repugnantis, libidini & potestati (contradicente etiam tunc propria eorum conscientia, rationeq́) in perpetuū vendentes ac subycientes, & Deo sese substrahentes, ac suffurantes Domino suo & vero nempe, Gen. 3. 2. Cor. 11. 3, 1. Timoth. 2. 14, Roman. 7. 14, Ioan. 8. 44, 1. Ioan. 3. 8, Apoc. 12. 9, & 20. 2. Ergo infinita fuerunt in hoc vno peccato vitia & peccata.

Pœna

II. Pœna Peccati Hominum.

TAM Nefarium & immane Hominis vtriusq; spontaneúmque peccatum & sceleus, quanuis non vltroneum, grauissima in omnes peccati istius actores, autoresque primum: pòst autem in vniuersum quoque hunc Mundum Homini subiectum pœna à Deo ipso secuta, pronuntiatáque est tum generalis, tum specialis: omnis tamen iustissima. Generalis quidem in vtrumque Hominem, nempe Adamum, & Ischam (quæ & Eua) ac communis pœna, duplex secuta est, videlicet primùm turpitudinis ipsius suæ suique sceleris, ac iam nullitatis ob Deum offensum, nuditatisque agnitio: deinde Mors tum animi, tum corporis imposita, futuráque postea vtrique: vnde & morbi, & infirmitates (quæ ad mortem deducūt, hominisque compositionem dissoluunt) secutæ, & peccata nata sunt ex illa defectione prima à Deo nata, & Imaginis Dei in vtróque Homine summa labefactatio, id est, Tenebræ in mente: rebellio in corde, Gen. 3 7. 19, Psal. 73 4, Rom. 5. 12, & 6. 24, Apo. 12. 9. Hæc pœna communis fuit vtrique Homini. Peculiaris verò pœna, quæ Adamo seu viro & Masculo addita est, & ipsa quoque fuit duplex. Primùm nempe labor, Viri, & Maris præsertim, perpetuus & anxius in victu quærendo, quum anteà esset illi è terra in promptu sine labore, & in parato vberrimus, Gen. 2. 23. Deinde etiam in eo ipso labore Maledictio Dei, nempe quòd nequaquā vel semper, vel pro spe, vel pro molestiæ grauitate fructuosus sit homini labor suus, Gē. 3. 17. 19, 2. Thes. 3. 10, 1. Thes. 5. 14, Ps. 128. 2.

Pœna quoq; peculiaris Ischa(quæ eadem Eua)duplex fuit imposita, videlicet Primùm illius Subiectio sub Marito, ac proinde iuris in res omnes prioris(quod illa habebat) imminutio quædam, ratiocinationisq; etiã ipsius damnum: Deinde labor in partu, vexatioq; mulieris maxima, & incredibilis, quòd hominem dum parit, pariat Dei hostem & aduersarium, ipsius mulieris culpâ, effectum. Gen. 3.16, Ioan. 16.21, Isaia 37.3. Et hæc quidem pœna Hominũ fuit. At Serpenti(cuius ministerio vsus est Satan ad impellendum Adamum in peccatum) pœna quoque & ipsi duplex indicta est: Primùm nempe Maledictio Dei eum secuta est grauissima. Nam præ cæteris Animantibus Serpenti laboriosissima vita est, incessus abiectus, & laboriosus, victusq; difficilis, asper, & iniucundus: imò etiam reliquis Animalibus iam exosus est serpens, velut venenatum & fœtidum etiam alijs animalibus. Deinde perpetuæ illi cum homine inimicitiæ intercedunt: Caput enim serpentis petunt homines, vt eum prorsus extinguant: Serpens autem calcaneum hominis petit, vt hominem vulneret, & deijciat humi, Gen. 3.14, Psal. 58.4. & 91.13, Act. 28.4, Isa 65.25. In reliquum autem Mundum vniuersum etiam Peccati hominis pœna extitit, ac effusa est, velut in hæreditatem ipsi à Deo destinatam & rem hominis. Ac quidem in eos, qui ex vtroq; illo Homine postea nascituri erant, homines, pœna eadẽ transiit, quæ in primis illis Hominibus omnium hominũ parentibus suprà descripta fuit. Nam quum totum genus humanum futurum repræsentarent primi illi homines, (id est, & Masculos, & Fœminas futuras) ex ijs

duobus

duobus Reatus primum in posteros omnes eorum & singulos, id est, in omnes & singulos homines, culpáque transgressa est: ex Reatu corruptio eorum in animo & corpore: ex corruptione pœna quoque in eosdem iustè, velut ob propriã iam labem secuta est. Qua tria Peccatum Originale vocantur, quod ex Parentibus transit in liberos. Vnde dicuntur Homines illi duo postea, id est, post peccatum suum generasse homines ad suam, non autem ad Dei imaginem, Gen. 5.3, 1. Corinth. 15.49, Rom. 5.12, Ephes. 2.3. In reliquas autem Mundi huius partes pœna eiusdem hominum peccati effusa est grauissima, quoniam hominis gratiâ conditus fuerat, vti dixi, hic Mundus, illique velut domus & familia propria, datus a Deo. Ergo totus hic Mundus, eiusq; partes omnes & singulæ ob peccatum istud hominis vanitati, Deique maledictioni subdita, & quidem ex eo tempore fuerunt, vt neque priores (quas à Deo acceperant) vires retineant, neque pulchritudinem vsúmque tantùm homini prabeant. Praterea in maligno, id est, occasione peccãdi; & rerum abusu positus est totus hic Mundus, malitiâ hominũ deprauatus, Gen. 3.17.18, Rom. 8.20, 1. Ioan. 5.19. Diabolo denique ipsi (qui fuit istius peccati princeps, & autor, suasorque Hominibus Gen. 3, 1. Ioan. 3.8.) pœna imposita quoque est, eáque maxima, qua comprehensa est his verbis: [Ponã inimicitias inter te, & semen Mulieris, & conteret caput tuum,] vti postea docebitur.

3. *Promissio Messiæ, seu Seruatoris futuri.*

DEVS tamen spem salutis Hominibus etiam

post peccatum reliquam fecit. Nam ijs futurum Seruatorẽ ex Semine Mulieris statim pollicitus est, nempe qui caput Serpentis, ac proinde Diaboli (cuius Serpẽs minister fuerat) contereret, ac illius regnũ, & vim minueret, ac prorsus tandem euerteret, tolleret, ac conculcaret, Gen. 3. 15, *Apoc.* 12. 9. & 20. 2, *Mat.* 25 41 *Is autem fuit Christus, ex semine Mariæ Virginis & Mulieris sine semine viri, natus, qui toti quidẽ generi humano datus est à Deo Seruator sufficienter: ijs tamẽ solis efficaciter, & efficienter, & re ipsa, qui hoc remedium à Deo sibi gratuiter oblatum acceptant, & vera certáque fide amplectuntur, & recipiunt. Hi autem sunt soli fideles, & Electi Dei Mat.* 26. 28, *Acto.* 13. 48. *Porrò hunc generis humani Seruatorem, non tantùm Hominẽ ex semine mulieris esse, & fieri oportuit: verumetiam Deum, vt caput istius veteris Serpentis, id est, Diaboli vires, potestatem ac regnum immensum euertere posset, Isa.* 7. 14. *Mat.* 1. 23, *Rom.* 1. 2. 3. *Nulla enim vis nisi verè Diuina, tanti támque robusti hostis (qualis is fuit, qui hominem vtrúmque, & quidem purum, viuidum integrámque Dei imaginem adhuc gestantem deiecit) regnum, & potestatem prostrare, & vincere certè quidem quibat. Non vis humana, quam iam superarat Satan: non Angelica, quoniam & ipsemet Diabolus est Angelus, naturâ præstantissimus, Apoc.* 5. 5, & 12. 9. 10. *Ergo & Homo & Deus futurus erat hic Hominũ Seruator, ex mente Dei, & vera intelligentia huius Dei promissionis misericordissime erga homines [Ponam inimicitias (ô Serpens) inter te, & inter Mulierem hanc: similiter inter Semen*

tuum,

tuum, & Semen Mulieris: ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum, Genes 3.15, 1.Pet.5.8.] Huius autem Dei gratuita planè, & ex summa Dei benignitate & φιλανθρωπία profecta, Tit 3.4. promissionis triplex est effectum. Primum quidem generale, quod omnium hominũ (quatenus sunt semen mulieris) commune est, nempe, Generale dissidium inter homines & serpentes, Num 21.6, 1.Cor.10.9. hominúmque maior vis & ad nocendum serpenti potestas, quam serpentis animalis ad nocendum homini, Ecclesiastic.39. 35. Secundum est peculiare fidelium hominum (qui sunt Christi, id est, illius Seruatoris promissi membra) videlicet vires illis à Deo per Christum & Seruatorẽ illum concessa, ad vincendum etiam nunc ex parte diabolum, Rom 16.20, 1.Cor.15.57, 1.Ioan.5.4. Tertium denique effectum est, Proprium vnius & solius illius Seruatoris seu Christi tunc vẽturi, ac futuri hominis nimirũ Plena de serpente illo victoria, & totius regni ipsius abolitio, euersio, & internecio ab ipso Christo, seu semine Mulieris futuro facienda tunc, & quidem per seipsum, Mat.4.11, Ioan.14 30. 1 Cor.15 54: quæ ab eo iam facta est in sese: In nobis autem fit, ac impletur quotidiè.

IIII. *Mutatum nomen Mulieri Primæ.*

ISCHAE verò (quæ erat Adami vxor, sicque priùs ante peccatum vocabatur Ischa, id est, Virago.) Adamus nomen post peccatum immutauit, & pro Ischa [Chauam] appellauit: quod vocabulũ [Eua] conuersum fuit, etiam ab ipsismet Apostolis. Sic autem

F

eam nominauit, à spe suscipienda ex ea postea prolis & sobolis, id est, propagandi generis humani, Gen.3.21, 1.Tim.2.13, 2.Cor.11.3. quo ipso nomine voluit Euæ vxoris suæ dolorem, & animi mœrorem de suo peccato maledictione & doloribus partus lenire ac consolari (ne absorberetur) vtpote sapiens maritus, [Chauam] vocans eam, id est, hominum futurorum fontem & Matrem potius quàm [Motam] vel [Mauetam] id est, mortis generis humani caussam, & autorem, propterea quòd Deus ipse consolatus Euam fuerat, cum dixisset, [Et Semen Mulieris conteret caput Serpentis.] Ergo eam Adamus Chauam appellauit, attendens ad Dei promissionem, cùm de nascituro ex ea semine generaliter totius generis humani: tùm peculiariter de Semine illo, hominũ nempe Seruatore, seu Christo ex eadem futuro. Nam ex Eua & Adami semine natus est multis pòst seculis Christus, Luc 3.38. non ex coitu quidem viri, sed tamen ex vtriusque stirpe, videlicet ex Virgine Maria.

V. Vestitutus Hominum Primus & Vnde, & Quis.

VESTIVIT posteà Deus Hominem vtrumque, duabus de causis. Primùm, quoniam vtrumq; hominem pudebat cùm in vniuersum suæ nuditatis: tùm præcipuè eorum membrorum, quæ in vtróque genitalia sunt, id est, quæ ad generationem hominum peccatorum, & Deo iam exosorum postea futuram erant destinata. Hæc cernebat vterque ille homo Mas nimirum & fœmina

mina in se, & nuda, & præter cætera maximè pudenda propter peccati sui effectum, id est, propter suam sobolem, quam sciebat esse Deo iam maledictā: & propter motum, & affectum, qui in illis membris & primùm, & maxime turpis, & immoderatus iam sentiebatur. Nam antequam ea operiret, perceptus ab vtroq; homine fuerat statim post peccatum. Hic motus Libido nominatur, Gen.3.7 & 9 22.23, 1. Corinth.12.23. Quamobrem eas sui corporis partes velut indecoras iam texerat ipse vterque Homo ficulneis folijs, etiam ante accepta nimirum à Deo vestimenta, quibus reliquas sui corporis partes, & membra operirent. Deinde vestiuit Deus Hominem propter iniurias cœli, quas & tunc sensit, & postea sensurus erat. sentiúntque homines propter sua peccata iam molestissimas, Isa.32 2, Psal. 107.29, Deuter.28.23. Vestes autem eas conficit Deus, & cōtexuit ex pellibus animalium à se videlicet occisorum. Nam eas pelles ysdem bestijs mortuis Deus ipse detraxit, bestiasq; aliquas excoriauit, Gen.3.21, Mat.25.36. Ex quo apparet Vestitum iam esse partem vnā quandam præcipuam victus hominis, 1.Tim. 6.8. Porrò Deus tunicas pelliceas, id est, ex pellibus mortuorum animalium potius, quàm ficulneas, id est, ex folijs ficuum vel aliarum arborum contexuit, atque ijs Hominem vtrumque vestiuit, ac induit: Primùm, vt hoc suo vestitu assiduè admoneretur Homo vterque de sua conditione misera iam ac mortali effecta, imò etiam sese in media ipsa morte, & pellibus mortuarum bestiarum, quantumvis viuum, versari tamen agnosceret. Ergo viderunt Homines sese in illis pellibus adhuc

fœtidis ac recentibus esse, velut in sepulcro, & ijs inuolui velut impedimentis quibusdã. Deinde ea se habere aduersus cœli iniurias intellexerũt (quibus iam obnoxij propter peccatum facti erant) velut munimenta necessaria. Proinde hoc tam tristi spectaculo (quod vbique secum circumgestabant, atque etiamnum homines penè omnes gestant) & ipsi Homines primi, & eorum posteri terrerentur. Denique, vt pœnam mortis sibi denunciatam homo iam tunc ex parte animo sentiret, apprehenderet, ac postea meminisset semper, Iobi 4.19. Iac. 5.2. dum se vestitum cernit.

VI. Eiectio Adami & Euæ, post peccatum suum, ex Horto Edenico.

CAETERUM Deus Adamum & Euam prius à se contra cœli iniuriam, & ad tegendam eorum nuditatem post peccatum vestitos, ex Horto tamen Edenico non manu leniter educit, sed vi & terrore ijs iniecto eijcit, & expellit, Gen 3.23.24. Fugerunt igitur illi velut iam fures, aut scelerati, qui metu, conscientiáque perpetrati grandis alicuius maleficij pauidi, perterriti, & trepidantes, ex eo loco, vbi deliquerunt, eripiunt se, ac fugiunt. Prius tamen Deus eos increpauit, & quàm falsa essent, ac fuisset Diaboli promissa, quámque stulta & perfida Hominum ipsorum in se parentem infidelitas, ironica oratione (vt eosdẽ vehementius, atque acrius compungeret) docuit Gen. 3 22 vt saltem v l nunc malo iam accepto, & illi, & reliqui Homines sapiant, nec in posterum vllis Satanæ quantumvis se bene-

beneuolum fingentis verbis, aut promissis credant: Dei verò verbum nunquam relinquāt, aut abijciant. 2. Cor. 11. 13. 14, Ephes. 6. 11, Iac. 4. 7. Verum ne in eundem illum Hortum postea isti ipsi Homines denuo ingrederentur: aut statim posteri eorum (antequam istius horti Edenici deleta facies esset) eundem adirent, Deus ad Horti istius Orientem, & in anteriore illius parte Cherubinos plures velut in statione collocauit, qui Homines aditu, seu ingressu in eum prohiberent, ac impedirēt, ne ab ijs excoleretur, aut eius amœnitas ab ijs spectaretur: sed vt desertus, incultus, & horridus locus fieret, & à beluis paulatim vastaretur. Denique mucronem flammei, aut fulgidi gladij in quamuis partem circũuolitantis, & se mutantis, ac vertentis in ipso horto collocauit Deus ad terrorem, quò viam hominibus omnibus, ad Arborem vitæ, eiusque fructum decerpendum, & edendum (ne fierent hîc immortales) præcluderet, & immani metu obiecto eos ab ingressu impediret, Gen. 3. 24. Psal. 35. 6, & 78. 49.

VII. Propagatio prima Generis humani.

PRIMA verò Generis Humani Propagatio (nec enim propter peccatum homines infœcundi facti sunt) facta est ab Adamo, & Eua ex iusto, legitimoq́; coniugio, nempe suscepto primùm ex Eua, ac prognato Caino, deinde Abele seu Hebele, tertio Setho post occisum à fratre Caino Abelem. Gen. 4. 1, & 5. 3. Genuit autem & Adamus, & Eua vxor eius, ei coæua seu æqualis Sethum, anno ætatis centesimo trigesimo. Ceterùm hi (vti & quicunque post peccatum primum ab

Adamo & Eua commissum, vel ab ijs ipsis, vel ab eorum posteris nati sunt postea homines) illi inquam geniti natiq; sunt non ad veram illam Dei imaginem (quā primùm Adamus à Deo ipso habuerat) sed ad Adami & suorum parentum imaginem duntaxat, in quibus magnam partem iam illa pura & prior imago Dei per peccatum deleta est, fuerátque, qualis etiamnum hodie in hominibus restat, nempe fœdata, cōmaculata, defformis, & penè tota exstincta. Quod enim est Gen. 5.3: [Et genuit Adam filium ad imaginem suam, & secundum similitudinem suam,] non modò ad Adamū: verùm ad omnes omnino, qui liberos naturali modo procreant homines in vniuersum, & quouis tempore, pertinet. Eos enim procreant sibi similes, ac proinde coram Deo reos & peccatores, quales ipsi sunt, qui sunt eorum parentes, 1.*Cor.*15.49, *Iobi* 14.4, & 25.4, *Isa.*64 6, *Ephes.*2 3. *Quo verò ætatis suæ anno, ac tempore Adamus & Eua Cainū, & Abelem procrearint, non apparet ex sacra Scriptura.*

VIII. Artes Primæ Hominum, id est, ab Hominibus primùm inuentæ, exercitæ, & institutæ.

ARTES verò, quas primas, & primi quidem Homines, exercuerunt, fuerunt hæ duæ, nempe Agricultura, qua terra colebatur: & Pastoritia, qua pecudes pascebātur, & alebātur, Gen. 3.23, & 4.2. *Nam Adamus ipse fuit Agricola, & post eum Cainus: Sed & Noachus quoque, Mundo postea renouato, Gen.* 9. 20.

20. *Abel verò fuit pastor, & custos gregis & pecoris. Ergo hæ sunt artes duæ primæ, & imprimis naturales. Reliquæ verò postea sunt inuētæ, & magis ad quæstum & splendorem, & cupiditates explendas, quàm ad naturam, vitaq́ hu ius sustentationem, & necessitatem .i. victū naturalem cōparatæ, ac proinde nominātur [Artificia] & [Quæstus] & ad* χρηματιστικὴν *potius quàm* φυσικὴν τέχνην *referuntur. Porrò ex his artibus institutis apparet, quàm fuerit immutata prima illa honestaq́ hominum conditio, qui vt victum haberent, inseruirent iam terræ, ex qua sumpti fuerāt, quæq́ anteà sponte omnia profundebat largissimè illis: qui item Pecoribus, id est, bestijs brutisque animantibus (quæ ad ipsorum obsequium, & seruitium antea condita fuerāt) obsequi, famularique cogerentur, ac cogantur, mutata nempe tam horribiliter & miserè propter hominū peccatum, vice rerū, vt qui Dominus omniū earum priùs fuerat, Homo, seruus omnium nunc sit, & euaserit,* 1. *Cor.* 9.7, *Ioan.* 10.5, *Iob.* 14.

IX. *Sacrificium Primum Hominum Memorabile.*

SACRIFICIVM primum memorabile fuit illud, quod eodem tempore à Caino, & Abele fratribus oblatum est Deo (vt refert Moses) à Caino quidem ex fructibus terræ. Nam is eos obtulit, velut sua operæ, laboris, & artis benedictionem, & primitias: verùm Abel obtulit ex pecore, non solùm velut suæ artis fructum, sed etiam velut sacrificium, ex futuri passu-

rique Christi & Seruatoris promissi, quem apprehenderat fide, certáque notitia & expectatione. Ergo ex grege suo sacrificium obtulit Deo Abel, velut mortis Christi typum. Quamobrem ad hanc Abelis oblationem respexit Deus potius quàm ad illã Caini. Respexisse autem Deus ad Abelem visus est manifestè aliquo visibili signo (quod ipsi quoque Caino apparuit) ostenso & patefacto Gen.4.3.4, Heb.11.4. Non videtur quidem fuisse illud primum omnium sacrificium, quod Deo fuerit oblatum ab hominibus post peccatũ, quum multum temporis interpositũ fuisse, & effluxisse dicatur, etiam à natiuitate vtriusque, nimirum Caini, & Abelis (nedum à tempore primi peccati primorũ hominum) vsque ad hanc oblationem, sed fuit primum sacrificium memorabile. Denique Adamus toto illo præcedente hoc sacrificium spatio, non vixit absq; eo, vt Deo sacrificaret ipse, eúmque aliquibus publicis ritibus publice ex ipsius voluntate & reuelatione coleret. Verùm hoc sacrificium primum ex omnibus etiam antegressis habuit manifesta & conspicua diuini fauoris & acceptationis signa & testimonia, quibus anteriora illa caruerunt. Cæterùm in eo sacrificio, vel alijs, non ex omni genere pecudum etiam tum Abel obtulit Deo, vel offerre potuit: sed ex ijs tantùm animalibus, quæ Deus ipse iam ad sacrificia sua designarat: quoniã distinctio inter Munda, & Immunda Animalia, tum quod ad victum hominum, tum etiam quod ad sacrificandum & Christum ac Seruatorem illum (purissimam hostiã futuram) repræsentandum iam tum innotuerat hominibus, ex Dei reuelatione, fuerátve ab eo explicata, vt appa-

apparet Gen.7.2. De tempore autem huius Sacrificij nihil definit quoque Dei verbum, quādo ab vtroq; fuerit oblatum Deo.

X. *Maleficium primum Publicum perpetratum in Mundo post peccatum primū.*

PORRO maleficium, quod primum post peccatum primorum parentum publicè cōmissum est, fuit Homicidium, aut potius Fratricidium. Nam Cainus maior natu fratrem suum Abelem natu minorem ex inuidia illius sibi à Deo prælati, occidit vi, & quidem per insidias, & in solitudine, blādis eum verbis in agrū, & seorsum semotis arbitris pertrahens, Genes.4.8, 1. Ioan.3.12, Iudæ 1. Ergo quemadmodum Satā in ipso Homine imaginem Dei internam priùs corruperat: sic Cainus ex ipso Mundo toto illam Imaginem totam expulit, hominem occidens, & ex hoc mundo fratrem tollens. Quod fuit grauissimum in proximum scelus, horribilissimumq; alijs hominibus spectaculum: vti à Satana suasum Adamo facinus, fuit in Deum maximū. Adami verò & Euæ ingens luctus, & mœror hic fuit: tristissimúmque furoris humanæ mentis, & imprimis vindictæ, atque inuidiæ exemplum, & effectum. Nam mens hominis effreni vitij sui per peccatum primorum parentum cōtracti impetu percita & agitata, nec Deū timet, nec sibi ipsa parcit, nec alijs, tam est præceps, insana, amens, & furiosa, desperatáq;. Huius autem sceleris in corde humano fons fuit, & primum quidem Inuidentia melioris alienæ conditionis, quàm suæ: Deinde

animus & cupido vindictæ. Quemadmodum autem Homicidium fuit primũ ab hominibus in primo mundo perpetratũ publicè maleficium seu crimen: sic quoq; Mundo postea renouato primùm grauissima pœna fuit à Deo prohibitum, & interdictum, Gen 9.6. Porrò publica quoq; pœna fuit à Deo punitum hoc Caini scelus, post ademptam illi omnem excusationem, factique sui defensionem. Nam excusationem omnem Caino Deus adimit, quæ esse potuit duplex, nempe vel quòd nõ fuisset munus oblatioq; sua æquali fauore, quàm fratris Abelis à Deo dignata: vel quòd propter hunc Dei fauorem, in contemptum fratris sui natu minoris venturus esset. Verùm quòd nõ esset à Deo dignatus Cainus æquali fauore, quàm Abel, fuit ipsiusmet Caini culpa, quandoquidem pœna, vel præmium à Deo pro ratione fidei & operis cuiusque manat, & decernitur, Gen.4.7 Rom 2.6, Psal.62.13, Heb 11.4. Quòd autem propterea contemptum sui à fratre minore metuebat idem Cainus, frustra. Nam mãsisset illi semper subiectus Abel frater, vtpote minor natu, nec propter eum Dei fauorem ius & prærogatiuam suam Cainus amisisset: erátque ius, & ordo Politicus à donis cœlestibus distinguendus, non vtráque hæc confundenda, Gen. 4.7, Deut.21.15. & deinceps. Sequitur iam istius Maleficij Caini publica pœna à Deo inflicta.

XI. *Excommunicatio Prima, Pœnáque prima publica publici criminis à Deo imposita.*

Pœna

POENA verò publica, quæ Primæ Primo illi & publico maleficio Caini, ac proinde Hominum post peccatum à Deo imponitur, est duplex, Animi quidem seu conscientiæ ratione, Excommunicatio à facie Dei, ex fidelium cœtu & Ecclesiæ, quũ erro fit Cainus: Corporis autem seu Politiæ respectu, primùm Maledictio eius etiam in ipsa terra, & quidem maior, quàm communis illa, quæ ad omnes homines generaliter propter peccatum pertinet. Deinde odium reliquorum hominũ in Cainum, & perpetuus ipsius Caini ab iisdem sibi metus, terror, & trepidatio. Vnde erro, & vagus toto reliquo vitæ tempore præ trepidatione illa & metu talionis fuit, fugitque sæpe cœtus hominum Cainus, Gen. 4. 12. 16. 17. *Porrò quum à toto eo tractu eiectus & exterris sit factus Cainus in quo erat, habitabatq́; Adamus, atque vbi promissio de futuro Messia sonabat, vbi Deus ex ipsius verbo inuocabatur, vbi Sacramenta & sacrificia fiebãt, erántve: vbi denique collecta tunc erat Ecclesia Dei, non autem alibi, dubitari non potest, quin Eiectio Caini ex eiusmodi loco à Deo facta, fuerit vera Excommunicatio, qualis nunc fit ex Dei verbo in Ecclesia Christiana,* 1 *Cor.* 5 4. 5. 9. 11, 2. *Thes.* 3. 14, 2 *Ioan* 10. *Ioan* 9. 22. *Vnde verba hæc [A facie Iehouæ] significant non tantùm à consortio iucundissimo Adami patris fuisse expulsum, Gen* 4. 16: *verumetiã ex toto Dei cultu, piorum cœtu, verbíque ipsius auditione, & congressu Ecclesiæ priuatum eum fuisse demõstrant. Ex quo euenit vt & Cainus ipsemet euaserit, manseritque postea impœnitens, & impius, eiúsque posteritas contemptrix Diuini numinis, & ignara Verbi*

ipsius extiterit, ac tãdem corruptissimã suã culpã. Tamen nequis propterea existimaret sese posse lege Talionis Cainum ipsum Homicidã interficere, Deus signũ in Caino posuit, quo eũ à vi hominũ seruaret, ac tueretur.

XII. Urbs Prima in Mundo condita.

URBEM autem condidit postea Cainus, (illa verò fuit vrbs prima omnium condita in orbe terrarũ) in qua velut in munitione & præsidio tutus a pauore illo Panico, quo agitabatur, & metu hominum esset, & habitaret, saltem ad tempus, Gen. 4. 17. Illam autem de nomine primogeniti sui Enochi seu Canochi nominauit Enochiam seu Canochiam. Nam Cainus sibi semper ab hominibus metuebat, ne lege Talionis ab ijs interficeretur. Quanuis enim signum in eo fuisset à Deo positum ne eum quisquam occideret, ille tamen cõscientiæ furijs, & terrore perpetuò agitabatur velut Orestes quidam. Ergo vrbem ædificauit id est cœtum hominũ collegit, & munitiones muros, & portas (quibus se suosque clauderet, & seruaret) exstruxit, in quam se recipiebat, ibique continebat tantisper dum licebat per intermittentem ipsius morbum ac furorem. Nam habuit Cainus horribiles mentis furores ipsum vexantes & exstimulantes à tempore occisi fratris, qui eum per interualla dilucida immaniter & ad tẽpus corripiebant, & postea intermittebant tamen. Ergo tempore istius furoris sui vagabatur, fugiebat, errabátque Cainus per deserta, sese ex hominum cœtu in deserta subducens, substrahénsque, horrendo, tristique cum eiulatu, & misero cæteris hominibus iræ Dei in sceleratos spectaculo.

Quum

Quum autem furor ille remittebat, tempore illo interualloque dilucido quiescentis furoris, Cainus cum cæteris hominibus versabatur, & in illam sese vrbem à se ædificatam recipiebat. Quamobrem animi in Caino pauitatio, trepidatio, terrórque fuit potissima vrbis primæ in Orbe terrarum ædificandæ caussa, quæ non vt tristis carcer, sed vt valida munitio, Cainũ, & reliquos homines clauderet, & ab aliorũ fortiorũ publicis priuatisq́ iniurijs prohiberet, ac tutos redderet, Psal. 107 36, & 147.13. *Hoc Caini ædificium, & exemplum posteà alij mortales sunt imitati, non tantum vt sese ab aliorum hominum insidijs, rapinis, & violentia tutos præstarent: sed etiam ab ipsarum bestiarum vi, & iniurijs.*

XIII. Propagatio familiæ Caini, post occisum Abelem, in diuersas appellationes, autores, & Distinctio.

ETSI verò dignus erat Cainus post interfectum fratrem, qui internecione prorsus, æternoq́ & animi & corporis exitio periret, & infœcundus maneret, Deus tamen naturâ benignissimus, genus humanum multiplicare ex illo primo Adami semine, ordine naturali, cupiens, & ipsum Cainum superstitem esse, & ex eodem illo magnam postea sobolem nasci voluit. Ergo plures familiæ ex Caino post occisum à se Abelem propagatæ sunt, & quidem antequam Sethus nasceretur, ex quo Setho demum piorum familiæ sunt prognatæ. Hanc autem generis etiam ex ipso Caino multiplicationem na-

turalem Deus esse, & fieri voluit, vt vim istius suæ vocis & benedictionis Hominibus primis factæ [Crescite, & Multiplicamini] Gen. 1. 28, quanta quámque immota esset, ostenderet: atque vt dona etiam illa quæ nobis naturaliter eueniunt, atque dantur, qualis procreatio seminis, & à Deo esse, & ex mera eius benignitate, non ex hominum meritis, vel viribus etiã naturalibus proficisci omnes intelligant Gen 3. 2. Sunt ergo hæ familiæ ante natum Adamo Sethum (si modò, quod puto, Moses in hac sacra historia contexenda secutus est ordinem tẽporis) ex Caino post occisum Abelem natæ, numero octo, nimirum prima familia Chanoci: 2. Hiradi: 3. Mechuiaelis: 4. Methuasaelis: 5. Lamechi: 6. Iabalis: 7. Iubalis. 8. Tubalcaini. Nam Naamah soror Tubalcaini non constituit familiã, Gen. 4. 17. 18 & deinceps. Ergo tot diuersarum familiarum capita, támque numerosa soboles iam ex Caino improbo natæ erant, antequam pij in terris propagarentur, imò nascerentur, vt & quòd pij vlli postea fuerint inter homines propè sit miraculum, certè summum Dei Opt. Max. beneficium meréque gratuitum: & quòd etiam Mundus hic totus, id est homines omnes tam scelerati postea extiterint, mirum non sit, quum improbi & impij homines Mundum hunc & diu iam obtinuissent, & mirabiliter corrupissent, priusquam pij in terra vlli multiplicarentur. Verùm hic peccati, corruptæq; ac penè deletæ Dei imaginis in homine verus fructus, veraq; pœna certè fuit, Psal. 12. 1. 9, Hab. 1. 1. 2, & seq.

XIIII. *Bigamia Prima, seu Coniugij Prima*

Prima violatio, & corruptela in Mundo, & à quo.

BIGAMIA prima, seu prima instituti à Deo cōiugij Gen. 2.24, corruptela facta est, & cepta a Lamecho filio Mathusaelis ex stirpe Caini, homine non tantùm lasciuo, mulieroso, & libidinoso: verumetiam superbo, sæuo, & truculento. Id quod ipsius cum ambabus suis vxoribus colloquium, minæque ijs facta (quales à Mose describuntur) ostendunt, Gen. 4.19.23. Antea enim homines vxore vnica contenti erant. Verùm iste nouus Præcepti Dei violator non tantùm audax & temerarius fuit: sed etiam sæuus ferox, & sanguinarius, vt à quo spiritu ingenioq; tentata primùm, & postea inducta fuerit scelerum, & peccandi publica licentia, audaciáque appareat, nempe truculento, fero, & immani. Nam qui in Deum vel primus ipse rebellat, vel alios ad rebellãdum docet, ac format, is est perdita vir audaciæ, proiectiq; pudoris, & immanis naturæ, vti in Caino, Lamecho isto, Pharaone, Saule cernitur. Porrò ex istis maleficiorũ gradibus & incrementis facilè colligitur, quomodo paulatim postea communis illa, & popularis omnium Hominum corruptio in Mundum inuaserit, aggressa sit, grassata sit, planeq; tãdem peruicerit, & obtinuerit.

XV. Pastoritiæ Artis Incrementum, & Expolitio.

ARS Pastoritia (quæ per Abelem primùm in-

stituta fuerat) Abele occiso, vel (quia Cainus & Adamus erant agricolæ) intermissa: vel in odium Abelis à posteris Caini (qui soli supererant) reiecta, repudiatáque ad tempus. quæ tamen postea vrgente necessitate (id est, ipsorum hominum vsu sic monente) fuit repetita, resumptáque ab ipsismet Caini posteris: imò etiam ab iisdem aucta, expolita, & in certum perpetuúmque vitæ genus propter tum victum humanum (qui bestiis partim constabat) tum etiam lucrum (quod ex iis percipiebatur) instituta, formatáque certis regulis, obseruationibus, & pecorum cuiusq; generis distinctionibus. Neque enim omnia pecora vno modo, vno victu & pabulo, eodem tecto & caula pascuntur, curantur, recipiuntur. Ergo Iabal filius Lamechi artem istam tanquam intermortuam restituit, distinxitque magna industria species pecudum, & greges animalium, quæ sub cura & pastura hominis ali possunt, vt vnumquódque genus commodè, & pro sua natura pasceretur, & haberetur. Denique quoniam hæc ars peruigilem quandam hominum curam, & pecoris ipsius perpetuam custodiam desiderat, vixit ipse primus in Mapalibus, tuguriis, & tentoriis sub dio: & suis posteris idem vitæ genus & exemplum instituit, ac reliquit. Itaque homines isti extra vrbes (quas superiores posteri Caini ad patris imitationem incolebant) vixerunt, sparsi per agros apertos, & sub dio habitarunt, sequentes ipsi greges pecorum suorum, & armentorum à se distributos, eósque in optima quæque pabula producẽtes. Qua ratione, vitæque instituto factum est, vt desertæ & incultæ terræ partes primùm paulatim inuiserentur, & habita-

bitarentur ab hominibus: deinde vt genus humanũ ſeſe per orbem terrarum ſenſim diffunderet, ac longius progrederetur, & dilataret, Gen. 4. 20, & 31. 40, Pſal. 106. 13. Talis fuit poſtea gens, & vita Rechabitarum, (vt eſt Hieremiæ 35. 7, 2. Reg. 10. 15) & Nomadum.

XVI. Artium aliarum inuentio, & primùm quidem Artis Muſicæ.

MVSICA quoq; fuit eadem penè ætate, certè paulò pòſt inuenta, non quæ vocalis (eſt enim hæc naturalis) ſed quæ organica eſt, & prior quàm vocalis in vſu. Poſtquam enim homines Caini poſteri artes victui ſuo neceſſarias, nimirum Agriculturam, & Paſtoritiam, reperiſſent, vel ſaltem inſtituiſſent, excolerentq; artes eas poſtea magna, ſolertique induſtria, & mentis præclara viuacitate pepererunt, quæ voluptatem eis, delectationémque animi maximam afferebát. Eas autem Muſica Organica complectitur. Ergo Iubal filius Lamechi digami, & frater Iabalis (qui antea Paſtoritiam Artem auxerat, & docuerat) Muſicam, Citharam, organicaq; Muſices inſtrumenta commentus eſt, & excogitauit: eorúmque ſonorè & modulatè ad percipiendam voluptatem aurium & animi tractandorum & pulſandorum artem tum primus ipſe inuenit, tum poſteris ſuis tradidit, ac reliquit, Gen. 4. 21. Poſtea verò Vocalem Muſicam repertam eſſe ex Organica non dubito. Ex quo apparet artis Muſices inter Mortales vſum, ac inſtitutionem eſſe antiquiſſimam, atque

ab ipso cepisse penè Mundi exordio quò detestabiliores sunt qui ea Arte tam nobili abutuntur. Porrò Homines primi istius seculi fuisse voluptarios, & molles, ex hoc eorum ingenio, & inuento apparet.

XVII. Artis Ferrariæ, & Ærariæ Inuentio.

FERRARIA verò, & AEraria ars inuenta quoque est a posteris Caini penè eodem tempore, nempe a Tubalcaino filio quoque & ipso Lamechi ex Tzilla secunda eius vxore, seu potius prioris vxoris videlicet Hada pellice. Nam Tubalcainus primùm & ferrum atque æs in terra primus ipse dignouit, & posteros suos dignoscere in terra venis docuit: deinde opera instrumentáque cuiusvis generis ex ferro, & ære illo cudere, & fabricari, quæ ad vsum hominũ, vel abusum etiam postea translata sunt, monstrauit. Quamobrem, artem ipsam Metalla fundendi, tractandi, fabricandi, ducendique malleo, & sub incude ferri, & æris primus habuit iste Tubalcainus, alijsque postea tradidit, Gen. 4 22. Quæ res & industria magnum Dei donum fuit, cùm erga ipsum TubalemCainum: tum etiam erga totum genus humanum, quum vita hæc nostra eiusmodi instrumentorum, & ferramentorum vsu ad terram colendam ad ædificandum ad scindendum, ad pugnãdum omnino egeat. Exod. 36: & latè postea propagata est, & in diuersas partes, artes, species & officinas distributa, partitáque à posteris. Porrò ex istius artis inuentione videntur homines postea sæuiores, & ad cædem mutuã,

mutuã propensiores, truculentioresque facti, quum ferrum & arma iam in manu, & in promptu habere cœpissent ad sese mutuò iugulandos, & offendendos. Vnde apparet quibus occasionibus, nempe propter beneficia Dei in homines collata, item quibus sensim ac paulatim gradibus tota illa Caini familia miserè, ac omninò sese corruperit, & ferocior, superbiórque fuerit, atque etiã in Deum ipsum contumeliosa euaserit, adeò vt tandem etiam nomẽ ipsum & numen Dei (quod antea sacrosanctum habitum fuerat) blasphemare, nihili facere, & aspernari auderet. Hinc totius Mundi corruptela, & omnium hominum deprauatio postea contigit eáq; immedicabilis. Cæterùm, quandoquidem Mosem existimamus sequi seriem & ordinem tẽporis rerum gestarũ in hac Sacra historia describenda) hæc omnia Mundo contigerunt ante natum Adamo Sethum, ac proinde ante annum ipsius Adami, seu Mundi conditi centesimum trigesimum, Gen. 5. 3. Fuerunt autem istæ contempti blasphematiáq; à Cainicis postea diuini numinis caussæ, & præparationes miserrimæ, & indignissimæ. Verùm à nato Setho, vt postea dicetur, ad publicam Nominis Dei Profanationem intercedunt anni 105. Ergo tota hæc summa collecta efficit annos 235.

CAPVT II.

¶ Disputata, & agitata quędam in his singulis capitibus septemdecim.



T HAEC quidem ſunt illius ætatis hiſtorica: Verùm in ijs multa diſputantur, quæ nos, Deo bene fauente, iam ad ſingula capita accommodabimus, ne quid vel obſcurum, vel confuſum, vel dubium in tam ſacra hiſtoria ſaltem moderatis ingenijs relinquatur.

Ad I. De Primo peccato Primorum Hominum.

Quæritur igitur, Cur Deus hominem fecerit ad imaginem ſuã, qui peccare poſſet, ac non potius qui peccare non poſſet, neque labi, neque deficere. R. Vitio deprauari potuit Adam, item & Eua, quoniam ex nihilo facti erant. Itaq; Dij non erant. Nam etſi de terra iam facta puluere finxit Deus hominem, eadem tamen terra, omniſque terrena materies omnino de nihilo eſt: imò Animam etiam de nihilo factam, ac proinde creatam dedit Deus corpori, quum factus eſt Homo. Ergo excepto eo, quem Pater genuit de ſeipſo, (Eſt autem Verbum, per quod omnia ſunt facta) omnis alia natura & creatura facta eſt à Deo de nihilo, ac propterea obnoxia vanitati, id eſt, defectioni, lapſuique à ſummo bono ac proinde quæ peccare poſſet naturâ, & conditione ſua, niſi ſpeciali quadam gratia à Deo confirmaretur. Sic Auguſtinus lib. 14. Ciuit Dei, cap. 11: Ergo vt eſſet Homo arbor mala, contra naturam illius factũ eſt. Nam nonniſi ſuæ voluntatis vitio (quod contra naturã proculdubio eſt) vtique malus fieret Homo: ſed vitio deprauari niſi ex nihilo facta, natura non poterat, ait idẽ cap. 3. Ac per hoc habet Homo à Deo vt ſit quædam

dam natura, quatenus ab eo factus est: Vt autem ab eo, à quo factus erat, deficeret, ex eo est, quòd ex nihilo factus est. Q. *Vtrum perturbatū fuerit Dei consilium de immortalitate & felicitate hominis, dum homines peccant.* R. *Quum Deus Hominem peccaturum esse & prasciuisset, & decreuisset, Homo peccãdo non compulit Deum mutare, quod semel statuerat: Imò Deus presciendo vtrumque preuenit. Nam preuidit hominem quem ipse bonum creauerat, malum futurum esse: & bonum quoque preuidit, quod sic etiam de illo erat ipse facturus. Augustinus lib.* 14. *cap.* 11. *Ciuit. Dei, & lib. Enchirid ad Laurent. cap.* 100. *Vide eundem August. lib* 11 *de Genesi ad liter. cap.* 4. 5. 7. *& Petrum Lombardum, libr.* 2. *Sentent. Distinct* 23.

Q., *Vtrum mala hominum voluntas praecesserit eorum peccatum, id est, factum eorum, & manducationem fructus interdicti.* R. *Etsi & voluntas malà, quam homines habuerunt, & factum ipsum ex Satanae suggestione fuit: tamẽ vt ad malum opus peruenirretur, praecessit hominum mala voluntas opus ipsum seu esum vetiti fructus. In occulto igitur mali esse cœperunt, vt in apertam inobedientiam laberentur. Nec enim, vt praclarè respondet Augustinus lib.* 14 *Ciuit. Dei, cap.* 13. *Malum illud opus factum est, (id est, illa transgressio euenit, videlicet vt cibo prohibito vescerentur) nisi ab ijs, qui mali iam erant. Vt autem esset arbor mala, contra naturam eam factum est, in qua primùm à Deo fuerant conditi. Porrò malae istius hominum voluntatis initium quod potuit esse, nisi superbia? ait Augustinus. Spontaneus igitur fuit iste hominum appeti-*

tus & defectus: quoniam si volũtas eorum in amore superioris immutabilis boni id est Dei (a quo illustrabatur, vt videret: & accendebatur, vt amaret) stabilis permansisset, non inde ad sibi placendum auersa fuisset, & ex hoc tenebresceret, & frigesceret. Itaque neque Eua verum dixisse serpentem crederet: neque Adamus ipse Dei mãdato præponeret vxoris voluntatem. Porro mala voluntas prima (quoniam omnia mala opera præcessit in homine) defectus potius fuit quidam ab opere Dei, ad sua opera: quàm opus vllum. Et ideo mala, quia secundum se, non secundum Deum erat, vt eorũ operum malorum tãquam fructuum voluntas ipsa esset velut arbor mala. Detrahitur porrò malum, inquit Augustinus lib. 14 cap. 11 Ciuit. Dei, non aliqua natura, (quæ accesserat) vel vlla eius essentiæ, quæ peccat, parte sublatâ. sed ea, quæ vitiata & deprauata fuerat, sanata, atque correcta. Arbitrium igitur voluntatis tunc est verè liberum, quum vitijs peccatisque non seruit. Tale datum est Adamo primum a Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit reddi non potest. Inde quippe liberator est Deus, vnde saluator.

Q. Ecquod peccati genus homines primi primùm peccando admiserunt. R. Augustinus lib. 14. de Ciuit. Dei. cap. 12, & 13 Superbiam: Ait enim [Initium omnis peccati superbia est. Quid est autem Superbia, nisi peruersæ celsitudinis appetitus? Peruersa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere principio sibi quodammodo fieri, atque esse principium. Hoc fit quum sibi nimis placet homo: Sibi verò ita placet, quum ab illo Bono immutabili deficit, quod ei

ei magis placere debuit, quàm ipse sibi.] *Relicto igitur Deo esse in semetipso, id est, sibi placere non iam est nihil esse, sed nihilo propinquare. Bonum est quidē sursum habere cor, sed non ad seipsum, quod est superbiæ: sed ad Dominum, quod est obedientiæ. Est igitur aliquid humilitatis miro modo, quod sursum faciat cor: & est aliquid elationis, quod deorsum faciat cor. Ipsum quippe extolli, deiici est. Idem August lib. 11. cap. 5, & 15. de Gen. ad liter. Sequuntur quoque hoc ipsum Scholastici, & Lombard. lib 2. Sentent. Dist 22. Alij & verè quoque infidelitatem huius hominum superbiæ fontem ac radicē fuisse scribunt & sentiunt. Q. An propter esum vnius arboris Pomi debuerit Deus tantum, támque asperè irasci hominibus illis. R. Augustinus lib 14. Ciuit. Dei, cap. 12. caussam huius Dei iræ, & quidem verissimam sic exponit.* [*Non ideo, ait, quis debet existimare leue ac paruum fuisse illud primorum Hominum commissum, quia in esca factum est, non quidem mala, nec noxia, nisi quia prohibita (nec enim quicquam mali Deus in illo tantæ felicitatis Paradiso crearet, atque plantaret) sed obedientia cōmendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium, custosque virtutum. Hoc itaque de vno cibi genere non edendo, vbi aliorum tanta copia subiacebat, tam leue præceptum ad obseruandum: tam breue ad memoria retinendum, vbi præsertim nondum voluntati cupiditas resistebat (quod de pœna transgressionis postea subsecutum est) tanto maiore iniustitia violatum est, quantò facilíore posset obseruantia custodiri. Hæc Augustinus, & rectè. Ergo*

non propter pretium Pomi ab Adamo gustati, sed propter immanem Adami rebellionem sic ei fuit iratus Deus. Q. *Cur Serpente animali potissimum vsus est Satan ad primos homines, sed Euam imprimis decipiendam.* R. *P. Lombardus lib. 2. Sentent. dist. 21. cap. 2. ait, Ne Diaboli fraus ab homine perciperetur, in aliena, non in sua forma Satan tentare hominē voluit. Serpentem autem Animal ex omnibus delegit, tum quia rationali creaturæ omnis irrationalis subiecta erat: tum quia per solum Serpentem id facere a Deo permissus est Diabolus, non autem per Columbæ formā, quod fortasse maluisset, vt meliùs fraudem subesse in Satanæ verbis Homo ex eo, quod Serpens loquebatur, subolfaceret: & clariùs ipsius tentatoris, id est Diaboli natura, per colubrum illum tortuosis anfractibus mobilem, ac proinde magis operi isti congruum, significaretur, ait August. lib. 14 Ciuit. Dei, cap. 11, & libr. 11. Genes. ad liter. cap. 12. At verò S. Scriptura ait Diabolum idcirco delegisse vnum hoc Animal, nempe Serpentem, quòd omnium animalium ἀλόγων erat Serpens astutissimus, Gen. 3. 1. Addunt verò nonnulli etiā Homini tunc familiarissimū, vti Iosephus lib 3. Ant. Iudaic. cap. 3. Porrò de duplici Serpentis prudentia vide Epiphanium lib. 1. De Hæres. tomo 3. hæresi 37. contra Ophitas, quæ ex ea, quam primùm habebat, reliqua est. Fuit igitur Animal hoc omnium astutissimū, ac proinde à Diabolo delectum.* Q. *Vtrum verba Serpentis fuerint ipsiusmet Serpentis, an potius Diaboli?* R. *Augustinus lib 11. Genes. ad liter. cap. 27. ostendit Serpentem, dum cum Eua loqueretur, neq;*

intel-

intellexisse quid diceret: neque animam rationalem habuisse. Ergo Diabolum ipsum per Serpentem fuisse locutum, quemadmodum per Phanaticos & Energumenos etiam homines sæpe loquitur. Itaq; Satan Serpente velut instrumento vsus est, quo deciperet Hominem. Alia vero ratio est Asinæ Balaami, quæ locuta est ipsa quidem, non Angelus Domini per eam, quoniam Asinæ isti vox humana & articulata à Deo concessa ad tẽpus fuit, Num. 22.28, 2.*Pet.* 2.16*: quod idem à Diabolo in Serpente fieri non poterat. Porrò Deus pro voce sibilum tantùm Serpenti reliquit: & pro verbis illis lenibus, quibus Euam persuasit, venenum ei sub lingua posuit, vt est Psal.* 140.4, *Rom.* 3.13, *& annotat Iosephus lib.* 1.*cap.* 3. *Antiquitat. Iudaic. Q. Ecquod genus serpentis fuerit, per quod Satan tentauit primos homines. R. Multa quidem sunt Serpentum supra ventrem nunc repentium genera: ex eorum verò numero & genere fuit is, quo Satan vsus est in decipienda Eua, Gen.* 3.14. *Itaq; non ex genere anguium iste erat, qui in aquis viuunt: non ex alatorum Serpentum numero, quoniam isti non repunt supra ventrem suum: Sed ex terrenis Serpentibus, id est, flexuosis, & in terra de terræ puluere viuentibus. Hunc autem ex Colubrorum, quos vocamus, genere fuisse scribit Augustinus lib.*14 *cap* 11.*Ciuit. Dei. Idem & Basilius in Hexamero: Alij viperam potius: Denique non desunt, qui etiam aliud genus fuisse existimant. Id autem precisè non definit S Scriptura. Is tamen Serpens flexuosus iam, & terrenus fuit. Nec verum est quod scribit Iosephus, Pedes quos anteà habebant, Serpentibus à*

Deo fuisse ademptos in pœnam, vt supra ventrem serpant. Nullum enim membrum ijs demptum a Deo dicitur. Q. Ecquod Pomi genus fuerit, quod hominibus esse interdixerat Deus. R. Sed nec hoc ipsum definit S. Scriptura. Ergo curiosi homines varie sese torserunt in eo, sed frustra, designando. Nam alij putat id Pomi genus fuisse malum Persicum, quod in Oriente (vbi peccauit Adamus) hodie est letale & venenosum, si edatur, licèt nobis in Occidente sit suauis cibus. Alij Malum Cottoneum seu Cydonium fuisse malunt, quod genus Pomi Dioscorides vocat μῆλον ἀλήθινον, id est, verum Malum, & præ cæteris germanum. Est autem iam nobis omnino gustu ingratum. Alij Malum aureũ, quod & esu suaue, & aspectu iucundum est. Non desunt denique, qui illud Cerasum, vel Pirum vulgare fuisse dicant. Verùm quorsum ista tam incerta? Q. Quandiu in statu illo suo felici permanserint homines primi, & quando peccarint. R. De hoc etiam ipso (quod tamen ex Dei verbo decidi non potest) anxiè homines, imprimis autem Rabbini Hebræorum inter se digladiantur. Alij igitur volunt Adamum statim, postquam conditus fuit, cecidisse nempe sub vesperum eius diei, quo factus est. Alij post sex demum horas, quàm creatus est à Deo. Alij post diem totum naturalem elapsum. Ireneus lib. 4. scribit Adamũ & Euam ea ipsa die, qua creati fuerant, edisse ex fructu vetitæ arboris: ac proinde eo ipso die, quo nati sunt, peccarũt, ac perierunt, ait. Denique nonnulli censent, quòd quemadmodum Christus in suo ministerio fuit per tres annos & semestre: sic Adamum tanto temporis spatio in illo

suo

suo felici statu cum Eua perdurasse,& vixisse. Verùm ἄδηλα ista relinquamus ἄδηλα. Sunt enim incomperta nobis, nec iuuant etiam cognita. Certè Irenæus lib. 5. aduersus Hæreses putat Adamum à Deo vespere reprehensum fuisse. Alij tamen aliter hæc verba Mosis [Ad ventum diei] interpretantur. Math. Beroaldus lib. 1. cap 7 Chronici putat Adamum in Autumno defecisse à Deo, vti in Autumno creatus fuerat, quoniã eo tempore poma & fructus arborum sunt maturi. Ex his autem edens Adamus, in Deum peccauit. Sed vti dixi, hæc ἄδηλα sinamus. Illa potius explicemus, quæ vtilitatem & ædificationem afferunt. Q. *Cur à Deo data lex vlla fuerit Adamo, quem huius Mundi Dominum, Regem, & liberũ Moderatorem constituerat.* R. *Augustinus lib. Quæst. ex veteri Testam. cap. 4 in secunda parte Tomi 4. sic scribit, [Quãuis in Mũdo Dominus positus esset Adam, quia non vtique ex se, sed à Deo id accepit, debuit huius rei & accepti ab alio imperij significationem ex lege accipere, vt ipse, qui dominus videretur, per legẽ illi subiectus esset, qui ei hanc dederat potestatem ne dominatio tãta extolleret Adamũ, & immemor fieret Dei conditoris sui.]* Q. *Cur igitur Deus hominibus à primordio Legem sua (qualem postea per Mosem in monte Horebo dedit) nõ præscripsit, ac promulgauit.* R. *In prima illa Lege seu primordiali, quæ data fuit Adamo à Deo omnia istius Legis (quæ per Mosem postea fusius & apertius prolata est) semina & præcepta breuiter & compendiosè inerant quemadmodum docet Tertullianus & Gregorius Magnus, & Lombardus lib. 2. Sentent. Dist. 21.*

cap.4. Verum illam describi, & latius declarari, præsertim illo primo creationis tempore, nihil fuit necesse, vt ait August. in 1 parte Quæst. Veteris & Noui Testamenti, cap.4. Primùm, quia recens adhuc erat Lex illa, & in ipsa natura inserta erat Creatoris notitia. Deinde quia de malo non erat docendus aut commonefaciendus Adamus, quod ab eo prorsus ignorari Deus volebat: Atqui Lex malorum & vitiorum meminit, quæ prohibet Denique, quia si primi Homines eam vnicam Dei Legem sibi primùm in Paradiso terrestri datam obseruassent, nullis alijs præceptis, legeque alia egebant. Nam sponte & natura in Dei obsequium ferebantur. At vbi lex illa naturalis euanuit, impressa consuetudine peccandi, tunc oportuit Decalogum Legem manifestari, vt eam in Iudæis omnes audirent: non quòd penitus obliterata in conscientijs hominum esset: sed quòd maxima eius autoritas perierat. Quanuis enim & Diluuio Peccatum vindicatum fuisset. & Sodoma & Gomorrha fuerant subuersæ in monumentum pœnarũ peccati debitarum: tamen obliuio exempla ista deleuerat ex hominibus, ac proinde Legem scribi, darique à Deo oportuit. Et hæc quidem de Primo primorum Hominum peccato, hactenus. Iam videamus quæ de pœna Peccati istius quæri, ac disputari soleant.

Ad II. De Pœna Primi hominũ peccati.

Q. Vtrum omnis imago Dei fuerit in Homine per peccatum abolita. R. Nequaquam, sed magnã partem tantùm deleta. Nam alioqui homines iam non homines forent, sed bruta, & ἄλογα prorsus animãtia.

Et

Et quod Psal.49.20.nonnulli homines dicuntur similes brutis animantibus,illud κατά τι duntaxat intelligẽdum est,nempe quatenus de futura,melioriq́ illa vita (quæ hanc sequitur)nihil cogitant, toti sunt huic terræ affixi:non autem ἁπλῶς, & simpliciter. Augustinus lib. 14.Ciuit. Dei,cap.13, [Nec sic defecit homo,ait,vt omnino nihil esset: sed vt inclinatus ad seipsum minùs esset,quàm erat,quũ ei, qui summè est,inhærebat Nam homo plus appetendo,minus fuit, qui dum sibi sufficere delegit,ab illo,qui ei verè sufficit,defecit.] De quo ipso idem Augustin.lib.12 de Trinit.cap 8,& 9. Atque huius nostræ sententiæ confirmatio est,quod S.Scriptura docet, In nobis imaginem Dei dũtaxat renouari per Christum,ac proinde non omnino exstinctã,sublatamq́ fuisse:non autem prorsus creari, quasi amplius nulla in nobis esset. Sic Paulus Ephes.4.23, Colos.3.10. Sic Paulũ secutus Augustinus lib.7.Genes.ad liter. cap. 24 & 25. Q. Cur a Deo velut peccatrix punita est Eua quum seducta fuisse, deceptáque a Serpente dicatur. R. Non dicitur Eua à Serpente seducta, tanquam ignoraret quid ageret ipsa, aut quid illi Serpens offerret,tunc enim esset excusabilis sed quòd eam primam velut imbecilliorem Diabolus per Serpentem aggressus est,ac tentauit, illique prudens & sciens, libensque prima est assensa Eua: in quo est inexcusabilis reddita. Sic initium mali à Fœmina fuisse scribitur, Eccles.25.33. Sic à Paulo, Adam non seductus, sed Eua seducta dicitur, 1.Timoth.2.14. Sic Augustinus lib.1.de peccatorum Meritis cap.16. interpretatur. Ergo si Seduci sumpseris pro non Experiri verum id,

quod alius tibi pollicetur, vterq́ nempe Adam & Eua seducti sunt, quo significato Paulus accipit Galat. 6. 3. Verùm si [seduci] intellexeris, alicuius colloquio frui, & verba ipsius audire, quibus decipieris, & falleris, id est, falsa tibi dicuntur, à Serpente sola Eua seducta est, non autem Adamus. Illa enim sola Diaboli per serpentem loquentis verba suis auribus hausit, excepit, & audiuit: quæ ad maritum vti & pomum ipsum à se decerptũ postea detulit. Ergo Eua à Serpente: Adamus autem ab ipsa Eua, non autem à Serpente audiuit ea verba Diaboli, quæ Moses narrat cap. 3 Geneseos. Sic igitur, eóque sensu exaudiendum est, quod [sola Eua] seducta dicitur, non etiam Adamus seductus, vt apparet Gen. 3. 13. Sic Augustinus lib. 14. Ciuit. Dei, cap. 11, & lib. 11. cap. 42. Genes. ad liter. Lombardus lib. 2 Sentent. Dist. 22. cap. 5. Q. Vtrum Eua fœmina plus, & grauiùs peccarit, quàm vir ipsius Adamus. R. Si tẽporis ratio habeatur, peccauit Eua grauiùs, quàm Adamus: quoniã & prima peccauit, & Adamo viro suo incitamentum fuit ad peccandum, ad quem & fructũ Arboris vetitæ detulit, & verba Serpentis promissionesque retulit, quem denique & suauitate & pulchritudine fructus seu pomi persuasit, vt ipse quoque de eo ederet. Sin verò ratio conditionis ac personæ spectetur, peccauit grauiùs Adam quàm Eua, vtpote qui & primus imaginem Dei, & plus habuisset, & ipse Dei mandatũ, ne ex eo fructu gustasset, accepisset, pœnamq́ futuræ inde sibi mortis ipsis auribus suis ex Deo ipso audiuisset, eámque ipse vxori suæ Euæ anteà significasset, & declarasset. Sic Augustinus lib. 14 Ciuit. Dei,

cap.

*cap.*11. *ait Adamum magis sciuisse id, quod faceret, esse peccatum, quàm Eua scinerit Et idem quoque lib.* 11 *Genes. ad liter. cap.* 42. *Quod verò idem scribit, [Credendum esse illum virum sua fœmina, vni vnum, hominem homini, coniugem coniugi, ad Dei legem träsgrediendam, non tanquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse:] quódque ex eo colligit P. Lombardus lib.* 2. *Sentent Dist.* 22. *cap.* 5: *Amicabili tantùm beneuolentia Adamum peccasse, falsum est Nam & infidelis, & superbus fuit Adamus, vti & Eua: neque ab eadem culpa vel peccato excusari potest.* Q. *Cur partus dolores pro pœna Mulieri imponuntur a Deo, Gen.* 3.16, *quum Paulus affirmet Mulierem seruari* διὰ τῆς τεκνογονίας, *id est, liberos gignendo,* 1. *Tim.* 2.15? R. *Non partus, liberorúmue procreatio pro pœna Mulieri a Deo data est: sed immensi illi labores cruciatus vteri ac dolores partus, quas Græci* ὠδῖνας *vocant, sunt Pœna peccati Mulieris. Nam Mulier alioquin erat etiam in terrestri Paradiso, & statu innocētiæ, paritura iuxta illud, [Crescite, & multiplicamini,] sed absque vllo dolore. Nunc verò post peccatū, quia dum Mulier hominem parit, hostem Dei sua culpa profert in lucem (qui sit nempe Deo cōtradicturus, tanq̃ filius iræ Dei, Rom.* 8 7, *Ephes.* 2 3.) *idcirco summos cruciatus & dolores Mulier sentit, quales ne in morte penè perferuntur, Ioan.*16.21. *Ergo non* τεκνογονίᾳ, *sed* ὠδῖνες *sunt Pœna, eáque in hoc Mundo grauissima, peccati Mulieris. Vide Augustinum lib.* 11 *cap.* 37. *Genesi ad literam.* Q. *Ecquis primus verba Dei immutauerit, ac fal-*

ſificauerit, Euáne, an Serpens? R. *Eua prima videtur minas illas Dei certiſſimas (nempe Geneſ. 2. 17. [Quo die comedetis ex eo certè moriendo moriemini] labefactaſſe, & ſubſtitutâ dubitatione, aut dubitandi formulâ pro voce certitudinis dediſſe occaſionem Serpenti ſeu Diabolo vlteriùs pergendi. Dixit enim mulier, referens verba Dei, tanquam de euentu eorum dubitãs, [Ne comedatis ex iſto, ne moriamini] Gen 3. 3. Itaque vulgaris verſio habet, [ne fortè moriamini.] Lombardus lib. 2. Sentent. Diſt. 21. cap. 3: [Attende, ait, ordinem, ac progreſsum humanæ perditionis. Primò Deus dixerat, Quacunq; die comedetis ex eo, morte moriemini. Deinde Mulier dixit, Ne fortè moriamini. Nouiſſimè Serpens dixit, Nequaquam moriemini. Deus affirmauit: Mulier quaſi ambigendo illud dixit: Diabolus negauit.] Quæ ergo dubitauit, ab affirmante receſſit, & neganti appropinquauit. Quodſi Mulier reſtitiſſet Diabolo, Diabolus ab ea fugiſſet, vt eſt apud Iacob. Epiſt cap. 4. 7.* Q. *Quid verba hæc in pœna Serpentis ſignificent, [Et tu conteres Mulieris ſemini calcaneum] Gen. 3. 15.* R. *Pœnãm his verbis afflictionemq; deſcribi certum eſt, quam Serpens, quantum poteſt, infert hominibus, vt ſuam in eos inimicitiam, odiumq; etiamnum hodiè teſtetur. Ergo Serpens homines præſertim in pede, & calcaneo pungit & vulnerat, vt corruant & cadant. Eſt enim iſta pedũ Hominis & calcanei (quæ membra totum corpus reliquum ferunt, & ſuſtentant) læſio, vulneratio, apprehenſióque ſignum voluntatis Serpentis nobis infeſtæ, & antagoniſtæ noſtri nos deijcere, ac frangere cupientis. Sic*
Iacobus

Iacobus dicitur apprehendisse calcaneum fratris sui Esau. Gen.25.26. Sic Dauid calcaneum ab hoste domestico in se sublatũ esse scribit, Psal 41.10, Ioan.13, 18, Psal.56.7. Sic Daniel.2.41. quum Monarchia quarta deturbatur à Christo, pedes eius ab eo inuadi dicuntur. Est enim formidolosus hostis & gladiator, qui primùm omnium inuadit pedes. Superiores autem corporis nostri partes attingere Serpens non potuit, quũ iam à Deo fuisset sic deiectus, vt humi perpetuò serperet, seque minimè iam attollere facile posset, Gen.3.14. Inferiores autem partes potest. In summa, quæ colluctatio & pugna inter Hominem & Serpentem futura esset, & nunc perpetua durat, declaratur his verbis. Nam homo petit caput ipsum Serpentis animalis (tãquam fontem vitæ illius) vt illud conterat sicque Serpentem necet, & exstinguat. Serpens autem animal petit calcaneum hominis (qui est sustentaculum corporis totius) vt eum feriat, sicque hominem deijciat, & tandem occidat. Ergo maior ab homine serpenti plaga infligitur, quàm homini à serpente. Quæ quum anagogicè ad fideles, & Satanã (cuius fuit Serpens ille typus) referuntur certe quanuis, ratione naturæ Satan, vtpote angelus, & Princeps aëris sit fortior homine, & contra eum de loco superiore pugnet, Ephe.2.2, & 6.12: tamen homo fidelis, quia Spiritus Christi fit per fidẽ particeps, fortior est Satana, ratione istius Dei in se gratiæ, eúmque iam à Christo sub pedes suos contritum, & fractum ligant ijdem fideles, vincunt, & superant, vt est Psal.91, Math.12.29, Rom.16.20: vt iam letaliter Homini nocere Satan non possit. Q. *Cur præ-*

termissa est pœna Diaboli, dum Deus peccatum Hominis puniret, quum Diabolus fuerit verus peccati illius autor & suasor, Apoc. 12.9. R. *Quoniam de Diabolo nulla mentio facta fuerat à Mose, idcirco pœna Diaboli ab eodem est prætermissa. Præterea quemadmodum rectè monet Augustinus Genes. ad liter. lib. 11. cap. 36, quod supplicium in Serpentem Animal à Deo fuit pronuntiatum, etsi primum quidem in ipsum Serpentum genus quadrat verè, & naturaliter: typicè tamen & figuratè conuenit etiam in Diabolũ, cuius fuit instrumentum Serpens. Itaque Deus Serpentem non interrogat, cur id fecerit, quod egerat, quoniam sciebat Deus Serpentem id minimè operatum esse per se, & in sua natura, ac voluntate: sed Diabolũ de illo potius per illum, & in illo seduxisse homines. Quãobrem id, quod Serpenti dicitur, ait idem Augustinus, & ad eum, qui per Serpentem operatus est, vtique refertur. Ergo illud ipsum, quod Semen mulieris conterit caput Serpentis, quum ad Diabolum accommodatur, ostendit Christum (verum semen mulieris, & quidem solius) vires, & regnum Satanæ euertere ac conterere, & pios omnes, quatenus illi incorporantur Eph. 3.6, idem posse per fidẽ, & Christi Spiritum, contra quem ne portæ quidem omnes inferi quicquam valent, ac possunt, Mat. 16.18.*

Q. *Cur à primis illis parentibus & culpa, & pœna primi istius eorum peccati transiit, transitque in singulos homines, id est, in eorum posteros.* R. *Quoniam Adamus & Eua totum genus humanum repræsentabant, promissionesq́, vti & minas, non sibi solis, sed & posteris quoque suis vel saluti vel exitio futuras acceperant,*

perant, idq́ ipsi intelligebant. Ergo his duobus, qui fuerunt reliqui generis humani totius fons, corruentibus, corruit quoque totum genus humanum: ijs reis coram Deo effectis, reum quoque redditum fuit totum genus humanũ: ijs pœnæ obnoxijs, tota quoq́ natura & massa humana eidem pœnæ facta est obnoxia. Neque enim alius ex peccatore, quàm peccator nasci potest: nec riuus alius ex fœtido fonte, quàm fœtidus fluit, Iob. 14. 4, *Iac.* 3. 12. *Vnde à Paulo omnes & singuli homines dicuntur peccasse in Adamo, id est, rei primùm coram Deo redditi esse: Deinde ex eodem illo participes pœnæ facti, Rom.* 5. 12, *Psal.* 14. 1, & 51. 7. *Quare non tãtùm pœna, sed & culpa ex Adamo in posteros trãsijt: ac primùm quidem culpa, postea pœna, ne immerentes eam pœnam ferre posteri videantur: quæ duo peccatum originale nominãtur. Ergo ex corruptis parentibus nati sunt, ac nascuntur (& quidem æquissima lege & naturali) liberi corrupti, & peccatores. Vide Lombard. lib.* 2. *Sentent. Distinct.* 30, & 31. *per totum.*

Q. Cur in Bruta Animantia, reliquásque Mundi huius partes transijt quoque huius primi peccati effectum, & pœna? R. Quanquam neque Bruta animantia peccarunt propriè, neque etiam reliquæ huius Mundi partes, vtpote ἄλογα: tamen quoniam sunt res hominum peccatorũ, & pars destinatæ dataq́ ijs à Deo familiæ, effectum quoque peccati & hominum in Deũ rebellionis sentiũt. Nam in crimine præsertim læsæ Maiestatis non solus criminis autor, sed & liberi eius, & tota rei conuictiq́ hominis familia punitur. Ex quo euenit, vt, quemadmodum ait Paulus Rom. 8. 19. *res*

creatæ sint vanitati subiectæ, non sua sponte, sed propter hominem, qui subiecit eas isti vanitati. Quare rectè & meritò illæ quoque peccati effectum sentiunt. His autem explicatis, accedamus ad tertiū caput, quod continet promissionem futuri Messiæ factam primis Hominibus post eorum peccatum.

Ad III. Promissio Messię post peccatum.

Quæritur, Vtrum hæc verba Dei, [Et semen Mulieris conteret caput Serpentis, Gen. 3.15.] promissionem de futuro Mundi Seruatore & Messia Christo contineant. R. Dubitari non potest quin hæc Dei verba tunc fuerint, atque adeò etiamnum sint hodie magna non tantùm Euæ, sed & Adami quoq; & omniū hominum contra Serpentem, & Serpentis impulsorem Diabolum consolatio & victoria. At illa nequaquam eiusmodi esse possunt, nisi propter aliquem, qui nō modò sit ipse superior viribus, quàm Homo: sed etiam quàm Diabolus, cuius caput conterit, Math. 12.29. Nam nec inferior Diabolo, nec par ei tantùm eum vinceret. Ergo fortior eo sit oportet quicunque eum per sese vincit. Atqui Diabolus est naturâ Angelus: Quare Angelica natura potentiorem esse oportet eum, qui Diaboli regnum sit euersurus, & veteris istius Serpentis caput contriturus. Iam verò sola Diuina natura est maior quàm Angelica. Quamobrem Deus sit necesse est ille de quo promissio tam excellens fit hoc loco. Sed & Homo quoque sit oportet. quoniam est Semen Mulieris. Ergo is promittitur his verbis, qui & Deus & Homo futurus erat, vnus & idem vna persona. Iam verò

verò qui est eiusmodi, non solùm ipse potest & viribus, & æquitate caussæ (vtpote in natura humana plenè satisfaciens Deo pro natura humana peccato Heb. 2 14. 16) vincere Satanam victorem Hominis: sed etiam alijs hominibus vires sumministrare (quatenus fide sibi coniunguntur, suique Spiritus fiunt participes) ad superandum eundem seu Satanam, seu Diabolum. Porrò qui talis est (nimirum & pro hominibus Deo plenè satisfaciens, & vires illis ad conterendum caput istius Serpētis suggerens) proculdubio is & Messias, & Mediator, & Seruator noster est, Rom. 16. 20, Ephe. 4. 16. Ex quo fit, vt illis Dei verbis & promissione verus Messias hominibus fuerit demōstratus: hominumq́; salutis, & cum Deo reconciliationis fundamentum, & caussa explicata: denique plena cōsolatio ijsdem proposita: ac proinde Dei Filius Dominus noster Iesus Christus fuit his verbis promissus. Huic verò cōsentit, aut potius hanc nostram sententiam confirmat hoc dictum Ioannis Apoc. 13. 8. Christum esse illum Dei Agnum, qui mactatus fuit iam inde à iactis Mundi fundamentis, Item Augustinus lib. Quæst. Veteris & Noui Testamēti cap. 3. sub finem: [Priores, inquit, ergo omnes, quotquot fidem habuerunt vnius Dei (quam Saluator prædicauit) iure Christiani dicendi sunt. Ab initio enim Saluator venturus promissus est. Vnde Ioannes in Apoc. ait, Agnus, qui occisus est à constitutione Mundi.] Eodem pertinet, quod tractat, disputátque idem Augustinus lib. 2. de Gratia contra Pelagium, cap. 26 & 27: & est apud Ioannem 8 58. Q. Quid significent hæc verba, [Semen Mulieris.] R. Nonnulli

existimant de solo Christo ea esse intelligenda, quoniam vnus ille ex solius Mulieris semine, absque coitu viri & masculi conceptus est. Nam ex Maria Virgine natus est Christus, Math. 1, Luc. 1, quicquid impij & impostores Turcæ ad eleuandam tanti miraculi fidem, mentiantur multos esse inter se ex Virginibus fœminis, & absque semine virili natos. Alij eadam hæc verba ad omnes in vniuersum homines extendunt. Alij deniq; ad solos fideles & electos Dei. Certè propriè & per se ad vnum & solum Christum ea pertinent: communicatiuè verò ad alios homines, & quidem omnes, quatenus de capite Serpentis animalis conterendo literaliter sumũtur: ad solos autem fideles, quatenus eadem illa verba anagogicè de Diaboli veteris Serpentis regno euertendo dicuntur, & intelliguntur. Nam omnes homines Christo communicant, quatenus homo est: soli autem fideles eidem cõmunicant, quatenus Christus est & Messias. Porrò ex eo apparet etiam Semen humanum (ex quo, vti ex Semine mulieris Homines naturaliter procreantur) in his verbis [Semen Mulieris] generaliter contineri: sed quia mulier à Serpente decepta ipsa fuerat, idcirco in eius consolationem dixit Dominus [Semen Mulieris.] Item Christum (cuius beneficio homines alij hoc habent) solius mulieris, non etiã viri Semen futurum fuisse, ex his Dei verbis facillimè, verissimeq; colligitur & efficitur. Q. Cur statim addita factaq; fuit à Deo promissio de Messia: non autem in longum tempus dilata, postquàm nempe pœnam sui peccati homines sensissent. R. Deus quemadmodũ iustus est, ita & misericors, Exod. 34. 6. 7: imò & Hominum

fau-

fautor & φιλάνθρωπος, Tit.3.4 Ose 11.4. Ergo vti quâ iustus, pœnam hominibus statim post eorum peccatum denuntiauit: ita, quâ Misericors, consolationem, ac salutem seu liberationem ab ista miseria promisit, & fore declarauit. Quare summa quadam in genus humanum charitate Messiam illum, id est, Filium suũ ijs promisit hominibus, etsi hostibus & inimicis suis, Ioan.3.16, Rom.5.8, Q. Cur Deus homines peccatores seruare voluit, ac redimere: Diabolos autem peccatores noluit. R. Gregorius Magnus lib.4. Moralium, cap.9. sic scribit, [Est adhuc aliud propter quod & perditus homo reparari debuit, & superbiens Spiritus seu Angelus reparari non possit, quia nimirum Angelus suâ malitiâ cecidit: Hominem verò aliena prostrauit.] Verùm Lombardus lib.2. Sentent. dist.21. cap.5. & 6. magis perspicuè hoc ipsum, atque his verbis, [Homo, quia aliqua, licet modicam, cadendi occasionem habuit, idcirco per gratiã iuuari potuit ad veniam, vt qui per alium ceciderat, per alium erigeretur. Qui ergo incitatorem habuit ad malum, non iniustè reparatorem habuit ad bonum. Diabolus verò, quia sine alicuius tẽtatione peccauit, per alium, vt surgeret, iuuari non debuit: nec per se potuit. & ideo irremediabile peccatum eius extitit.] Alia quoque est caussa huius Dei consilij, quam ex Athanasio sumpsit, explicátque idem Lombardus ibidem, [Præterea, inquit, Angelica natura, quoniam non tota perierat, sed ex parte perstiterat, non est redempta. Humana verò tota perierat, & ideò ne penitus perderetur, ex parte redempta est.] Et hæc vera sunt. Iam venio ad quar-

tum caput, quod est de mutato nomine fœminæ hominis seu vxoris Adami.

Ad IIII. Mutatio nominis Mulieris Primæ.

AC primùm quæritur, Cur Adamus vxoris suæ nomen mutauit? R. Vt immutata eius conditio, & dispar a superiore intelligeretur. Priùs enim Ischa tãquam par marito, id est, Virissa vocatur, vti maritus ipsius Isch, id est, Vir, dicebatur, Gen. 2.23. tanquam fœmina sicut nomine, ita potestate viro par esset, & æqualis. Sed iam postquam per peccatum viro subiecta fuit fœmina seu vxor, illique iam non par, sed subdita Gen 4.16. nomen illi immutatum fuit. & pro [Ischa] vocata est [Chaua] id est Eua, quemadmodum Græcè conuertit Paulus 1. Tim. 2.13. ex communi receptaq; iam inter Iudæos ipsos Græcè loquentes terminatione & sententia. Dicitur autem disertè Adamus, non autem Deus, hoc nomen vxori suæ, velut illius iam caput & Dominus imposuisse, Gen. 4.20. 1. Cor. 11.3. Fuit enim Dominorum nomen rebus sibi subditis imponere, Gen. 2.19 quemadmodũ antea docuimus. Q. Quid vox [Chaua] seu Eua significat. R. Cur sic nominata fuerit Homo fœmina à marito, diximus suprà in Historia. Quid vox hæc significet, nunc est explicandum à nobis Chaua, vt omnes Hebraicè eruditi norũt, significat Viuentem, quòd omnium hominum futurorũ mater esset Eua futura: & vt luctũ illum vxoris, quòd posteris suis mortis causa extitisset, minueret Adamus.

Ergo

Ergo quæ [Mota] seu [Maueta] id est, caussa mortis ex ipsius peccato dici potuit: ex spe futuræ ex ea prolis, & Dei benedictionis, Eua potius fuit appellata. Miror autem quid Philoni Iudæo venerit in mentem, vt in libro de Nominibus Hebraicis scriberet, Euam [Væ] vel [calamitatem] notare. Cui Iosephus perspicuè lib. 1. cap. 2. Antiquitat. Iudaic. contradicit, & rectè.

Q. Quando sic ab Adamo Homo fœmina seu vxor nominata fuerit, Vtrum ante ipsius Euæ peccatum, an demum postquam defecit à Deo, & eius voluntas marito subdita à Deo fuit. R. Nonnulli existimant Mulierem sic etiam ante peccatum fuisse vocatam (in quibus est Iosephus lib. 1. cap. 2. Antiquitat. Iudaic.) & Ischam dictam propter dignitatem illius supra cætera animantia: Euam verò seu Chauam proprio nomine. Tamen ex Genes. 4.20. videtur veriùs colligi posse, eam id nominis demum postquam peccauit, sortitam fuisse, nec ante lapsum suum fuisse binomiam: sed tunc Ischam duntaxat dictam, Gen. 2. 23. Postea verò Chauam solùm. Q. Num superbior fuerit ista mulieris appellatio, quàm par esset, dum Chaua, id est, Viuens, nullo addito epitheto, & distinctione nominatur ista mulier. R. Dum Viuens appellatur Mulier & Chaua, eiusmodi nomen illi tribuitur vt futuræ ex ea benedictionis, posteritatis, ac sobolis spes, promissioque Dei refricaretur illi, & ex ipso suo nomine ad consolationē proponeretur, & obuersaretur ante oculos, Hebr. 12.9: non autem vt caussa ipsa primaria vitæ posteris esse suis Eua agnosceretur, & censeretur (cuius vitæ sunt vterque Parens caussa duntaxat instrumentalis)

non item vt essentiatrix futurorum postea Hominum statueretur. Hoc enim est proprium vnius Dei. Itaque non est appellata eo vocabulo, quod thema & originem cum voce & nomine Iehoua (quod vnius Dei peculiare est) communem haberet: sed quod cum animantibus eandem vocis radicē apud Hebræos retinet. Animal enim ab Hebræis voce [Chaial,] quæ ab eodem verbo deriuata est, appellatur. Iam verò de quintò capite, in quo primus Hominum Vestitus continetur agamus.

Ad V. Vestitutus Hominum Primus.

Quæritur, Cur homines suæ nuditatis post peccatum puduit, cuius eos ante peccatū non pudebat, neque aliud membrum in se, quàm Dei opus, id est, à Deo ipso recens factum cernerent? R. Augustinus lib. 11 Gen. ad liter cap 34. scribit, Deus nō permisit homines ante peccatum suum aduertere nuditatem suam, eorum intentionem in superna sustollens, nisi quum post peccatum pudendum in membris motum pœnali membrorum lege sensissent. Quod ipsum fusiùs lib 14. Ciuit Dei, cap. 16, & 17 explicās, sic ait, [Sicut scriptū est Gen. 2. 25, Nudi erant, & non confundebantur homines, non quòd eis sua nuditas esset incognita: sed turpis nuditas non erat, quia nōdum libido membra illa præter arbitrium commouebat: nondum ad hominis inobedientiā redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat. Cognouerunt ergo quia nudi erant, nudati scilicet eā gratiā, quā fiebat vt nuditas corporis nulla eos peccati lege menti eorum repugnante, confunderet. Proinde confusi inobedientia carnis suæ,

tan-

tanquam teste pœna inobedientiæ suæ, consuerunt folia fici, & fecerunt sibi campestria, id est, succinctoria genitalium.] Hactenus ille. Quare non puduit homines illos primos, quatenus membra sui corporis omnia, Dei esse opus agnoscebant: sed quatenus in ijs motum iam aliquem turpem, & suæ conscientiæ reliquis scintillis aduersantem senserunt. Id quod primùm in membris genitalibus suis manifestè perceperunt: (atque hic motus libido venerea nominatur, vt vult idem Augustinus) ac proinde primùm ea membra ipsimet homines, quantum potuerunt, texerunt, vti & nunc tegunt quoq; imò natura quoque ipsa postea texit obiectis illi corporis parti ac inductis densis pilis, vt apparet 1. *Cor.* 12. 23. *Deinde etiam in cæteris corporis sui membris nudis ijdem viderunt quiddã propter suam iam infirmitatem & imbecillitatem Dei imagini indecorum, fragile, caducum, ac minùs, quàm in alijs animantibus etiam brutis (quæ natura pilosa tunc erãt) robustum & firmum: Id quod ipsum in sese quoq; esse pœnam peccati sui primi illi homines cognouerunt. Sic enim fuerunt seipsos cernentes nudos affecti, vt solent affici homines nudi sub oculis aliorum hominum: & talis affectio & pudor de Peccati pœna erat Gen.* 3. 7, *Iob.* 1. 21. *At hæc omnia nec erant in homine ante peccatum, nec ab eo quoq; sentiebantur: ac proinde ante peccatum eos suæ nuditatis non pudebat.* **Q.** *Cur Deus ipse Homines vestierit, eos autem ipsos sibi reliqui corporis vestimenta, & integumenta, (quemadmodum Genitalium membrorũ iam fecerant) quærere non siuit: aut nudos in perpetuũ esse non permisit & voluit?* **R.** *Etsi Iosephus lib.* 3.

Antiquitat. Iudaic. non meminit vestimentorum à Deo primis hominibus confectorum: verbum tamen Dei disertè eos à Deo ipso post peccatum vestitos fuisse docet, Gen. 3. 21. Quare Deus eos ipse vestiuit, idq; summæ in homines benignitatis argumentum fuit. Primùm, ne iniurijs & tempestatibus cœli, quæ propter peccatum futura erant, suntque maximæ & tristissimæ, essent obnoxij absque vllo integumento & propugnaculo. Ergo Deus ijs vestimenta tanquam tecta quædam, vt inquit Plato, & præsidia dedit aduersus tot mortis pericula, quæ è cœlo profluunt, & irruunt vbique in homines. Ea verò tecta sunt vestimenta, quæ commode secum circumgestarent, quorúmque obiectu tutiores essent, ne statim nimio algore, vel æstu illi, eorumque posteri perirent. In quo incredibilis elucet, vti dixi, Dei in homines (qui recèns ipsum offenderant, seque eius hostes præbuerãt) φιλανθρωπία. Deinde Deus ipse homines post eorũ peccatum vestimentis operuit, tanquã eos iam cernere nolens, & opus in ijs suum (quod ab ipsismet erat corruptum & deprauatum) obtegens. Nam labefactato per peccatum corporis humani & robore, & valetudine, & firmitate, iam non videtur hoc ipsum corpus esse digna Imaginis Dei theca. Ergo fuit quodammodo tota ea theca occultanda, nisi in ijs partibus, quibus necessariò ad huius vitæ humanæ functiones assiduas egemus, quales sunt oculi, aures, nares, manus, os. Cæterùm, eadem illa Dei immensa in hominem etiam sibi hostem, bonitas, caussa est, cur Deus hominem post peccatum noluerit permanere nudum id est, tam afflictum, & sibijpsi alijsque aspectu fœdum & indecorum. Cur autẽ Deus

Ada-

Adamum & Euam non siuerit ipsos sibi quærere aliarum quoque corporis sui partium veslimēta, ratio est, Quod quum illa ex pellibus vel pilis animalium essent conficienda & sumenda, non fuissent ausi primi homines statim post Peccatum, animalia attingere, quæ iam sibi refractaria, truculenta, & inobedientia experiebātur. Præterea quum antea Deus non subiecisset homini Animantia in eum vsum, Homo attentare ea in hunc quoque vsum non potuit, nec debuit, vt ea excoriaret, & occideret, nisi hoc exemplo suo & in hominem beneficio Deus docuisset tacitè se idem illud concedere hominibus in posterum, vt animalium pellibus & pilis se vestirēt ac proinde ea interficere in eum vsum possent, quemadmodum & ad edendum seu vescendum. Hoc enim Dei factum fuit Lex subiectioq; imposita cæteris animantibus: & benigna iuris in eadem animantia concessio Homini, licèt peccatori, facta de nouo a Deo. Malè tamen ex eo concluditur, feliciorem hominis conditionem ergo post ipsius peccatum extitisse. Id quod putat Iosephus: Fuit enim felicius non vestiri, quàm vestiri. Q. Vtrum Deus ipse animalia quædam, ex quorum pellibus vestes pelliceas faceret, occidit, quæ postea excoriarit: an nouas quasdam pelles ipse crearit, non ex vllis animalibus detraxerit, quas ipsemet in vestimenta consuerit? R. Siue ipse Deus per se, siue per Angelos beatos vestes illas pelliceas confecerit, ac pararit, perinde est. Per se enim facere videtur qui per alium facit. Certè pellibus recentibus & omnino scorteis, & adhuc fœtidis Hominem vtrunque statim Deus inuoluit post eorum lapsum, tanquā mor-

tis odorem seu potius putorem naribus eorum obijceret, & eos his vestibus, tanquam ordinario quodã sepulcro, concluderet ac integeret, vt quæ fœditas & pauor mortis esset iam ex his exemplis discerent homines isti. Eas autem pelles nequaquam nouas ex nihilo, vel ex terra Deus creauit: sed eas animalibus à se interfectis (saltem tunc mortuis) detraxit, quibus ipsis statim homines induit. Ergo hac ratione Deus homini & mortis terrorem incussit (quum fœditatem, horrorem, miseriamq́ cadaueris illi in animalibus istis occisis proponeret) & vsum, iusque nouum in Animalia concessit. Itaque hoc Dei exemplo, (quod fuit velut præceptum à Deo datũ Homini) admoniti postea homines animalibus, eorumque pellibus sunt vsi ad esum, & vestitum suum, tanquã cibis in eum finem creatis, & sibi à Deo benignè traditis, & concessis, 1. Tim. 4 3. Q. Cur ex pellibus Animalium potius, quàm ex folijs arborũ, velut ficus, Palmæ Christi, quæ vocatur Cucurbitæ terrestris contextis (quod sine cæde fieret) vestimenta fecit Deus hominibus. R. Hieronymus lib. 1. Epistolarum, Epist. de Vita Pauli Eremitæ, scribit Paulum istum Monachum vestem duntaxat ex folijs palmarum contextis, & inter se cõsutis habuisse, quam Antonius Monachus postea gestauerit: non autem vestem ex pellibus animalium. Nam ait idem Hieronymus, [Cibum, & vestimentum ei Palma præbebat.] Verùm duabus de caussis Deus ex istis folijs vestimenta homini nõ confecit: Primùm, quòd huiusmodi materia nõ erat ad prohibendas diuturnas cœli iniurias satis firma & robusta. Itaque solidiore fuit opus, ac duriore, qualis fuit quæ ex pellibus

bus

bus animalium nondum expolitis, & pilo nudatis texebatur. Hoc autem vestis pelliceæ genus rude, impolitũ, & ἄτεχνον Iulius Cæsar lib. 6. Comment. de Bello Gall. Rhenones appellat, Germanica voce. Deinde, vt hoc exemplo suo Deus ostenderet Hominibus licere, & quidem ex ipsius beneficio, vti animalibus brutis ad vestitum, & ad victum. Nam absque hoc nouo Dei beneficio neque potuissent, neque ausi fuissent homines ijs in eum finem vti, eáque vllo prorsus modo attrectare.

Q. Vtrum primi Homines post peccatum (nam ante peccatum solis herbis & fructibus arborum vtebãtur) & ante Diluuium carnes animalium comederint. R. Grauis quæstio, & scitu non modò iucunda, sed etiam propter Manichæos hæreticos, & Pythagoreos Philosophos (qui carnes animalium edendas esse negant) necessaria. Certe, quamuis de ea non habeamus expressum in Dei verbo testimonium, facit tamen rationum, quæ proferuntur, vis & momentum, vt fateamur deffendamusque veram esse eorum sententiam, qui existimant homines statim post peccatum carnem Animaliũ comedisse. Prima verò huius rei ratio est, quòd quum ad vestimenta sibi conficienda homines statim post peccatum seu lapsum suum, atque ante Diluuium Animalia occiderent, eáque excoriarent, id est, pelles ijs detraherent, Gen 3. non siuerunt animalium à se interfectorum carnes inutiliter perire, præsertim eas, quibus vesci cõmodè, id est, & cum valetudine, & cum voluptate poterãt, quales sunt carnes Agninæ, Ouinæ, Vitulinæ, Bouinæ, Capreolorum, & cæteræ huiusmodi. Deinde ante Diluuium, & statim post peccatum (saltem grandiore

iam facto Abele) Homines pastores fuerunt, & greges pecudum, & armenta pecorũ aluerunt, Gen 4. Quorsum verò? An tãtùm vt lacte ex illis vescerẽtur 1. Cor. 9.7: non etiam eorundem carne, si vellent? Quorsum enim tantus pecorum numerus ab vno homine pasceretur? Praterea non omnia animalia lac habent. Ergo & vt lacte, & vt carne animalium, qua pascebant, vterentur, Pastoritiam artem excoluerunt primi Homines ante Diluuium. Tertia ratio est, quòd statim post peccatum, & ante Diluuium homines Animalia Deo sacrificarunt: Ergo ex animalium carne ederunt Nam ex quo Animalium genere Deo sacrificabant homines, ex eodem edebant quoque Deut. 14. 12, Leuit. 7. (excepto postea, sed peculiari pracepto, holocausto tãtùm) Ex quo factum est, vt sub Lege Dei sacrificãtes homines ex suis sacrificijs, .i. carne sacrificata, seu ex Animalium à se oblatorum parte vescerentur quoque, & quidem in medio Dei templo, & iussu Dei. Leu. 3. 6, 7, Deu. 12. Vnde illud est Athenai lib. 1. Dipnosoph. ex Epicharmo vetustissimo Poeta, ἐκ τῆς θυσίας θοίνην, id est, Ex sacrificio conuiuia manasse. Sed & mundorũ atque immundorum animalium distinctio, qua fuit ante Diluuium, & ad victum & ad sacrificium similiter pertinuit, vt scirent homines quibus animãtibus vesci, & sacrificare Deo possent. Atque hac caussa est cur in Diluuio Deus etiam animalia Bruta exstinxit, nempe quòd ea Deus concesserat hominibus ad victum. Itaque quum Deus homines deleret, & ea quoque necauit, qua hominum vita sustentanda necessaria erant: & quum homines restituit Mundo, eisdem quoque animalia ve-

lut no-

lut noua reddidit, & ius, vt priùs, in eadem illa concessit. Denique non fuit post peccatum & ante diluuium purior hominum vita, quàm est sub Euangelio, & Apostolorum D. N. Iesu Christi tempore. At Apostoli carnes animalium etiam ex Dei præcepto comederunt Act.10.13. Cur non igitur primi homines illi, qui ante diluuionem vixerunt? Verùm obstat, quòd id disertè factum esse nusquam tradit S. Scriptura. Sed neq; eadem memoria prodidit eosdem illos homines illo tempore vixisse frumēto, bibisse aquā. Ergo frumento (quod ex terræ cultura tunc nascebatur) homines illos victitasse, vel aquam bibisse minimè credendum est. Cur igitur erant agricolæ Adamus, & Cainus? Sed & obijcitur Gen.9.3. vbi post eluuionem Mundi vniuersalem primùm videntur Animalia fuisse Homini à Deo in cibum concessa. Respondeo verò non tunc primùm ea homini in victum fuisse data: sed illic repeti, aut potius confirmari (nempe quia nouus quodammodo videbatur ille Mundus restitutus) ius vetus, quod iam hominibus tribuerat Deus. Simile exemplū extat Gen.8.21.22, videlicet de futuro Mundi in posterum ordine eodem, qui in priore Mundo, id est, ante aquarum diluuionem fuerat. Quid si dixero amplificatam fuisse Gen.9.3. Dei concessionem de esu Animalium à Deo prius factam, additaq; illi fuisse reptilia, quales sunt Pisces, & Aues pleræq;, & testudines, quibus antea vesci non solebant homines, vtpote animantibus à terra (in qua ipsi habitant) cognatoq; sibi elemento secretis, & velut in alio quodam Orbe habitātibus? In summa sic sentio homines ante eluuionem carne vesci & potuisse, & solitos

fuisse. Et hæc de Primo vestitu Primorum hominum. Nunc de eorundem eiectione ex Edenico Paradiso.

Ad VI. Eiectio Primorum Hominum ex Paradiso.

Quæritur, Cur Deus hominem (quem & iam puniuerat, & ex Horto eijciebat) irridet etiam amarè, Gen. 3.22, [Ecce homo euasit sicut vnus è nobis] quũ afflicto non sit afflictio danda, & cumulanda, Psal. 69 26, & 109.16. R. Oportuit Hominem seriò pungi, & de suo peccato admoneri, illiq; mendacia Satanæ (à quo se decipi passus erat) detegi. Pœna ergo à Deo priùs inflicta Homini, fuit admonitio de fœditate & grauitate peccati ab ipso perpetrati. Irrisio verò, & σαρκασμὸς iste, qui fuit additus [Ecce Homo euasit, &c.] fuit manifesta mendacij Satanæ demonstratio, quæ tunc Hominibus facta est à Deo. Vim autem & pondus maius habuit hæc Dei oratio homines irridentis. Nam hac ratione magis stupidum, & superbum illum Adamum perstrinxit Deus, & pupugit. Verùm sicut à Deo dictum fuit Adamo reo [Ecce homo:] sic innocenti Christo, peccatũ Adami expianti dictum est à Pilato, postquã eum irrisum Pilatus flagellis penè excoriasset, [Ecce Homo] Ioan. 19.9. Q. Quãdo eiecti fuerint primi homines post suum peccatum R. Incertum est. Eodem tamen die eiectos fuisse, quo peccarunt, verisimile est, ne si post peccatũ in eo Horto diu remansissent, de fructu Arboris vitæ mãducarent. Ergo statim depulsi sunt ex eo loco Gen 3.22. Q. Quam in mundi

in mundi partem à Deo deducti sunt primi illi Homines ex Edenico horto eiecti? R. Nonnulli putant in Damascenam regionem, ex cuius terra & solo, aiunt, desumptus fuerat. Ait enim Moses Gen. 3. 23, dimissum à Deo fuisse Adamum in eam terram, ex qua desumptus fuerat. Verùm quis eos ista docuit, Nimirum Adamum in Damascena regione fuisse conditũ à Deo, & ex illius terræ humo, solo, seu puluere desumptum? Deinde quod generaliter dixit Moses de terra ab homine colenda, restringunt isti ad certi loci solum & terram. Alij in terram Cananeam deductum à Deo Adamum malunt, propterea quòd, aiunt, in vrbe Hebrone mortuus est Adamus. Sed quis hoc illis reuelauit? aut vnde hoc habẽt? Quid igitur? ex ipso Mose Gen 3. 24 apparet Adamum & Euam ex Edenico Paradiso expulsos, à Deo collocatos fuisse in Orientali Mundi regione, & anteriore istius Horti parte. Quæ prima igitur Mundi plaga ab hominibus habitata, cultaq́ fuit, ea fuit Oriens Orbis terrarum. Q. Cur Deus ad custodiendum hortum, arcendosq́ ab eo homines omnes constituit Cherubinos, id est, Spiritus ignota homini facie potius, quàm Angelos, id est Spiritus nota & familiari homini facie & vultu? R. Vt magis omnes homines terreret Deus, Angelos & Spiritus eiusmodi vultu illic ad prohibendum aditum Horti collocauit, id est, forma ignota, horribili, & tremenda. Nam si Spiritus facie & forma hominibus nota fuissent in Horti constituti, non sic, nec tantum homines perterrefecissent. Q. Vtrum etiã pecudes ab aditu Horti Cherubini illi post Hominis peccatum prohibuerunt?

R. Incertum quidem est: non puto tamen Cherubin prohibuisse pecudes, quominus in Hortum ingrederentur, eúmque concúlcarent, & velut prophanarent, etsi illius aditus hominibus interdictus erat. Et hæc quidem hactenus. Nunc ad caput 7. historiæ veniamus, quod est de prima generis humani propagatione.

Ad VII. Propagatio prima Generis Humani.

Quæritur, Quo ætatis anno, aut quo primùm tempore seu die Adamus cognouerit vxorem suam, vtrum in Paradiso Edenico, an postquam ex eo fuit eiectus: Vtrum ante peccatum, an demum post peccatum. R. De Setho quidem Adami filio, quo ætatis Adami anno susceptus ab eo ex Eua fuerit, commemorat, aijt q; S. Scriptura Gen. 5. 3. De alijs autem (velut Caino & Abele) eius filijs nihil traditur. Potuisse quidem Adamum in Edenico horto, & ante peccatum cognoscere vxorem suam, anteà demonstratũ est à nobis: imò etiam fortasse cognouit. Verùm vtrum in eo loco, & eo tempore, id est, antequã peccasset, conceptus fuerit Cainus, ex Dei verbo nequaquam apparet. Alij quidem aiunt, alij verò negant. Ego verò eorum accedo sententiæ, qui volunt demum post peccatum, & eiectum ex Edenico Paradiso Adamum & Euam Cainum fuisse conceptũ. Q. Vtrum ante Cainum alij liberi Adamo nati sint, sed mortui, & non superstites. R. Nec hoc ipsum tradit S. Scriptura, nec verisimile est alios ante ipsum fuisse susceptos. Idcirco enim eum Cainum Eua mater nomi-

nominauit quòd is primus ex se natus esset, eúmque sibi Deus primùm dedisset seu cõcessisset, Gen 4.5 adeo vt in ipso Caini nomine notetur Euæ desiderium de suscipiendo ex se saltem aliquo: quem quum Eua Deus esset post longam ipsius exspectationem largitus, eum Cainũ ex Dei in se beneficio vocauit Eua. Ex quo colligi potest satis diu Adamum & Euam simul absq; liberis vixisse: neque Cainum illis statim atque è Paradiso eiecti sunt natũ, ac procreatũ fuisse. Q. Cur Cainus, Abel, & Seth sic nominantur à suis parentibus Adamo, & Eua? R. Cainus dictus est à beneficio Dei, quòd eum primùm suscepissent primi homines, & acquisiuissent, seu potius possedissent à Deo, sibi concessum, Genes. 4.1 Ergo in eo primùm senserũt vim illius Dei benedictionis [Crescite, & multiplicamini:] Euáque se primùm in eo vidit verè Chauam & matrẽ. Ergo sese consolata est mirificè. Nam læta de partu suo, etiam in ipso Caini nomine notauit potius Dei beneficium, quàm partus sui dolores. Imò docet hæc appellatio filios omnes, quos ex coniugio suscepimus, esse Dei donum. Verùm in Abele aliud est obseruandum. Nam [Abel] dictus est, id est, luctus, vel quodam spiritu prophetico, quasi qui postea magnum vtrique parenti suo luctũ, & mœrorem ob immaturã mortem esset allaturus: vel quòd in secundo partu maiores, quàm in primo, dolores Eua sensisset. Id quod omnes mulieres nunc quoq; experiuntur: nam in secundo, tertióque puerperio grauiùs affliguntur, quàm in primo. Itaque à sensu doloris istius tristissimi, quem experta erat, Eua in hoc secundo partu & filio suo ædendo, eum Abelem nominauit, Gen. 4.2, id est, fi-

I 3

lium doloris. Porrò Sethus dictus est, quasi Repositus & restitutus. Quum enim hic loco filij Abelis iam occisi esset Adamo & Eua à Deo substitutus, & velut redditus, repositúsque, vocatus est à Parentibus seipsos consolantibus, & Dei beneficium in se agnoscentibus, [Sethus] .i. Restitutus, à quo est tota quæ postea secuta est, Dei Ecclesia in Mundo propagata Gen. 5. 3. 4. 5. & deinceps. August. lib. 15. Ciuit. Dei, cap. 17: [Quum ergo esset Adam, ait, vtriúsque generis pater (id est, & cuius series ad terrenã, & cuius series ad cœlestem pertinet ciuitatem) occiso Abele (atque in eius interfectione commendato mirabili Sacramento) facti sunt duo Patres singulorum generum, Cain & Seth: in quorum filijs, quos commemorari oportebat, duarum istarum ciuitatum in genere mortalium euidentiùs indicia clarere cœperunt.] Ergo Cain improborum societatis Pater est, qui terrenam quoque condidit ciuitatẽ. Seth verò, qui Resurrectio, ait Augustinus, interpretatur, Ecclesiæ Dei, bonorúmque societatis est stirps & pater, qui Enoschum procreauit eum, qui in cœlum à Deo raptus est. Nam qui verè sunt Ecclesia Dei, cum Christo resurrexerint necesse est, vt in cœlum rapiantur. Q., Vtrum præter hos tres, alios liberos Adamus & Eua susceperint, masculos vel fœminas: an hos tres solùm? R. Vtrum inter Abelem & Cainum aliqui liberi internati sint Adamo, & interpositi: itemque Vtrum post eos alij sint ab eodem ex Eua procreati, nõ deffinit S. Scriptura. Philo tamen Iudæus in Biblicis Antiquitat. sic scribit, [Initio Mundi Adam genuit tres filios, & vnam filiam, nempe Cain, Noaba, Abel,

&

& Seth. Et vixit Adam postquam genuit Seth annos D. CC. & genuit filios duodecim, & filias octo. Et hae sunt nomina virorum, Aelifeel, Suris, Aelamiel, Brabal, Naat, Harama, Zasam, Maathal, & Anath. Et hæ filiæ eius, Phua, Iectas, Arebica, Siphatecia, Sabaasin.] Qui locus Philonis planè corruptus est: nam nec duodecim masculorum nomina habet, nec octo fœminarum. Præterea in numero annorũ vitæ Adami post natum Sethum, mendum est. Nisi fortè eos tãtùm liberos Adami nominauit Philo, quorum appellationes ex veteri traditione supererant, nõ autem omnes. Certè nec Cainus ducere vxorẽ potuisset, nec Sethus, si Adamus alios nullos liberos omninò suscepisset, quàm quos recitat Moses. Nullas enim fœminas cõmemorat: quas ex eo tamen nasci oportuit, vt & Cainus, & Sethus matrimonium contraherent. Nec enim ex Caini stirpe duxit vxorem Sethus: sed ex familia ipsa Adami, sororẽ nempe suam. Nam Gen 6.2, damnantur ij pij, qui ex Caini familia coniuges sibi acceperunt. Abel quoque nullam familiam reliquisse videtur, nec vllos ex se liberos. Sethus enim in Abelis occisi, & absque liberis mortui locum à Deo substitutus, datusq; Adamo fuit. Vnde Sethus dictus est. Siqui enim ex Abelis interfecti stirpe filij remansissent, eum Adamo repræsentassẽt, & eius locum tenuissent, non autem Sethus minor eius frater. Deinde in familia Abelis Deus cõstituisset Ecclesiam suam, quum Abel primum piorum & Electorum Dei exemplum à Christo ipso statuatur, & iustus appelletur Math.22.35: non autem in Sethi familia. Id quod tamen contigit, factumq; fuit. Ergo plures na-

ti sunt Adamo filij quàm tres isti, quos enumerat Moses. Id quod etiam contendit Augustin. lib. 15. Ciuit. Dei, cap. 15. Q. *Quid hac Mosis de Setho ab Adamo creato loquentis verba significãt Gen. 5. 3: [Genuit Adamus filium in imagine sua, secundum similitudinem suam.]* R. *Nonnulli sic ea explicant, vt velint ea pertinere ad formam externam, velut oris venustatem, quæ fuit in Adamo, & illam compositionem, constitutionémque corporis pulcherrimam, qua Adamus à Deo conditus constabat, quam repræsentarit ad viuum Sethus. Quasi nempe neque Cainus, neque Abel tam formosi fuissẽt, & similes Adamo patri, quàm erat hic Sethus, ex quo Deus postea seuit ac progenuit Ecclesiam suam. Verùm quum eadem phrasi sit vsus supra Moses Gen. 1. 27, & 5. 1: quæ ad externam formam corporísve lineamenta pertinere non potest, certè neque etiam hoc loco sic est explicanda. Significat igitur μορφὴν illam, quam Philip. 2. vocat Paulus internam, à qua res quæque naturam sortitur. Ergo quum post peccatum Homines nascantur peccatores, vtpote ex hominibus peccatoribus, quæ in homine iam restat natura non est integra illa, incorrupta, lucidáque Dei imago, ad quam Adamus ipse primus homo fuerat cõditus: sed est deformata ista, & pene deleta, quam Homo, id est, ipse adeo Adamus post peccatum à se perpetratum reliquam habuit Colos. 3. 10. Ergo Adamus genuit Sethum filium suum ad imaginem tãtùm suam, id est, qualem (summo quidem Dei beneficio) retinuerat post offensam suam (nimirũ ne esset brutum pecus) & quam habent post peccatũ omnes homines Ioan. 1. 9.*

(*Hanc*

(Hanc autem dat Christus omni homini venienti & nascenti in hunc Mundum)non autem ad imaginem illã primam & incorruptam Dei,quam Adamus ante lapsum habuerat, Sethum genuit. Q. Cur demum, quum de Setho agitur,dixit Moses Adamum genuisse filium ad imaginem suam:non etiam de Caino,& Abele idem scripsit,qui tamen propter peccatum,& post peccatum Adami nõ perfectiorem Dei imaginem portabant,quàm Sethus. R. Hoc quidem verum est, & ex ipsa Caini vita & factis apparuit. Sed quoniam intra centum illos & triginta annos, post quos à creatione Adami natus est Sethus,malitia hominum manifestè apparuit, & tunc Dei imaginis labefactatio in hominibus populariter cernebatur, denique tristissima peccati Adami effecta diffundebantur in Mundum: idcirco dixit Moses Sethum,& eos,qui post illud tempus ex Adamo peccatore nascebantur, ab eo perspicuè genitos fuisse ad suam, non autem ad Dei ipsius imaginem,ac similitudinem. Quinetiam vt meliùs clariusq́; tanta hominum corruptio ex prioris status cum eo,in quo iam post peccatum sumus, comparatione intelligeretur, priusquã Moses id de Setho, & alijs postea natis diceret,breuiter & expressè priorem illam hominis conditionem repetijt,& commemorauit,in qua primùm à Deo fuerat conditus,Gen.5.1.2. Quamobrem quũ tanta iam labefactata Dei in homine imaginis signa extarent, scripsit Moses tunc in posteris & filijs Adami non eam aut tantam (quãtam priùs Adamus ipse habebat) remãsisse Dei similitudinem:sed eam duntáxat, quã post peccatum, Dei benignitate, retinuerat. Dein-

de hoc ipsum quoque eo maximè loco cõmemorasse videtur Moses, vt quum de Setho patre, & fonte futuræ in Mundo Ecclesiæ acturus esset, intelligeret & ipsemet Sethus, & eius posteri, se, quòd tales sint, solâ Dei gratiâ existere, quoniam naturâ essent, & sint, sicut cæteri homines, corrupti, filij iræ, & iam in Adamo, deleta Dei imagine, maledicti, Eph.2.3. Ergo vt electio illa Ecclesiæ, quæ fit ex Adami posteris, perspiceretur, & agnoscatur etiamnũ hodie esse gratuita, & ex sola Dei misericordia, & electione, Deut.6, Rom.9, Malach. 1, de prima Ecclesiæ origine, & distinctione dicturus Moses, ostendit eos ipsos (ex quibus & primùm constituta est, & nunc restat Ecclesia) esse naturâ cæteris mortalibus pares, nempe deformes mente, corruptos, miseros, & damnatos. Q. Vtrum in primo illo seculo anni sterilitatis erant in fœminis Anni quinquaginta vel paulopòst, quemadmodum nunc, vt post eos annos fœminæ concipere non possent, Luc 1.36. R. Apparet Euam illo seculo concepisse anno ætatis suæ 130. (fuit enim coæua Adamo viro suo) nec id miraculo factum dicitur, (quemadmodum de Sara vxore Abrahami, Gen.18.10, & 21.1. narratur) sed tanquam ordine naturæ & communi lege cæterarum Mulierum. Præterea satis intelligi potest ex alijs liberis, qui eo tempore suscepti sunt ex alijs mulieribus, illas etiam post centum ætatis suæ annos concepisse. Quare qui anni iam sunt post diluuium steriles fœminis, ijdem ante diluuium erant ijsdem fœcundi. Sed postquã Deus vitam hominum coarctauit, vt apparet Gen.6: sic etiã tempus fœminis ad concipiendum breuius, quàm anteà, dedit.

dedit. Et hæc quidem de prima generis humani propagatione. Accedamus ad primas hominum artes, & videamus ecquæ fuerint.

Ad VIII. Primæ Hominum Artes.

Quæritur, Cur has primùm & potissimum Artes, nimirum Agriculturam, & Pastoritiam primi illi homines post peccatum exercuerunt, non autem alias, quæ postea tamen inuentæ, & in vsu fuêre inter mortales, atque adeo nunc sunt. R. Eas artes præcipuè à primis hominibus post peccatum excultas fuisse dico, ex quibus victum sibi, eúmque naturalem & necessarium: non autem superfluum, sumptuosum, & cupedias compararent. Ergo Agriculturam, ex qua & frumentum, & terræ fructus etiam ex arboribus perciperent, didicerunt Gen. 4. 1. Agriculturæ enim nomen extendo nõ tantùm ad ipsam aruorum culturam, nempe arationem & sationem, vt inde fruges proueniãt: sed etiam ad arborum curã, vt inde fructus homines perciperent. Audierat namque Adamus ex Dei ipsius ore post peccatum suum Gen. 3. 17: [Maledicta esto terra propter te, cum molestia comedito ex ea omnibus diebus vitæ tuæ.] Id quod ad omnem prouentum, qui ex terra fit, generaliter pertinet. Quare Agricultura hoc loco & Hortensem (quæ in herbis & arboribus colendis posita est) & Agriculturam (quæ propriè dicta est sitaq; in aruis serendis) complectitur. Hanc igitur artem excoluerunt Homines illi primi, vt & frumentum, & triticum, & arborum fructus, herbasque ad victum vtiles, vti dixi, haberent. Verùm & Pastoritiam quoq; (quæ

& in minoribus, & maioribus pecudibus pascendis versatur) vt inde carnes ad victum sibi necessarias haberent semper in parato. Quare quum hæ artes duæ victum eiusmodi, id est, naturalem & necessarium hominibus præbeat, primæ quoque omnium & Dei beneficio cognitæ, & excultæ fuerunt. Sic Abrahamus vtramq; exercuit, Gen.21. Sic Isaacus, Gen.26. Reliquæ verò, quæ ad delicatum hominum cultum & victum pertinent, postea sunt repertæ, atque ab omnibus probatæ, & vsurpatæ. Q. Quomodo ista hominũ seruitus ac vilis status in pascendo pecore conueniat cum Psal. 8. [Omnia subiecisti sub pedibus eius.] Turpe enim videtur vt homines pecorũ domini, illis tamen seruiãt, sintque addicti, quales sunt tamen dum ea pascunt, curant, & sequuntur. R. Hæc tam abiecta conditio, vt rebus sibi priùs subditis Homo iam post suum in Deum peccatum subijciatur, Homini competit, & quidem meritò. Nam Homo deserendo Deum à quo dominatum illum habebat, & seipsum perdidit, & dominium suum. Ergo iam pecudum seruus est, qui dominus earum anteà fuerat, Psal.49.21, & tam abiectè deiectus à Deo. Per Christũ verò in illius dominatus partem (quantum quidem ad huius vitæ vsum est opus) tamen in his terris restitutus est homo, idq; ipsum declarat Psal.8.5, Heb.2.8: non autem in plenum illud, quod antea possidebat ius, ac dominium. Quamobrem, æquum est hominem, quatenus peccator est, & primæ originis suæ desertor, Deiq; contemptor, seruire pecudibus ipsis brutis, Gen.31.40.41, & ijs subijci, quatenus de ijs curam propter suum ipsius victum habet. Q.

Cur

Cur primi homines eas solas Artes duas tenuerunt, & excoluerunt: reliquas autem non item, quales quæ Ferrariæ sunt, ædificatoriæ, Musicæ, quemadmodum tamen postea in hac prima Mundi ætate, & ante Diluuium factum est Gen. 5. R. Quia nondum istis postremis artibus egebant. Ergo seriis, & omnino necessariis huic vitæ rebus primùm Homines animum intenderunt, postea verò aliis, quum iis egere, aut iis delectari cœperunt. Nam verum est illud,

[Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemq;
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo.]

Labor enim omnia vincit improbus, & duris vrgens in rebus egestas. Ergo quæ primam hominum ætatem subleuabant Artes, eæ primæ sunt procuratæ, & in pretio habitæ. Ad nonum verò caput Historicum, quod est de Primo hominum Sacrificio in his terris, veniamus.

Ad VIIII, seu IX. Primum Hominum Sacrificium.

Quæritur, Vtrum vero Deo priùs fuerit ab hominibus sacrificatum post eorum peccatum, quàm Idolis, vel Diabolo, cui primi illi duo Parentes fidem contra Dei verbum adhibuerant. R. Priùs vero Deo fuit sacrificatum, quàm Idolis ac Diabolo. Priùs enim vera religio fuit, viguitque: postea verò Idololatria recepta est & introducta (quemadmodum & quidem verè docent Tertulianus & Lactantius) quæ fuit puræ sinceræque Religionis corruptela, & κακοζηλία. Nec enim peccans homo, aut post peccatum agnitionem Dei pror-

sus amisit, sed eum in se iratum sensit Gen. 3.8. unde se ab eo abscondit. Porrò Epiphanius affirmat toto illo primo Mundi seculo, quod aquarum diluuionem præcessit, nullum inter homines fuisse idolorũ cultum. Hoc enim malum demum post diluuium natum est: Diabolum autem, aut Serpentem, à quo deceptus fuerat Homo, nequaquam pro Deo suo agnouit, vel coluit: sed verum duntaxat Deum, cui tamen instinctu Diaboli non paruit. Q. Unde homines primùm cognouerunt esse sacrificandum Deo. R. Ex ipsomet Deo, id illis post eorum peccatum reuelante. Ratio est, Primùm, quòd nulla vnquam ἐθελοθρησκεία Deo placuit, gratáve fuit Colos. 2.23, Deut. 12.8, Math. 15.9: sed is demum cultus, quem ipsemet Deus sibi instituisset, ac poposcisset. Deinde, quòd dicitur Abel per fidem sacrificasse Hebr. 11.4. Ergo ex Dei mandato. Quicquid enim fit absque fide, peccatum est, Rom. 14.23. Fides autem absque præcedente & præeunte Dei verbo esse nullo modo potest, Hebr. 11.1, Isa. 1.12. Ergo quum ex fide sacrificarint primi parentes post peccatum, eorúmque posteri, fueritque hic cultus Deo gratus, præceptum de Sacrificando habuerint necesse est. Nec verò Deus celauit homines mysterium salutis eorũ futuræ, quam iis ipsis post eorum peccatũ promiserat his verbis, [Et Semen mulieris cõteret caput Serpentis] Promittere autem eam, & eandem explicare, fuit eiusdem Dei misericordiæ. Eius autem promissionis explicatio in præcepto de Sacrificando, & sacrificiorum declaratione, quid nempe significarent, quidve repræsentarent, posita fuit. Q. Cur alia, & priora hominum sacrificia

ficia, velut Adami (nec enim fuit, tandiuq́; ante Abelis & Caini oblationem vixit Adamus post peccatum suum absque eo, quin Deo sacrificarit) non cōmemorat Moses, sed primùm hoc Caini, & Abelis. R. Quoniam hoc primum insigne quidpiam, ac notatu dignum habuit, quod non fuit in prioribus sacrificijs. Siquis tamen hoc fuisse primum omnium sacrificium voluerit, quod sit ab hominibus oblatum Deo, non repugnabo, quemadmodum cōtra Iulian. lib. 3. scribit Cyrillus: Sin alia praecessisse malit, eius sententiā ipse probabo. Q.

Cur Abelis oblatio fuit Deo gratior, quàm oblatio Caini, quū vterq́; primitias, saltem munus suae artis offerret, & magis innoxia fuisse videatur oblatio Caini, vtpote quae sanguinis effusione caruerit, quàm Abelis, quae cruēta fuit. R. Varia in eo varij sentiunt. Nōnulli ex Hebr. 11.4. existimant Abelis munus fuisse Deo gratius, quia fuit maioris pretij, nimirum ex primogenitis gregis. Caini verò oblatio fuit tantùm ex fructibus terrae. Verùm pinguedine pecudum, aut pretio rerum minimè Deus per sese delectatur, Psal 50, 1. Sam, 15.22. Alij censent idcirco placuisse Deo sacrificium Abelis, quòd ex primogenitis gregis sui obtulisset, id est, ex primis animalium suorum foetibus. Cainus verò fructus quidem, sed non primos & optimos dedisset Deo. Sic Cyrillus lib. 10. contra Iulian sect. 6 At verò propter fidem, non propter rem ipsam oblatam dicitur Abelis sacrificium acceptum fuisse Deo Quāobrem alij volunt gratius fuisse hoc munus Abelis, quia Deo magis placuit, quàm Caini. Placuit verò propter fidem, quam Dei promissionibus habuit Abel, praeser-

tim illi, quæ erat de futuro Messia & eodem ex genere humano exiturо, iuxta illud [Et Semen mulieris conteret caput Serpentis.[Quũ igitur ille spectaret hanc Dei promissionem, totusque ex ea penderet, maiore & zelo & studio, & animo sinceriore sacrificauit Deo, quàm frater ipsius Cainus. Itaque & sacrificium illud obtulit Deo, quod magis Christum illum futurum repræsentabat, nempe pecudem obtulit iugulatam, & cuius adipem cremauit, quod sacrificium peccatorum coram Deo per eundem Christum abolitionem significabat, Leuit. 3. Ergo in Christum promissum respexit Abel, ac proinde fidem iustificantem habuit, quæ nos, nostraq; omnia Deo grata efficit, Rom. 5. Hac autem eadem caruit Cainus, contentus obtulisse Deo, vt supremo suo Regi, terræ suæ fructus, quæ terræ fruges erant, siue flores siue simila, siue poma arborũ. Etsi verò sacrificia à Deo postea instituta, & sale, & simila (quæ est ex tritico) Dei iussu fuerunt cõspersa, & fruges habebant, Numer. 6, & Mincha, quæ Deo offerebatur, omnis ex frugibus erat oleo & thure aspersis: repræsentatio tamen Christi fuit potissima in ipsa victima, seu pecude iugulata, & igne postea cremata, qualem Abel obtulit. Denique quod affertur sacrificium Caini fuisse magis innoxium, vtpote quòd erat incruentum, ex hominum, scriptorumq; profanorum opinione dicitur, non ex ipsa rei veritate. Nullum enim sacrificij genus Deo gratius fuit, quàm Expiatorium peccatorum. Atqui illud semper cruentum fuit, Hebr. 9. 22. Verùm vt concludam. Dico rationem cur Abelis sacrificiũ fuerit gratum Deo, fuisse, solam eius fidem de Christo. De

quo ta-

quo tamen anxiè & variè disputat, imò ambigit Cyrillus lib. 10. contra Iulian sect 10, vti dixi. Q. *Quomodo Deus ostendit Abelis sacrificium esse sibi gratius, quàm Caini?* R. *Aliquo visibili signo id testatus est, quod etiam Cainus ipse percepit. Itaque propterea accensa est ira Caini in fratrem, Genes. 4. 4. 5. Ergo Heb. 11. 4. dicitur testimoniū ipse Deus perhibuisse de illa muneris sibi ab Abele oblati acceptatione, & muneris Caini reiectione. Quod ipsum quoque sentit Augustinus lib. 15. Ciuit. Dei, cap 7. Siue vero ignis de cœlo descendit, qui sacrificiū Abelis consumpserit (quēadmodum & in primo Aaronis sacrificio euenit, Leuit. 9. 24: & Elia Propheta sacrificante coram populo factum est, 1. Reg. 18. 36) siue quidpiam aliud tunc extiterit à Deo, vnde ista munerum distinctio apertè ab vtróque sacrificante deprehenderetur, dici non potest. Visibile tamen signum ac testimonium istius acceptationis fuisse negari non debet.* Q. *Quid Cainus & Abel, eorumq́ꝫ sacrificia nobis hodie demonstrant?* R. *Augustinus toto lib. 15. Ciuit. Dei, sed in primis cap. 5. & 17, ostendit in Caino & Abele (qui ex primo homine Adamo fuerunt procreati primi) duarum, quæ in hoc Mundo cernuntur, Ciuitatū fundamenta describi & proponi: quarū vna Terrena est nimirum ea, quæ à Caino fratricida exordium habuit, atque in eius posteris continuauit, Ioan. 3. 12, Gen. 4. & 5. Altera, Cœlestis, & Spiritualis, quæ est Ecclesia Dei, cuius primum exemplum est Abel, Math. 23. 35. Sed quoniā Abel sine successore mortuus est, à fratre suo Caino interfectus, ab eo non est propagata hac Dei Ciuitas &*

Ecclesia, sed à Setho, qui pro Abele defuncto substitutus est à Deo, & in cuius Sethi posteris mansit Ecclesia Dei. Hinc verò etiam intelligitur, qualis sit conditio vtriúsque Ciuitatis in his terris, nimirum vt Dei & Cœlestis Ciuitas à terrena affligatur, ac persecutionem patiatur, quemadmodum Abel à Caino, Isaac ab Esauo, Gal. 4. 29. Porrò sacrificium seu munus Caini, & Cainus ipse repræsentat nobis quale sit ingenium hypocritarum, & dona quæ offerunt Deo, nempe velle quidem eos videri cæteris sanctiores, & tamen non esse. Abel autem, & eius munus ostẽdit verè piorum animum esse, vt vera fide Deum vnum quærãt, & in eo acquiescant. Ergo non sunt contenti videri ab hominibus boni, sed reipsa tales esse student. Verùm ad decimum caput historiæ venio.

Ad X. Maleficium primum Publicũ post primum peccatum admissum.

Quæritur, Quando perpetratum est à Caino illud fratricidium Abelis? R. Multo quidem tempore post peccatum primum Adami, vt docet S. Scriptura, Gen. 4. 3. Sed tamen ante annum 130. Adami seu Mundi conditi, vt apparet Gen. 5. 3. Philo Iudæus in Antiquitat. Biblic. scribit Cainum fuisse quindecim annorum, quũ Abelem fratrem suum occidit. Id quod mihi facilè non suaserit. Nec enim solẽt homines adhuc ea ætate arare terram, quam tamen arabat Cainus ante istud fratricidium à se perpetratũ. Quare tempus huius cædis à Caino commissæ incertum est, nec potest à nobis

nobis deffiniri. Q. Quomodo Cainus fratrem suum occiderit, quum nondum vlli enses, vllave ferramenta essent: imò nec Ars ipsa Ferraria (quæ enses & gladios cudit) adhuc inuenta, quemadmodum apparet Gen. 4. 22. R. Siue lapide siue ossibus animalium mortuorum aliquibus repertis, (vt Sampson Philistinos cecidisse dicitur, Iudic. 15. 16) siue pugno fratrem Abelem occiderit, perinde est: occidit tamen. Prima verò inter homines arma fuerunt vngues & pugni, postea lapides, deinde fustes, postremò enses, quos homines fabricarunt in suam cædem. Horat. lib. 1. Serm. Sat. 3.

Quum prorepserunt primis animalia terris,
Mutũ, & turpe pecus, glãdem atq; cubilia propter
Vnguibus, & pugnis, dein fustibus, atque ita porrò
Pugnabant armis, quæ post fabricauerat vsus.

Ergo quocunq; modo & instrumento tale facinus cõmiserit Cainus interfecit, & quidem perfidè fratrem suũ, priùs à se verbis lenibus & blandis deceptum, ac in agros seu solitudinem pertractum. vt sine teste eum sceleratè iugularet. Q. Cur Cainum interrogat Deus vbi esset frater eius? R. Non ignarus facti Deus, sic Cainum interrogat: sed vt eum & perfrictæ frontis, & proiecti pudoris, & audacissimum, ac nefarium hominem esse argueret, qui repugnante conscientia ausus est negare Deo factum, aut coram eo tergiuersari. Quaobrem se quoque impœnitentem probauit Cainus, & hominem perditum, & hypocritam summum, qui Deo crimen suũ non fuerit confessus, quem vt pungeret Deus, & sceleris sui conuinceret, sic interrogat. [Vbi est Abel frater tuus?] Gen. 4. 9. Porrò Iosephus lib.

1. *Antiquit. Iudaic. cap. 4. scribit Cainum, postquam fratrem suum Abelem nefariè, ac proditorie occidisset, occultasse cadauer eius, quasi lateret Deum: ac proptereà fuisse sic à Deo interrogatum, ne putaret Cainus se celasse Deum. Scribit verò idem Iosephus eundem Cainum fuisse hominem tota vita rapacem, auarum, inuidum, ac propterea mensurarum (quibus homines deciperet) inuentorem. Siue verò hæc vetus Iudæorum traditio fuit, siue commentum Rabbinicum, certe Cainus fuit, vt apparet, summus hypocrita, vir impœnitens, & sceleratissimus.* Q. *Cur in secunda Legis Diuinæ Tabula, vbi hominum peccata in homines describuntur, præceptũ [Nõ occides] non ponitur primo loco, quũ homicidium sit primũ scelus, ac maleficiũ ab homine in hominem publicè perpetratũ.* R. *Quoniam sanciẽda fuit Lege Dei primùm paterna autoritas, quæ natura præcedit, vtpote Dei in his terris imago. Imò etiam patris sui Adami præceptum súmque erga eum officium primum violauit Cainus in occidẽdo fratre. Ergo præceptum de honorandis parentibus in secunda illa Legis Tabula primum collocatum est, & quidem meritò. Secundum autem præceptum est, De Homicidio: Tertium de Adulterio. Nam priùs homo occisus fuit, quàm Lex coniugij à Lamecho violaretur. Viuebant enim adhuc homines continenter, & absque lasciuia. Vnde κρόνιος βίος, .i. Saturnia vita, id est continens à libidine & crapula dicta apud Horatium, est Vita antiquissima: & Cœna, Vitáque Deorũ, id est, tenuis & frugalis, quemadmodum præclarè obseruauit ac collegit D. Gulielmus Stukius in Quæst.*

Con-

Conuiualibus, lib.1. qualis solet esse piorum hominum continentia. Sed de capite vndecimo, in quo pœna istius Caini sceleris continetur, iam agamus.

Ad XI. Excõmunicatio Prima: ac Pœna Maleficij primi post peccatum Adami.

Quæritur, Cur Adamus vel Deus ipse Cainum nõ punierit morte statim, quum Deus hanc Legem homicidio sanciuerit Gen.9.6, [Qui effuderit sanguinem hominis, sanguis eius per hominem effunditor.] R. Adamus non puniuit filiũ suum Cainum morte, (licèt esset illius Magistratus, vti Iuda Tamaræ nurus suæ, Gen. 38.24) tum propter amorem paternum, tum etiã propter paucitatem hominum, quæ tũc erat in toto terrarum Orbe. Solus enim ipse mas cum Caino restabat, occiso Abele. Ne igitur Caino interfecto Adamus solus omnino ad gignendos homines, & propagandum genus humanum superesset, reliquit Adamus Cainum superstitem, nec eum occidit velut Magistratus. Deus verò Cainum non sustulit, sed grauissimis, vt apparet, pœnis propter illam cædem fratris affecit, atque in exẽplum alijs quamdiutissimè in hoc Mundo reliquit, & statuit, vt cæteri terrerentur, néve tale quidpiam ipsi committerent. Atque hæc caussa est non statim sublati Caini. Q. Cur Deus signum Caino imposuit, quem puniebat ipse, ne quis eum interficeret, quum ipsius pœna satis terrere cæteros à tali facinore potuerit, Gen.4. 15. R. Quoniam effrenis est hominum licentia, & furiosus impetus, desperataq; audacia: Ergo ne quis ho-

minum Cainum occideret, vel in vindictam interfecti ab eo Abelis: vel quapiam alia mala voluntate, signum & notam istam Dominus ei apposuit, impressitq;. Voluit enim eum in caterorum mortalium metum seruari. Praetereà nec eam pœnam per priuatos exigi priuata autoritate Deus voluit. Ergo fuit hoc signum velut interdictio à Deo facta priuatis, ne sua ipsi autoritate in quenquam vendicarent, aut vendicent maleficia hominum. Quemadmodum autem Cainus ipse nō sapuerat, seque a peccando non abstinuerat, exemplo patris sui Adami, & tristissima illius pœna: sic nec homines alij sapientiores futuri erant, propter pœnam impositam Caino, ne eum necarent, nisi Deus aliquo speciali signo cateros admonuisset, & deterruisset ab eodē trucidando & iugulando. Ecquod autem fuerit istud signum, non aliter, aut aliud videtur explicare S. Scriptura, quàm fuisse eiulatus miros, furores, & vagam Caini fugam, ac per agros errorem, dum stimulis & furijs sua conscientia palàm agitaretur, & se detestaretur. Id quod non quidem semper faciebat ille: sed nonnunquam, vti furiosi homines nunc quoque facere solent, interpositis nimirum interuallis, & spatijs aliquibus dilucidis. Alij hoc signum putāt fuisse perpetuum corporis tremorem, & trepidationem, qua in Caino apparuerit. Alij notam quandā à Deo in Caini fronte inustam, & impressam, ex qua dignosceretur à cateris hominibus. Ego verò in mea illa sentētia & interpretatione persto. Q. Quis fuerit ille Caini error, & vagatio, qua cū pœna illa coniuncta fuit, & propter quam vrbem primus, in qua viueret, condidisse dicatur, Gen. 4. 12. 13. 14. 17. R.

Non

Non sic vagus fuit, & erro Cainus, vt semper hominũ societatem fugeret, atque per agros, & deserta miserè flebiliterque detestans suum factum, & iram Dei cohorrens erraret: sed tunc solùm quum furore, & furijs sceleris à se perpetrati conscientia eius corriperetur, & agitaretur: quod, vti dixi, per dilucida temporum interualla fiebat, illique accidebat. Ergo velut hominis à Deo æternæ morti damnati tunc effigies quædam Cainus erat, cæteris mortalibus horribilis, & ipsimet Caino intolerabilis. Ergo planè miserabilis erat omnibus hominibus Cainus, vt nemo eum miseriorẽ vellet. Quũ autem cessauerat, aut interquieuerat ille furor, & conscientiæ stimulus, & flagellum tunc sese in hominum societatem aliorũ quietus recipiebat, cum ijs erat, & versabatur & in vrbe manebat, quam primus ipse exædificarat. Sic Saul ad tempus furore, post neglectum Dei mandatũ sæpè corripiebatur 1. Sam. 16. 14. Sic Nabugadnezer, post profanatũ à se, & euersum Dei templum superbus mania agitatus est, ac per septennium in syluis erro & vagus in pœnã sceleris habitauit, fuitque, Dan. 4. 27. Sic Orestes occisa matre: sic Oedippus occiso patre furijs agitati ac perciti, per dilucida tamen interualla, sese tempore furoris à cœtu hominum subducebant, & tunc vagi erronesq́; per deserta furiosi vagabantur. Sic Bellerophon quoque in campis Ciliciæ errabat furiosus

Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans,

quemadmodum ait Homerus. Denique sic olim in Gallia Rex Carolus, nomine Sextus, Dei iudicio punitus scribitur. In summa, Cainus tamen nõ legitur propterea

pœnituisse: sed de pœna tantùm sua conquestus. Quod etiam annotat Iosephus lib 1. cap 4. Antiquitat. Q. Quid sit [Facies Iehouæ,] à qua se expulsum conqueritur Cainus, Gen. 4. 14. & 16. R. Notanda sunt Caini verba. Nō enim simpliciter, ait, dum me exulem & vagum facis, Eijcis ac expellis me à facie Adami patris mei, vel matris Euæ (quod quidem iam erat per se durum, & in tanta terræ vastitate mœstum, ac in pecudū iam ferarum ferocia tāta periculosissimum:) sed inquit, [Expulisti me à facie tua, Domine.] Et postea additū est, [Egressus est Cainus à facie Iehouæ.] Ergo plus quiddam dicit & significat, quàm si suauissimo illo vultus paterni aspectu solùm priuari se cōquereretur: vel sese in magna iam manifestaq́; pericula expositum à Deo esse expostularet. Imò exclamat, Maior est mea pœna, quàm vt eam sustinere possim. Genes. 4. 13. Præterea quomodo dicitur Cainus egressus à facie Iehouæ, quum Deus sit vbiq́; vbiq́; clarè videant ac spectent eius oculi homines, & hominum facta, Psal. 139. 7. Amos 9. 1, Heb. 4. 13? Cur in eo vno loco, vbi prius cum patre suo Adamo & matre Eua habitabat, dicit esse faciem Iehouæ, à quo quum expellatur, cōqueritur se eijci non à facie & conspectu parentum, vti dixi, sed Dei ipsius? Putauitne Cainus Deum Deique potentiā vni cuidam orbis glebæ & loco ascriptā, quum pœnam ab eo sibi impositam ipse vbique sentiret, & circumgestaret? Certè ista non cohærent & melius de infinita ac vbique sparsa Dei potentia, & præsentia sensit Cainus, quàm vt Deum per sese vno quodam loco circunscriptum ac conclusum esse indicaret. Quid igitur hic vo-

cat

cat [Faciem Iehouæ?] Cornelius Bertramus olim collega meus, Vir in Hebræis, siquis alius, eruditissimus, in libello, quem scripsit, verè aureo, De Politia Iudaica, cap. 2. præclare veréque sensit, & docet (cui propterea ego quoque assentior) Faciem Iehouæ hîc notare certum locū, in quo Dei iussu, sacra, sacrificia, cultusq́; Dei externus a Deo ipso præscriptus exerceretur, ac fieret. Ex quo quum expelleretur à Deo Cainus, dicit se eijci à facie Iehouæ. Est enim cùm ex tota S. Scriptura, tùm ex Ionæ cap. 2, & Leuitico, Numeris, & Deuteronomio certissimum, ac notissimum locum eum, in quo erat Dei Arca vel Templum (quoniam illic externus Dei cultus à Deo mandatus agebatur) dici κατ᾽ ἐξοχὴν faciem Dei: & eos agere, lauari, iurare, stare coram Deo, Deiq́; facie, qui illo in loco erant, vbi Deus externè colebatur. Ex quo fit, vt proculdubio ista Caini expulsio à facie Iehouæ significet Excommunicationem à Sacris, quam Deus pro pœna istius fratricidij Caino imposuit & inflixit, quæ certè quidem est grauissima pœna, & prima Excōmunicatio, quæ fulminata est in homines. Hæc autem est testis iræ Dei in peccatum, & pœnæ illius æternæ ac tristissimæ, quæ in damnatos parata est typus, & preludium, Math. 25. Hæc illustrior in ista Caini excommunicatione fuit, quòd in eo perpetuò, totoq́; vitæ illius tempore durauerit. Q. In qua Mundi regione Cainus habitauerit, quum esset expulsus à facie Iehouæ. R. S. Scriptura, Gen. 4. 16, ait ad Orientem Edenis eum habitasse, non tamen cum patre Adamo. Sed progressus est vlteriùs ad Solem orientem Cainus, & versus extremam Indiam, quæ nunc vo-

catur. Ex quo apparet primas illas Orbis partes nimirum Orientales, fuisse ab hominibus cultas, & habitatas: postea verò alias. Quonam autem disertè in loco versatus sit Cainus, quæsitum est. Iosephus lib. 1. Antiquit. Iudaic. cap. 4. sic scribit: [Multam verò peragrans terram cum vxore sua Cain, collocatur in loco, qui Naida nuncupatur, ibique moratus est: in quo ei etiam filij nati sunt.] Lib. 1. Chron. 5. 9. fit mentio populi Nodabi, qui fuit Agarenus, & in Arabia habitauit. Sed ille populus in Oriente nequaquam fuit, & ad hunc locum non pertinet. Illud verò potius facit ad hũc locum, nempe quòd apud Plinium lib. 6. Natur. Hist. cap. 20. inter extremos Indos [Nobundæ] populi nominantur, qui verisimiliùs à Nob dicti videntur, vel potius Nod Hebræo. (facilis enim est mutatio literæ d, in b, præsertim peregrinis hominibus, & Hebraicè nescientibus) Nod verò dicta est terra illa ob errorem & demigrationem Caini in eam post occisum fratrem, Gen. 4. Hanc autem Nod Hebræã vocem LXX. Interpretes Naiada nuncuparunt, & Græcè conuerterũt. Verùm alij existimant Nod apud Mosem non proprij cuiusdam loci nomen esse, sed appellatiuum & generale pro quauis regione, in qua quis errat & vagatur. Ego tamen iudico Nod certæ regionis in Oriente & in India sitæ appellationem esse, quæ sic à Caino, eiúsque posteris propter errorem patris nominaretur. Vnde & Nodũbæ populi, vti dixi, quos Plinius Nobundas vocat. Q. Quomodo Cainus in certa quadam Orbis regione habitasse dicatur Gen. 4. 16: imò etiã in certa vrbe, vers. 17. qui iussus est à Deo esse vagus & erro, vers. 12.

Non

R. Non perpetuò & semper erro fuit Cainus, vti diximus: sed tunc tantum quum conscientiæ, & nefarij illius fratricidij à se perpetrati furijs & stimulis percelleretur, & agitaretur (qualem hoc nostro seculo vidimus ipsi virum quidem doctissimũ sed quia Christum abnegauerat, sic œstro conscientiæ percitum, nomine Nicolaum Cruartum. Ille enim sic nonnunquam vagabatur furore & metu iudicij Dei exanimatus.) Ergo quum quies erat ab eo furore, Cainus & prudenter se gerebat, & quietus erat, & terram colebat, & in vrbe a se condita habitabat, certámque illam Mundi regionem tenebat. Nec tamen quum Cainus vagabatur, errabat per totum terrarum orbem, velut Isis, seu Io illa Ouidij & Aeschyli Poetarum: sed in Nod regione duntaxat. Sed hac hactenus. Accedamus ad caput duodecimum Historiæ.

Ad XII. Vrbs Prima in Mundo cõdita.

Quæritur, Cur Cainus condidit vrbem Gen. 4. 17. R. Iosephus lib. 1. Antiquitat. Iudaic. cap. 4. scribit ob eam caussam conditam esse primùm à Caino vrbem, quòd ille bestiarũ in se impetum formidaret, nempe ne ab ijs dilaniaretur, aut alio aliquo modo periret, & occideretur. Vtrumq; certè verissimum est, primam huius primæ vrbis à Caino ædificandæ, potissimamq; caussam fuisse ipsius metum tum ab hominibus ipsis, tum à feris & bestijs ne ab ijs interficeretur. Quũ enim (eum accusante conscientia) semper trepidus esset, nec pœnam illam à Deo impositã pro emẽdatione haberet, sed pro perpetuo supplicio, & animi cruciatu (nec enim vnquã

verè pœnituit, & ad Deum conuersus est Cainus) remedium sibi quæsiuit ipse contra istos suæ conscientiæ terrores, qui eum vexabant. Itaque se muro circuncinxit, & conclusit, velut carcere voluntario: mœnia & turres ad vim irruentium prohibendam addidit: portas ad se custodiendum adiunxit: & quantum potuit, metum illum à furore & vi hominũ & bestiarum sibi ademit. Ergo pauor conscientiæ & metus: non affectus humani generis sparsi colligendi prima præcipuaq́; vrbis condendæ caussa Caino fuit. Nam sine isto carcere & munitione eodem tempore viuebat Adamus pater eius etiam in medio orbe terrarum vacuo, & deserto: nec sibi à feris & beluis (quas omnes & cicures & sibi subditas antea expertus erat, & tamen iam sentiebat sibi rebelles) tale quicquam metuebat, quoniam carebat Adamus ys conscientiæ terroribus, quibus Cainus vexabatur. Et quidem de genere humano (quæ sua erat posteritas) colligendo nõ minus sollicitus fuit Adamus, quàm Cainus iste: verùm propterea oppida nõ exstruxit Adamus, nec homines in ea tanquam in custodias coniecit. Q. Cur sibi Cainus metuebat vel ab hominibus, vel à feris, quum haberet signũ sibi à Deo impositum, ne quis eum cæderet, vel occideret, Gen. 4 15, ac proinde promissionem Dei certam cerneret de sua salute tuta futura? R. Cainus, quũ vrbem ædificare cogitaret, imò ædificaret, non spectabat verba vel promissionem Dei de se tuto futuro: sed solos conscientiæ & mentis suæ terrores attẽdebat, quibus percitus se in isto munimento condiderat, aut potius abdiderat. Ex quo apparet etiam Caini infidelitas, qui Dei promissionem

nequa-

nequaquam fecerit tanti, vt se per eam solam tutum fore speraret, absque aliquo alio præsidio. Ergo suum illud præsidium in vrbe tutius iudicauit, perfecitque, prout quiuit. Quamobrem 1.Ioan.3.12, Cainus dicitur fuisse à Malo illo, nec inter Dei filios vnquã recensetur. Augustinus quoque lib.15.Ciuit.Dei,cap.7 ostendit eundem fuisse cõtumacem in Deum ipsum. Cui sententiæ accedit etiã Iosephus lib.1.cap.4. Antiquit. Iudaic. Scio quidem media iusta nostræ incolumitatis conseruandæ nequaquam esse spernenda. (Nam David arma capit, & insidias hostibus struit, de quibus vincendis habebat Dei promissum, 2.Sam.5.19) Verùm Cainus iste nec eo animo fecit, quo David: nec dubitare de sua incolumitate post signum à Deo acceptũ desiuit. Q. Vbi sita fuerit vrbs hæc prima, quæ à Caino ædificata est. R. Quũ ab eo tempore tota terræ facies per Diluuium fuerit immutata: deinde, quum tot gentium migrationes factæ terminos nationum regionumq́; confuderint, difficile omnino est locum & situm primæ illius vrbis certò describere, vel commemorare. Tamen eam in Oriente fuisse, & quidem ab Edene regione remotissimo apparet. Quæ regio ea esse videtur, quæ nunc Cambalu ab Historicis nominatur, in extremis Indiæ trans Imaum montem sita finibus, vbi etiamnum hodie sunt amplissima oppida & vrbes. Si quis tamen aliter iudicat, & sentit, is suo iudicio per me fruatur, licet. Stephanus mihi adstipulatur: nam in libro de vrbibus, [Heniochia, ait, est regio ad Caucasum mõtem,] qui idem est Imaus. Vox autem ista Heniochia veteris istius nominis quædam sunt reliquiæ. Q. Vtrum

vnicam duntaxat Vrbem per totam vitam condiderit Cainus. R. *Aliarũ non meminit S. Scriptura, quam vnius huius, quam ex nomine Henochi primogeniti sui, saltem filij, Henochiam vocauit, Gen. 4. 17: cuius, vti dixi, vestigia quædã & nominis, & rei videntur adhuc extare in India. Nam huius quædã pars & prouincia à posteris vocitata est Heniochia, vt ait & Strabo, & Stephanus in lib. de Vrbib. Cæterùm Philo Iudæus in Biblicis Antiquit sic scribit, [Ex eo cœpit Cain ædificare ciuitates, quousque conderet septem. Et hæc sunt nomina ciuitatum: Nomen primæ ciuitatis secundum nomen filij sui Enoch: Nomen autem secundæ ciuitatis, Maich: tertiæ, Iared: quartæ, Tebe: quintæ nomen, Iesca: nomen sextæ, Celet: & nomẽ septimæ, Iebbat.] Et hæc quidem Philo, quibus paria non habet Iosephus tamen.* Q. *Quomodo Cainus ciuitatem condere potuit, aut cui condidit, quum tunc temporis homines tam pauci numero fuerint?* R. *Hanc quæstionem mouet Augustinus in Quæst. in Genes. cap. 1. quam sic idem definit, & soluit, cuius ego sententiæ subscribo suffragorq́; [An ideo, ait, quæstio est, (id est dubitatio) quoniam, qui legunt, putant solos tunc fuisse homines, quos diuina Scriptura commemorat: nec aduertunt eos, qui priùs sunt conditi, duos: vel etiam eos, quos genuerunt, tandiu vixisse, vt multos gignerent. Non enim & Adam eos solos genuit, quorum nomina leguntur: quum de illo Scriptura loquens ita concludat, quòd genuerit filios & filias, Gen. 5. 4. Proinde quum illi multo pluribus vixerint annis, quàm Israelitæ in Aegypto fuerunt, quis non videat quàm multi homines nasci potuerunt, vnde illa*

ciuitas impleretur, si Hebraei multò minore tempore ita multiplicari potuerunt?] Ergo Cainus eam ciuitatem condidit tum multiplicato iam suo semine: tum posteris ex se futuris de habitatione maturè prospiciens & cogitans. Et certè Philo Iudaeus eodē, quo superiùs, libro, scribit Cainum suscepisse ex vxore sua sex liberos partim mares, partim faemina, quorum nomina recēset, vti vxoris Caini, quam vult fuisse Themech: quae eadem est, quae Themis illa Dea antiquissima Profanorum hominum. Q. Vtrū Chanoch, vel Henoch, vt alij vertunt, fuerit primogenitus Caini. R. Id sentire videtur Philo, & Iosephus. Et quum tam praeclarum opus suum, nimirum vrbem à se primam conditam, ex illius nomine vocarit Cainus, non est incredibile eum fuisse Caini primogenitum. Tamen disertè ex Dei verbo colligi id nequaquam potest. Nec enim qui primi nominātur omnes sunt primogeniti. Porrò [Chanoch] Hebraeis est Eruditus Latinis, & πεπαιδευμένος Graecis, siue ex voto, vt talis esset, sic eum appellauit Cainus pater: siue ostendēs qualem eum esse oporteret, eruditū suo exemplo in Dei metu: quam nominis interpretationem praetermisit Philo in nominibus Hebraicis. Sed ad caput tertium & decimū accedamus, in quo describitur propagatio familiae Caini post Abelem fratrē à se occisum.

Ad XIII. Propagatio Caini familiae.

Quaeritur, Cur Deus multiplicauerit genus & familiam Caini, quum ille esset tam impurus: cur non potius eum sine liberis susceptis mori voluerit Gen. 4. 17 R. Deus naturâ non tantum bonus, verumetiam be-

nignus & clemens benefacit omnibus, id est, tam malis quam bonis, vt est Mat 5.45.46. Ergo eadem caussa genus Caini, quantumvis mali, multiplicauit & accreuit. Præterea quum in genere dixisset cuivis rerum generi Deus, [Crescite & multiplicamini] oportuit genus quoque humanum hanc Dei benedictionem sentire, ac proinde crescere, siue ex bonis siue ex malis homines nascerentur. Gignunt enim mali liberos, non quidem quatenus mali sunt, sed quatenus homines, vt ait Augustinus contra Iulianum. **Q.** *Cur tot homines ex Caino improbo nati sunt, & ipsi quoque improbi, minimeque Dei Ecclesia, prius quàm Sethus nasceretur, vel Sethi posteri vlli in quibus tamē fuit Ecclesia Dei, quum hos prius, quàm illos nasci ac propagari oporteret, vt boni pijque mores prius, quàm mali in Mundo, atque inter homines obtinerent florerentve Gen.4 & 5* **R.** *Quandoquidem homines natiuā bonitatem, quam à Deo primùm acceperant, non seruarunt: sed magnâ suâ culpâ in improbitatem & prauitatem conuerterūt, æquum fuit vt tales nascerentur, & multiplicarentur homines, quales ipsi seipsos effecerant. Quare improbi & mali homines primùm post peccatum extiterunt, nō autem recti probive, quales iam nasci naturâ nulli possunt, vt effectum suæ illius in Deum nefariæ rebellionis homines ipsi perciperent ac viderent. Tale igitur multiplicatum est genus humanum (& quidem sic postulante Dei iustitia, & pœna peccato imposita) quale se reddiderat, nimirum nefarium & sceleratū, non modò malum. Quod autem postea Deus Sethum virum bonum dedit Mundo, ex quo propagata est ipsius Eccle-*

sia, id

ſia, id præter ordinem naturæ humanæ iam corruptæ factum eſt, ſingulariſſima videlicet Dei Opt. Max. in genus humanum miſericordia, ne totum genus hominũ periret, non modò hic diluuio, quod ſecutum eſt: ſed etiã poſt hanc vitam æterno exitio, quod ſceleratis in futuro ſeculo infertur. Vt igitur Deus oſtenderet Eccleſiam ſuam, quæ in his terris eſt, non naturâ, ſed gratiâ naſci, & eſſe Eccleſiam, voluit primùm Caini filios exiſtere, id eſt, homines tales, quales ſeipſos per peccatum ſuum effecêre, vt quæ appareret in alijs hominibus probitas, & emendatio vitæ, illa non naturæ hominum, non Legi genituræ: ſed ſoli Dei gratiæ tribueretur. Q. *Cur multi ex Caini, & Sethi diſſimillimarum tamen ſtirpiũ & generum poſteris fuerunt vel moribus, vel nomine ſimiles, & quidem nomine plures, vt habet vetus verſio nominum: vt autem recens, & eruditior, ſaltem hi tres fuêre inter ſe cognomines, nempe Hanoch filius improbi Caini, Gen. 4. 17: & Hanoch filius Ieredi, ex familia Sethi pij, Gen. 5. 18: item Metuſchael filius Iradi, ex familia Caini, Gen 4. 18, & Metuſchelah filius pij Hanochi Gen. 5. 21. Denique Lemech bigamus, filius Metuſchaelis, ex ſtirpe Caini, Gen. 4. 19: & Lemech pius & pater Noachi filius Metuſchelah pij ex genere Sethi, Gen. 5. 26. Moribus autem longè plures Sethi poſteri fuerunt ſimiles poſteris Caini, qui vnà cum illis propterea diluuio perierunt.* R. *Quod moribus corruptiſſimis fuerunt pleriq́ Sethi pij poſteri, ſimiléſq́ poſteris impij Caini, factum eſt ex cõmuni lege naſcendi, & ex conditione pœnæ, cui poſt peccatũ genus humanũ vniuerſum eſt obnoxium, nimirũ vt ex pecca-*

toribus (quales iam naturâ sunt omnes & singuli homines Eph.2.3) peccatores nascantur, Iob.14. Ergo iam nascuntur omnes homines naturâ corrupti, filij iræ Dei, vitiosi, Psal.51.7. Ex quo fit, vt quia posteri Sethi erant homines, essent quoq; natura mali & deprauati, atque hæc in ijs naturalis vitiositas & mansit, & aucta est, in quibus eam Deus suo Spiritu S. non correxit, cõpressitve. Inde illa morum similitudo prauorum in posteris dissimillimorum Patrum nempe Sethi, & Caini. Porrò nominum similitudo nihil habet incõmodi. Constat enim ijsdem duntaxat literis & syllabis: non autem moribus ijsdem, quum qui ex Sethi prosapia fuerunt cognomines posteris Caini fuerint pijssimi: illi verò Cainiani pessimi, & Numinis contemptores. Ac fortasse ad nominum ipsorum significationem attendebant pij Parentes, dum filijs suis hæc nomina, quæ impij sibi vsurparãt, imponebant, non autem ad illos Caini liberos, qui eadem appellatione fuerant nominati. Ergo miseriam huius vitæ eiusmodi vocibus designabant etiam pij Patres in vocandis sic filijs suis. nam Hanoch seu Chanoch significat eruditũ: Metuschael vel Metuschalah, mortem suam vel exitum suum à Deo postulantem potius, quàm in his terris diuturnam vitam: Lemech, pauperem, afflictum, & vexatũ, vt docet Philo in nominibus Hebraicis, & ipsa thematũ ratio id probat lingua Hebrææ peritis. Porro non fuerit fortasse iniucundum ea, quæ de Caini generationibus obseruat Augustinus, hoc loco transcribere. Is enim lib.15. Ciuit. Dei, cap.17. sic ait, [Hucusque porrectæ sunt omnes generationes Caini, quæ sunt omnes ab Adam octo (annumerato ipso Adamo)

damo) septem vsque ad Lamech, qui duarum maritus vxorũ fuit: & octaua est generatio in filijs eius, in quibus cõmemoratur & fœmina. Vbi eleganter significatũ est terrenam ciuitatem vsque in sui finem carnales habituram generationes, quæ marium fœminarumq́; coniunctione proueniunt. Sicut autem Cain, qui interpretatur Possessio, terrenæ conditor ciuitatis, & filius eius (in cuius nomine condita est) Enoch, qui interpretatur Dedicatio, indicat istã ciuitatem & initium, & finem habere terrenũ, vbi nihil speratur amplius, quàm quod in hoc seculo cerni potest. Sic Seth interpretatur Resurrectio, &c.] Q. *Cur Deus Caini posteros tam industrios esse voluit, vt artium non modò ad victum necessariarum, verumetiam ad voluptatem comparatarũ autores, inuentorésque essent, præsertim quũ ijs Dei donis in se collatis superbierint postea, & Deum ipsũ contempserint.* R. *Quoniam Deus beneficus est, etiam hæc dona sua tam egregia in homines istos improbos cõtulit, vt eos magis redderet inexcusabiles. Sed dona hæc fuerunt terrena duntaxat, & tẽporalia: non autem spiritualia & salutaria. Hæc enim postrema familiæ Sethi, id est, Ecclesiæ suæ Deus reseruauit, quemadmodũ demõstrabitur posteà. Fuerunt autem homines isti posteri Caini seculũ hoc duntaxat, vitamq́; terrenam diligẽtes terreni, & carnales: ac proinde in ijs quoq́; rebus & artibus terrenis vehementer industrij, iuxta illud Christi, [Filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in suo genere, Luc. 16. 8] Sic Ethnicis regibus Deus largitus est Monarchias huius mundi, non autem Dauidi, vel suæ Ecclesiæ. Nam meliora dona filijs suis, vti*

filijs Sethi, (qualis est Fides, Pietas, Prophetia) Deus dat: minora verò alijs, vti posteris istis Caini artes tantùm terrenas. Sed iam de capite 14. tractandum.

Ad XIIII. Bigamia Prima, seu prima Coniugij violatio.

Quaeritur, quid haec Lamechi Bigamia fuit, Gen. 4 19. R. Fœdissima puritatis vinculiq́ coniugalis ac Matrimonij corruptela, eaq́ prima & publica. Nam ante Lamechum istum institutio cõiugij, qualem Deus primum praescripserat, vt Vnus duntaxat vni adhaeret, sanctè fuerat semper obseruata. Hãc autem impurus iste, lasciuus, libidinosus, superbus, & mulierosus homo primus violauit, & reliquis mortalibus ad eam violandam dux & exemplũ fuit. Itaque scribit Philo Iudaeus in Antiquit. Biblic. [Ceperunt postea habitatores terrae exemplum hoc secuti etiam violare vxores alienas, eásque contaminare, nimirum vnusquisque proximi sui vxorem.] Sic nimirũ paulatim crescebat vis peccati, hominumq́ immanis libido, audacia, & impudentia, praesertim in Caini familia. Quemadmodũ igitur Cainus primus homicidiũ perpetrauit: sic iste Lamechus ex eius stirpe primũ stuprũ admisit, sed postea & sequenti tẽpore. Ex quo fit, vt in secunda Legis Diuinae Tabula praeceptum [Non mœchaberis] ordine ac proximè sequatur illud, [Non occides] vti haec vitia publicè & consequenter ab hominibus perpetrata sunt. Illud autè Non mœchaberis, vti & illud Non occides, mentibus hominũ ex primaeua lucis reliquijs inhaerebãt,

&

& insculpta erãt, Rom.2.14: hominesq; inexcusabiles reddebant. Q. Cur tãtopere Bigamia in Lamecho isto damnatur, quum Iacobus Patriarcha, Dauid, & alij plerique viri sancti multas simul vxores habuerint, retinuerintque, Gen 30, 2.Sam.3.2.3. R. Quoniam tum primus iste tãto sceleri fenestram patefecit, alijsque suo exemplo praiuit: tum etiam quòd sola libidine, & turpi impetu & carnis lasciuia impulsus, id fecit: Illi verò non victi fœda libidine, sed ad promissionem Dei de futura seminis sui numerosa prole, & benedictione respicientes, duxerunt habueruntq; simul vxores plures, quemadmodũ scribit Augustinus. Et tamen etiam illud ipsum in Patribus illis, quantumvis alioqui pijs, dãnat Malachias Propheta cap.2.15. Q. Cur & quorsum Lamechus iste tam truculentus fuit, & apud mulierculas de suo furore in eum, cui irasceretur: & de futura sui vindicta tam iactabũdè gloriatur, aut concionatur, Gen.4.23. R. Videtur sic minitabundus inter mulierculas fuisse Lamechus iste, quòd suis illis vxoribus metum sui inijcere voluit, quas se contra ius & fas retinere, teste propria conscientia, sciebat, ne quid illæ nimirũ in eum tentarent, & aggrederentur: sed vt metu illo perculsæ eum timerẽt, ac vererentur. Itaq; minatur grauissimam fore pœnam, si quisquam ipsum occiderit, longéque duriorem, quàm si quispiam Cainũ volens & ex professo interfecerit, quam pœnã Cainica pœna septuplo maiorem fore Deus ipse pronũtiauerat Gen.4.15, & 24. Ergo trux iste videri voluit, tum quòd omnes improbi (qualis Lamechus iste fuit) sunt feroces, & naturâ superbi: tũ quòd sibi à suis vxoribus

uti dixi, metuebat. Et fortasse iam iurgia inter istas uxores suas domestica (quæ in Bigamia sunt plurima & ordinaria) senserat Lamechus. Quanquam autem amor muliebris dicatur emollire hominum crudele, & ferum ingeniũ, uti Polyphemi ferociã leniit amor Galateæ: tamen non fuit mitior, quòd esset mulierosus, iste Lamechus. Q. Utrum Lamechus iste Cainum, qui erat è suis maioribus, occidit. R. Hoc quidem nonnulli censent, quod tamen nusquam ex Dei verbo potest probari. Certè ex hac Lamechi oratione apparet & tunc Cainũ adhuc vixisse: & pœnam Caini posteris eius notã fuisse. Hæc autem omnia, meo iudicio, contigerunt ante natum Sethum, quia Moses sequitur ordinem, seriemq́ tẽporis, & historiæ: ac proinde ante annos 130. à Mundo primùm condito, Gen. 5. 3. Sed de capite XV. iam agamus.

Ad XV. Pastoritiæ artis Incrementum.

Quæritur, Cur Pastoritia ars potius aucta, excultaq́ fuerit, quàm Agricultura, quum & Agricultura quoq; ipsa variam rerũ cognitionem habeat, & varias partes. R. Primùm Pastoritiã seu Pecuariam artem differre ab Agricultura præclarè docet M. Varro lib. 1. cap. 2. Re Rustica his verbis, [Quare tota pastio, quæ cõiungitur à plerisque cũ Agricultura, magis ad Pastorem, quàm ad Agricolam pertinere videtur. Quocirca Principes qui utrique rei præponuntur, vocabulis quoque sunt diuersi, quòd unus vocatur Uillicus, alter Magister pecoris.] Deinde plures esse partes Agriculturæ, .i. disciplinæ agrorum benè colendorũ docet,

docet, traditque idem Varro, easque ostendit esse quatuor, vt est cap.4.lib.1.eiusdem operis. Cur tamen potius aucta, distinctaq́ fuerit ars Pastoritia, quàm Agricultura, ratio hæc mihi videtur esse, nempe, Quòd quum post mortem Abelis (qui fuit Pecuarius seu Pastor) à Caino occisi fuisset vel in odiũ Abelis, vel quoniam Adamus, & Cainus (cuius sola posteritas restabat) erant Agricolæ, non Pastores, ars Pastoritia fuisset intermissa: tamẽ postea repetita fuit à posteris Caini, idque suadente hominũ & necessitate, & cõmoditate. Et necessitate quidem, quoniam carne Animalium homines vescebantur post peccatum: Commoditate verò, propterea quòd magnum inde, .i. ex ea pastione lucrũ faciebant. Quod verũ esse probat Plinius lib.18.cap.3.Natural.Hist. qui scribit diu ex solis pecoribus inter homines vectigal fuisse. Vnde, .i. à pecude pecunia quoque dicta est, quemadmodum etiam tradit Varro. Ergo lucri quoque sui caussa homines, posteri Caini, Pastoritiam artem repetiuerunt, eámque potissimum auxerunt, & eam in disciplinam habuerunt, statueruntq́ Artem aliquã potius, quàm in Agricultura, quoniam, vt docet idem Varro lib.1. de re Rust. plures partes ea cura habet, quàm Agricultura. Habet enim primũ nouem, id est, ter ternas: Agricultura verò solùm quatuor. Earum autem nouem partium pars vnaquæque partes quoque habet nouenas, quarũ in pecore parando necessariæ quatuor: altera in pascendo totidem: vna cõmunis. Ita fiũt omnes Pecuariæ artis partes minimùm octoginta & vna, & quidem necessariæ, nec paruæ. Hæc Varro. Ex quibus apparet quàm diligenter tractãda,

cognoscenda, tradendáve sit ac fuerit hæc Ars, vtq; distribuenda in suas species, quod fecit Iabal filius Lamechi, Gen.4.20. Imò etiam pecoris pascendi gratiâ, nouum vitæ genus à suis Maioribus, nēpe Caini prioribus filijs (qui in vrbibus habitabāt) diuersum Iabal secutus est, ac instituit, nimirum vt sub Papilionibus, Mapalibus seu Tugurijs ac tentorijs sequendi transferendiq; pecoris gratiâ habitarēt homines. Quod idem postea Abrahamus fecit, & Iacobus Patriarcha, Gen.31.40 & 47.3: & Rechabitæ verè pecuarijs istis similes, Ierem.35. Imò præclariorē visam esse Pastoritiā, quàm Agriculturam, apparet ex eo, quod, vt Varro scribit, veteres vocabant Pecuariā artem Primam, & Incentiuam: Hanc autem Agriculturā, Posteriorem, & succentiuam. Ergo Pastoritia meritò, sic vsu suadente, prius exculta est. Q. Quinā fuerint isti Iabalis posteri, qui in Tentorijs pascendi pecoris gratiâ habitabant, fuerúntque Nomades & vagi, vtrum Scythæ, an Afri? R. Nec ij Afri erāt, nec Scythæ ij, quos nouit Orbis, habuitque post Diluuium. Nam posteri omnes Caini illa terrarum eluuione fuerunt extincti. Verùm hoc vitæ genus (quod hîc cōmemoratur, estq; eiusmodi, vt pascendi sequendiq; cōmodiùs pecoris gratiâ, homines sub papilionibus habitēt, nec certas sedes habeant) hoc, inquam, vitæ genus à Iabale primùm institutū secuti sunt eius posteri: & ijs deletis atque orbe renouato ij, qui & in Scythia maximè Asiatica (quæ pertinet ad Orientem) & in Africa habendi tuendiq; pecoris gratiâ in Magalibus, curribus, & tentorijs postea vixerūt totū suæ vitæ spatium. Ac quidem ij Scythæ, qui sic vitam

tam suā instituerūt, dicti sunt Hamaxobij. Afri verò, qui sic palantes pecudes pascebātur, appellati sunt Nomades: ex veteri nēpe eius vita memoria, qua à Iabale primū instituta, deinde à filijs Noachi retenta fuerat, & culta post diluuiū. Q. Cur hoc Iabalis inuentū à Mose laudatur, ac commemoratur, quod miserrimum & laboriosissimum, & planè homine indignū vita genus continere videtur, vtpote in quo homines mancipia & viles perpetuique serui pecudum euadant, vagi fiant: quódque etiam nonnulla gentes exosa fuerunt, tanquam humana societati contrarium, velut Aegyptij, Gen 46. 34: & Persa, vt in Cyropadia tradit Xenophon. R. Ipsa quidem hominū seruitus, & occupatio tam affixa addictáque pecudibus, est pœna peccati. Pecudes enim homini inseruire debent (cuius caussa sunt condita) non autem homo pecudibus. Nec enim pecudū gratiā natus est homo. Industria verò scientiáque huius cura & pecorū pastionis rectè tractanda, & gerenda in tanta humani ingenij cæcitate, & tanta tamen huius rerū generis vtilitate, est proculdubio donū Dei Opt. Max. & ars maximè laudanda. Quare quicquid est in ea re, vel arte laboris, tadij, difficultatis totum id est fructus peccati, Gen. 31. 40: quicquid autē in eadem est industria, ingenij, vtilitatis, est pulcherrimū munus Dei. Ex quo fit, vt hoc ipsum à Mose iure & laudetur, & cōmemoretur. Q. Vtrum hoc vaga & pecuaria vita genus sit à Christianis hominibus vllo pacto sequendum, quū qui illud amplectuntur, sint ἀπόλιδες, id est, sine certa vlla ciuitate. Id quod inter Dei maledictiones recensetur, Deut. 28. 52, Psal. 109. 10. R. Quum A-

brahamus, Isaacus, & Iacobus Dei serui hanc vitæ rationem amplexi fuerint, non est à viro Christiano aliena, damnandáve hæc vita, Gen.21, & 31.40. Nam prout vel regionis ratio ac cõmoditas suadet, vel mores hominum (inter quos versamur) nos mouent, vel agricolæ statarij, vel pecuarij vagi, vel certi loci & vrbis ciues & incolæ, vel contrà palantes viuere & esse possumus, modò Deum verũ verè & ex ipsius verbo in quouis vitæ genere colamus. Nihil enim interest statariã, an eiusmodi palantem vitam degamus, modò ne simus ἀπόλιδες, vel odio humani generis, vel temerè per Orbẽ terrarum discursandi animo, quod est agrestis vel dissoluti hominis: non autem humani mansuetiq́; Et hæc de capite xv. dicta sunto. Verùm ad xvi. accedamus.

Ad XVI. Artis Musicæ Inuentio.

Quæritur, Cur Deus voluit Musicam statim, atq́; ab ipso penè Mundi initio & exordio inueniri ab hominibus? Gen.4.21. R. Primùm, vt suam in genus humanum quanuis perditũ & per se miserum benignitatem testaretur Deus. Præclarè enim Augustinus lib. 22. Ciuit. Dei, cap.24. [Præter artes, ait, & bene viuendi, & ad immortalem perueniendi fœlicitatem (quæ virtutes vocantur, & solâ Dei gratiâ, quæ in Christo est, filijs promissionis regniq́; donantur) nónne humano ingenio tot, tãtæque artes sunt inuentæ, & exercitæ partim necessariæ, partim voluntariæ (alij voluptariæ) vt tam excellens vis mentis atq́; rationis, in his etiã rebus (quas superfluas, imò periculosas, perniciosasque appetit) quantum bonum habeat in natura, vnde ista potuit vel inuenire, vel discere, vel exercere, testetur? Vestimen-

mentorum & ædificiorum ad opera quàm mirabilia, quam stupēda industria humana peruenit? quò in agricultura quò in nauigatione profecerit: quæ in fabricatione quorúmque vasorum, vel etiam statuarum, & picturarū varietate excogitauerit? &c.] Deinde vt hac ratione etiam ad pietatem suique cultum ardētiùs homines excitaret. Quod enim ad suam voluptatem homines converterunt, hoc est, Musica instrumenta, id ipsum Deus in externo suo cultu adhiberi etiam tunc volebat, vti postea sub Lege ab eo data factū ac præceptū est, Psal. 149, & 150: *quò magis accenderet homines etiam ex istis rebus externis ad se colendum, & ad publicos cœtus sacros seu Ecclesiasticos, vbi adorabatur, frequentandū. Denique vt eodem libentiùs conuenirēt homines. Musica igitur vsi sunt primi homines psallēdo, instrumentaq́ pulsando, vt seipsos oblectarēt. Deus autem eam artem statim inueniri voluit, vt hoc quoq́ rerū genere homines ad laudes Dei canēdas vterentur. Porrò hic ordo fuit artium ab hominibus excusarū ac repertarum, vt in ijs primùm inueniendis, exercendis, excolendisq́ studium & operam suam ponerent, quæ ad victum humanum erant omnino necessariæ, qualis est Agricultura, & Pastoritia. Postea in ijs excogitandis laborarent, quæ ad Dei cultum adhibitæ sunt, erantque ad hominū delectationem cōparatæ, qualis est Musica. Denique in ijs reperiēdis sudarent, quæ ad hominū tuitionem, defensionem, & commoditatem erāt necessariæ, qualis ferraria ars, fabrilis seu mechanica. Sed & illud quoque dici potest, Musicam summâ Dei prouidentiâ inter primas artes inuentã, idque à Caini posteris viris*

industrijs, vt ingenij eorũ ferocitas huius artis Musices beneficio & suauitate leniretur, ac quodammodo molliretur. Caeterùm Artes ista omnes repertae sustulerunt animos hominum, atque arrogãtes effecerunt, vt magis contumaces in Deũ, sua tamen culpa & ingratitudine, euaderent. Nam de eorundem hominum, qui harũ artium inuentores extitêre, pietate & fide in Deum, aut Dei metu nihil traditur à Mose, neque etiã à Philone in Antiquit Bibl. neque à Iosepho lib. 1. Antiquit. Iudaic. cap. 4. qui tamen haec commemorant. Ergo Caini posterorum ingeniũ quidem, sed carnale: industria, sed terrena his rationibus commendatur: nõ autem pietas, fides, aut probitas Nec enim in istis hominibus fuit Ecclesia Dei, sed in posteris Sethi, de quibus postea. Q. Vtrum ex coeli, Astrorumque motu homines Musicam didicerint, vt vult Plato: an ex ferrariarum officinarũ & operarum in illis ferrum in numerũ tundentium, tinnitu & sono numeroso, qui percipitur auribus, quemadmodum sensit Pythagoras, vt Macrobius in Comment. in lib. M. Ciceronis de Somnio Scipionis refert. R. Primùm, Platonis sententia, vt ait Plautus, est λῆροι λήρων, id est, nugae nugerrimae. Quomodo enim, aut vbi vnquam homines cõcentum illum coelorum in terris audiuerũt? Secundo loco, opinio Pythagorae falsa est: nam Musica priùs inuenta est, quàm ars fabrilis aut ferraria. Quãobrem ex huius numeroso tinnitu & sono illa reperiri non potuit. Quid igitur? Quum essent Caini posteri, qui has artes pepererũt homines planè terreni, & voluptarij, industrij tamen, (vtpote qui semina primi illius vigoris adhuc retinerẽt, quem hominũ ingenijs

Deus indiderat) istas omnes artes facilè excogitarunt. Primùm quidem eas, quæ victui erãt necessariæ: postea verò voluptarias, magnis tamen ingenij viribus cõnixi, tamen libidini carnis immersi, vt apparet. Vetustissimam autem fuisse artem Musicam præsertim Organicam (nec enim de illa, quæ vocalis est, .i. fit hominum voce modulata certis partibus, hic agitur) satis intelligi potest ex antiquissima historia Arionis, qui Musicus fuit, de quo & Herodotus, & Ouidius in Fast. & A. Gellius scripserunt. Q. Cur ars Nauigatoria, Mercatura, & Tinctura, aliæque artes vel lucrosæ, vel oblectantes animũ, non sunt priùs ab hominibus tentatæ & excogitatæ, quàm musica, præsertim Organica? R. Propterea quòd homines nondũ eo tempore tam auari erant, quàm fuêre postea, miniméque tam lucro dediti, quàm nunc sunt: atque nondũ pecuniæ & opum splendor tantus tunc repertus erat, quantus postea: Idcirco eas artes, quæ tota lucri caussa cõparatæ sunt, & exercentur (qualis est nauigatoria, mercatura, & similes) minimè quæsierunt primi illius seculi homines: sed has tãtùm, quæ victũ necessarium, & voluptatem præberent. Cæteras verò artes, quas χρηματιστικὰς, id est, lucratiuas vocant, postea ætas inuenit, quũ auaritia ad lucra maiora inuestigãda homines impulisset. Tinctura verò & pictura, quanquã sunt voluptariæ artes, nõdum tamen fuerunt repertæ, quòd quæ ex ijs capitur voluptas, non tam naturalis est, quàm quæ ex arte Musica: quódque ad Dei cultum tunc non erant, vt hæc, necessariæ, & adhibendæ. Nauigandi verò artẽ Noachus primus, Dei iussu, instituisse, didicisseq́ videtur, dũ Arcam illã ce-

[l]iberrimam fabricatur, & regit in submersione mundi, ne ipse cum liberis, & in eadẽ impositis animalibus periret. Et hac quidem de cap. xvi. huius historia. Iam verò pergamus ad xvij. quod etiam est postremum.

Ad XVII. Artis Ferrariæ, & Ærariæ Inuentio.

Quaeritur, Cur ex vna Lamechi hominis truculenti & libidinosi, vitiosiq́ familia tot, támque industrij nouarum artium non modò artifices, sed & inuentores extiterint. R. Ut Deus ostenderet etiam ea, quæ homines habent naturalia ingenij ornamenta, non pro meritis habere: sed ex mera ipsius gratia accipere, quemadmodum apparet in Beselele, & Ooliabo, Exod. 36. 1. 2. iuxta illud, [Omne bonũ est supernè à Patre luminum] Iac. 1. 17. Ergo vires etiã ingenij, quantumuis naturales, sunt mera Dei in homines dona. Quid enim habent, quod non acceperunt? Quod si acceperũt, cur de ijs gloriantur ipsi, & totam eorum donorum laudem cur non acceptam suo autori ferunt? 1. Cor. 4. 7. Deinde ex ijs apparet, magnam eius corruptionis, quæ postea totum Mundum inuasit, partem ex vna hac eadem Lamechi sæuissimi & spurcissimi hominis familia & gente olim emanasse, & ortam esse, quũ vna illa, primas lucri artes, prima voluptatis incentiua, prima ferociæ & audaciæ exequẽdæ instrumenta porrexerit hominibus, dum Pastoritiæ artis incrementum, musicam, & Ferrariam artes excogitauit. Ergo ab istis Lamechi posteris tanquã ex primo fonte dimanarunt postea

hæc vitia, nimirum Auaritia, Libido, Sæuitia ac Audacia, quæ in alios mortales postea fuerunt propagata. Rectè enim ille, quanquam profanus, scribit, nimirum Tibullus lib. 1. Elegia 10.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit?
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc breuior diræ mortis aperta via est.

In summa illa Christi sententia quouis tempore vera fuit, Filij huius seculi prudētiores sunt, & magis industrij in hac vita, quàm lucis seu Dei filij & serui, Luc. 16.8. Verùm vt multa de istorum hominū, Caini nempe & Lamechi posterorū industria, ingenij viuacitate, & viribus narrantur: sic nihil de eorundē in Deum pietate & fide extat. Imò propter hæc ipsa dona ijdem isti Deum primi contempserunt, & contemnendi exemplū alijs fuerunt, inducta postea publica nominis Dei Profanatione. Q. Vtrum Aes & ferrum è terra visceribus eruere nouerant homines, ante Ferrariæ artis inuentum: an Tubalcainus simul & metalla ista, eorumq́ venas dignoscere homines docuerit: & agnita eruere, ac effodere: denique eruta, & è terra effossa malleo cōtundere, igne subigere, atque ex ijs ita præparatis varia opera fabrilia facere, monstrauerit. R. Omnia hæc docuit homines Tubalcainus, & quidem primus: nō solùm autem opera quædam & ferramenta ex ijs, id est, ex ære & ferro iam inuentis cudere ad hominum vsum (velut agriculturā, & ædificationem) necessaria. Nam & eorum, si qui priùs metalla ista reperissent, facta fuisset mentio: & quū ait Moses Gen. 4.22. de Tubal-

caino,[qui erudiuit omnem fabrum ærarium & ferrariorum,] hoc sibi vult, quamlibet harum artium partem (est autem earum pars maxima in terræ venis ea metalla primùm dignoscere, & agnita effodere) esse hominis illius inuentum. In summa, hic est Tubalcainus, qui à Latinis & profanis postea [Vulcanus] contractiore vocabulo ex veteri illa traditione, quã hic scribit Moses, fuit dictus, estque ab ijs faber, & fabrorum, artisq; ipsius ferrariæ autor, & parens appellatus, cuius vxor nominatur Venus, quæ hic Noema, id est, Venusta seu voluptas, vt vult August. lib 15. Ciuit. Dei, cap. 20. à Mose vocatur. Q. Cur iste Tubalcainus vocatus est, non autem simpliciter Tubal, vti fratres eius dicebãtur Iabal, & Iubal: nõ Iabalcainus, vel Iubalcainus. R. Sic nominatus est iste, nõ tantùm vt ab alijs hominibus distingueretur, quorum nomen fuit Tubal (velut inter posteros Iapheti fuit alius Tubal Gen. 10. 2) verùmetiam vt in eo, tãquam viro quodam egregio & industrio, memoriam nomenque Caini primi sui parentis & familiæ autoris parentes renouarent. Ex quo apparet Tubalcainũ (vti quoq; conseruata est per tot postea secula istius viri & appellatio, & memoria) pro magno celebrique viro & suo iam tempore, & postea habitũ, cultúmque fuisse: de quo sic Iosephus lib. 1. Antiquit. Iudaic. cap. 4. [Tubalcain, qui Lamecho ex altera vxore natus est, cunctos fortitudine excelluit.] Philo Iudæus Tubal & Tobal interpretatur [Conuersus, seu aptus ad omnia. Alij verò quasi [Orbis possessione dignus.] sic nempe cæteris mortalibus admirabile fuit istius artis inuentum, quod tamen Aristoteles lib. 1. Po-

litico-

liticorum, inter sordidissimas artes recenset. Fortasse verò, quia cædis & homicidij, quod primus Cainus perpetrarat, primus instrumenta repererat, nempe ferramenta & enses, Cainus quoque ex primi hominis fratricidæ nomine per ignominiam cognominatus est, nõ solùm Tubal. Ego verò honoris ergò impositum illi Caini cognomẽ potius existimauerim, quasi vir esset egregius: atque inde non simpliciter Tubal, sed Tubalcainus appellatus est. Q. *Cur in libris Chronicorũ, vbi Adami prosapia recensetur, istorũ hominum (nempe totius familiæ Caini) tam industriorũ, & qui tam necessarias artes vitæ humanæ excogitarãt, nulla tamen fit mentio.* R. *Tum quòd tota gens ista diluuio perijt: sola autem Sethi soboles seruata fuit, & superstes, non quidẽ tota, sed ex ea personæ solùm octo, ex quibus postea propagatum est totũ genus humanum, Gen. 8.16, 1. Pet. 3.20: tum quòd institutum erat eorum librorũ, qui Chronica dicuntur, non totam Adami prosapiam describere, sed eam duntaxat, ex qua Israëlitæ, & Dei Ecclesia nata est. Quamobrem posteri Caini in eo Catalogo, quũ non essent de Ecclesia, fuerũt prætermissi.* Q. *Quid hominibus ex istius ærariæ & ferrariæ Artis inuentione acciderit, vel accesserit.* R. *Magnus certè quidem est, fuitq́ tunc temporis in omnibus vitæ humanæ partibus istius artis vtriúsque vsus ad arandum, ad ædificandũ, ad secandum (nam primi cuneis, non ferro scindebant fissile lignum, quemadmodum scribit Virgil. lib. 1. Georgic.) & ad alia postea opera, velut ad nauigãdum, ad quidpiam compingendum, ad pugnandum, seq́ aduersus alios tuendum vel armis indutis, vel ense stri-*

cto. Porrò de vsu ferri, & , quæ ex eo percipitur, cõmoditate, vide Pliniũ lib. 34. hist. Natur. cap. 14. Magnus tamen abusus earundem illarum artium postea quoque inter mortales secutus est, dum his ferramentis sese mutuò inuadunt, iugulant, vulnerant, bella parant, & gerunt. Id quod non artibus tamen istis propriè: sed hominum malitiæ est tribuendũ, sicut idem Tibull. lib. 1 eleg. 10. testatur hisce versibus, de repertore ferri agẽs:

At miser iste nihil meruit: nos ad mala nostra
Vertimus in sæuas quod dedit ille feras.
Diuitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
Faginus adstabat quum scyphus ante dapes.

Plinius metallum ferri optimũ vitæ, pessimumque instrumentum esse scribit. Denique tunc quoq; Idola fabricari esse cœpta ait Philo Iudæus in Bibl. Antiquit. quoniam homines ea ex ære & ferro tunc cuderunt, ait: quæ tamen primùm post Diluuium, ætate Tharæ patre Abrahami, inuenta fuisse vult, scribitque Epiphanius in Panario. Et dubia quidem hactenus.

CAPVT III.

Vestigia superioris historię, & veritatis.

AD I. PECCATVM HOMINIS.



SVPERIORIS autem veritatis ecquæ etiam inter ipsos profanos vestigia extent, explicemus, quò & homines irrisores & εμπαῖκlαι seu potius Athei refellantur: & pij timentesque Dei in fide confirmentur. Ac primùm

mum ex Ethnicorum, qui Christi aduentum præcesserunt, (quorum duntaxat, etsi non omnium, testimonia quærimus: Esset enim infinitum omnia colligere) libris, scriptisque apparet, Hominem quidem, quatenus Dei opus est, esse bonum: eundem autem suâ culpâ & malũ, & miserum effectum. Ergo à Deo bonus erat Homo: à se verò factus est nequam, prauus & malus. Trismegistus in Pimãdro, quemadmodum ait, rubigo nequaquã est ab artifice: sic neq; sunt à Creatore sordes. & lutum seu vitiũ, quod est in nobis. Plato in Polit. editione H. Stephani, pag. 273. Tom. 2. scribit hominem suâ culpâ à prima sua fœlicitate, & primæ Mundi ætatis curriculo excidisse. Aristoteles primam illam hominis creationem spectãs, lib. 2. Ethic. putat hominis voluntatem esse fuisseq; à natura velut Tabulã abrasam à Deo factam, quæ vitio vel virtute (prout ipsa voluerit, seque inclinauerit) prædita fuerit, ac fiat. Sed & Platone & Aristotele antiquior Homerus, & ipse quoque Ethnicus lib. 1. Odyssea sic scribit,

Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι. οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσι.

[Papæ, quàm sanè mortales homines nos deos accusãt.
A nobis enim aiunt mala esse. At illi ipsi
Suis stultitijs, præter fatum, miserias & angores sibi accersunt.] Hierocles deniq;, qui in vetustissima illa Pythagoræ carmina, quæ vocãtur Aurea, cõmentarios scripsit, vetus sanè autor, & Stoicus: [Homo, ait, à seipso propriáque voluntate procliuis est ad malum sequendum, & bonum deserendum.] Quemadmodum &

illud quoque vetus & Menandri, & Terentij Poëtarũ Comicorum, [Procliue est hominis ingenium à labore ad libidinem] Deinde addit idẽ Hierocles. [Ne blasphememus interea, dicentes Deum esse autorem nostrorum criminum. Contrà verò, euasit Homo malus propria voluntate, & quum peccauimus, id egimus, quod erat in nobis: non autẽ id, quod erat Dei in nobis.] Hac ille ex vetustissima Stoicorum secta, quã profitebatur. Et hæc quidem ostendunt id quod S. Scriptura docet, Hominem iam malũ effectũ esse, sed suo vitio & culpa: quatenus verò Dei opificium erat, fuisse bonum. Prætermitto enim Plotini, magni Platonici, infinitas in eã rem sententias, quas ex Enneadibus eius varijs in locis collegit accuratissimè Philippus Plesseius in opere De Veritate Christiana cap. 17. quòd is autor post Christum passum aliquot seculis vixerit. Hoc igitur ipsum quod suprà diximus, confirmat quoque idem Trismeg. in Pimand. docetq; Dial. 4 Malorum caussam à nobis esse, extráque Dei culpam. Itaque cap. 6. irridet eos, qui hominem volunt esse bonum. Nam solus Deus bonus est, non homo, non Mundus hic, neque boni caussa, ait idem cap. seu dial. 10. Itaque à solo Deo lumen esse in homine: in homine verò iam meras esse tenebras: ac proinde regenerandum hominem esse, vt Deum cognoscat, atque ad eum accedat. Id quod in hymno de regeneratione cap. 13. eiusdẽ operis copiosiùs tradit idem Trismegistus. Porro quæ fuerit prima in homine ipso peccandi & bonam illam naturã, quàm à Deo acceperat, amittendi caussa, idem illi Ethnici ex vestigijs veritatis sacræ pingũt vel describunt, certè saltem adumbrãt.

Est

Est autem, fuitque, aiunt, ambitio hominis superbiaq́;: dum vult homo Deo similis esse: dū eius opera imitari: dum nimium seipsum diligit: dum corpus suum, & quæ ex eo voluptates sentiuntur, amat plus æquo. Amor enim corporis fuit illi caussa mortis, ait idē Trismegist. in Pimand. cap. 1. vbi etiam hæc extant, & si quibusdā fabulis (astu Satanæ) obscurata, tamen vera veritatis nostræ testimonia: [Hominem, ait, sibi similem procreauit Deus, atque ei, tanquam filio suo, congratulatus est. Pulcher enim erat, patrisq́; sui ferebat imaginē. Deus enim reuerà propria forma delectat°, opera sua omnia vsui concessit humano. Homo autem quum cōsiderasset in tempore suo omnium creationem, ipse quoque fabricare voluit, vnde à cōtemplatione Patris ad Sphæram generationis delapsus est, &c.] Hierocles, [Ambitio, inquit, est nobis lethalis, atque hoc malum à nobis ipsi habemus, quum à Deo defecimus.] Sed quæ fuerit homini externa peccandi caussa ab iisdē illis Ethnicis explicatur quoque, quò magis etiam ex iis ipsis constet de nostra veritate. Fuit autem illa caussa Serpens à Dæmone impulsus, qui primum per fœminam peccatum in Mundū, ex esu pomi seu mali (quod primi homines vetiti fuerant attingere) introduxit, Gen. 3. De quibus singulis vestigia veritatis, quæ restāt, expendamus. Ac primùm quidē à Serpente deceptos fuisse primos mortales apertè scripserat Sibylla, cuius versus extāt apud Lactant. lib. 2. Institut. Christianarū, cap. 12. quos nos Græcos iam citauimus, & quorum hic est sensus,

Ipse suis hominem manibus Deus ædidit, illum
Decepit Serpens, dans nosse bonumq́; malumq́;.

Eundem verò Serpentem à Cacodæmone fuiſſe ad id operis ſuſcitatum, docuit dixitque Pherecydes Syrus, quem eũdem appellat ὀφιογενῆ, καὶ ὀφιονέον, quemadmodũ tradit Origenes contra Celſum, à quo eſſe ſcripſit ille idem Pherecydes. & quidẽ conſentienter veritati, quicquid eſt malorum in hoc Mundo. Quomodo verò cum muliere prima, quã decepit, loqui Serpens iſte potuerit idiomate humano, docet etiã ex Ethnicis ipſis Cyrillus lib. 3. contra Iulian. ſect. 2. nempe inſtinctu Satanæ id factum, quandoquidem Magorũ (qui ſunt famuli duntaxat Diaboli) vi, & incantationibus multæ beluæ & nunc loquuntur, & olim ſunt locutæ (vt prætermittam Aſinam Balaami, quæ Dei iuſſu locuta eſt, de qua eſt, Numer. 22. 27) velut Equus Achillis, Argo nauis, Quercus & Columba in Dodonæa ſylua, flumen Cauſus Pythagoram ſalutauit, Arbor Vlmus Apollonium Philoſophum, & Iouis Taurus in Rhodo inſula. Sed nónne Pica & Gracchulus noſtra verba diſcunt, & loquuntur? Porrò à fœmina, nõ autem à mare initiũ mali & peccati ortum eſſe tradiderunt Homerus, & Heſiodus. Ac Homerus quidẽ lib. Iliad. 19. Nam quòd ibi Aten quandam fœminam canit omnibus nobis mortalibus fuiſſe noxiam & pernicioſam, proculdubio alludit ad omniũ noſtrum parentem Euam, (quæ primùm peccauit) idque ex reliquijs veritatis, de qua Homerus quidpiam inaudiuerat. Ait enim,

Πρέσβα Διὸς θυγάτηρ Ἄτη, ἣ πάντας ἀᾶται Οὐλομένη.

[Filia prima Iouis, quæq; omnes perdidit, Ate Pernicioſa.] Quid quod ibidem Homerus alterius fabulæ integumento eandem hiſtoriã attingit, dum

ait

*ait Iouem omnium mortalium ſapientiſſimum tamen à Iunone vxore ſua olim deceptum fuiſſe? Et hæc quidem de initio malorum, quódque à fœmina ceperit, & per eam hominum prudentiſſimus deceptus ſit, tradit Homerus. Heſiodus verò lib.*1.*Oper.& Dier.idem quidem ſentit & ſcribit, ſed diuerſis verbis, aliáve fabula conficta ex veteri traditione. Nam ait,* [*A Pandora muliere (quæ omnium fœminarũ & formoſiſſima & prima condita à Dys fuerat) mala omnia in Orbem terrarum ſparſa fuiſſe,*] *quanquam & Palæphatus de Fabuloſis narrationibus, & Placiades Fulgentius libr.*2. *Mythologic. aliter interpretantur Pãdoram, dum ad noſtram veritatem non attendunt. At verò Heſiodus nobiſcum facit, ex cuius carmine, quod nos cõtendimus, oſtendetur facilè.*

Αλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθυ μέγα πωμ᾽ ἀφελῦσα
Εσκέδασ᾽, ἀνθρώποισι δ᾽ ἐμήσατο κήδεα λυγρά.

[*Námq; priùs vixêre homines, verùm abſq; labore,*
Abſque malis, morbóque graui triſtique ſenecta.
At Mulier rapto de poclo tegmine ſparſit
Omne mali genus, & morbos, curaſque moleſtas.]

Itaque Mulierem ex ira Iouis natã, & καλὸν κακὸν *appellauit idem in* θεογονίᾳ, *vt lib.*3 *.contra Iulian. ſcribit Cyrillus in principio libri. Non deſunt etiam qui* [*væ*] *ab Eua velint deductum per metatheſin literarũ. Hinc quoque illud eſt Platonis lib.*10. *de Legib. Mulieres eſſe mortalium ſuperſtitioſiſſimas, vtpote quæ ſunt natura valde imbecillis. Itaque fœminã potius quàm marem aggreſſus eſt ſerpens, vt eam falleret. Deniq; quod in eſu pomi dicitur perpetratum primũ hoc hominum*

scelus, nónne videtur cum eo consentire, quod de malis aureis scribunt Poetæ, quæ ne homines attingerent peruigilem draconem iys à diys appositum volunt, vt draco iste homines, ne ex iys ederent, prohiberet. Et hæc de primo nostræ veritatis capite, & illius reliquijs, quales in Ethnicis scriptis extant.

Ad II. Pœna peccati Hominum.

Nunc de secundo dicamus, in quo Pœna peccati, id est, tristissima Miseria, atque non modò ipsorum hominum ruina calamitasque cõtinetur, verumetiam totius huius Mundi. Quod ipsum vt meliùs ex Ethnicorum hominum scriptis intelligatur, conferamus ea, quæ tradunt illi de prima & pura adhuc hominum ætate (quã Auream vocãt) cum iys, quæ de Ferrea scribũt iydem, in quam homines post peccatum inciderunt. Nec enim dubitari potest, quin Aureæ illius ætatis ænigmate fœlicem illam vitam designarint, quam homines ante peccatum vixerunt. Ætatis verò ferreæ nomine eam, quã iam post offensum à primis hominibus Deũ omnes experimur. Auream autem ætatem Seculum Saturni nominant. Præclarè enim Plato in Cratylo, [Nempe equidem arbitror, ait, Hesiodũ Auream ætatem appellare, non quæ aurea quidem esset naturâ, atque auro cõstaret: sed bonam & præclaram significaße. Cui rei argumentum mihi est, quòd ætatem nostram Ferream nominarit.] Ergo idem in Polit. Plato hoc idem tempus & Saturni seculum & aureum dici tradit, cuius summam omnibus in rebus felicitatem describit. Nam ait omnia tunc sponte homini è terra nata: ipsos homines

tunc fuiſſe immortales, aut ex ſeipſis renouatos: cœli quoque temperiem tunc optimam. Sed ante Platonem Heſiodus lib.1. Operum & Dierum ſic ſcripſerat:

Χρύσεον μὲν πρώτιστα γένος μερόπων ἀνθρώπων
Οἱ μὲν ἐπὶ Κρόνου ἦσαν, ὅτ᾽ οὐρανῷ ἐμβασίλευεν.
Ὥστε θεοὶ δ᾽ ἔζωον ἀκήδεα θυμὸν ἔχοντες, &c.

Id quod pulcherrimè Ouidius lib.1. Metamorph. non tam imitatus quàm conuertiſſe, & expreſſiſſe videtur his verſibus:

[Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem, rectúmque colebat.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ:
Non galeæ, non enſis erat, ſine militis vſu.
Ipſa quoque immunis, raſtróque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus,
Contentíque cibis, nullo egente, creatis,
Arboreos fructus, montanáque fraga legebant.
Ver erat æternum, placidíque, tepentibus auris,
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores.
Atque etiam fruges tellus inarata ferebat.]

Quibus conſentiunt ea, quæ Virgilius, reliquiq; vetuſtiſſimi Poëtæ tum Græci, tum Latini de Saturni ſeculo tradiderunt: quæ nos, breuitatis gratiâ, minimè ex illis in hunc locum tranſcribemus. Sed poſtquam homo peccauit, mutata eſt aurea illius conditio & ætas in Ferreã, ſumma felicitas in ſummam miſeriam & infelicitatem conuerſa, qualem etiã ipſimet Ethnici declarant, adeo vt Sibylla ſcripſerit metuendum eſſe, imò tempus fore, quo Deus vniuerſum genus humanũ deleat è terra, quemadmodum extant varij illius de ea re verſus

apud Lactantium in libro De Ira Dei. Ergo Hesiodus Ferrei istius Hominum seculi infelicitatem & pœnam ostendit, quæ secuta est hominum mutatos mores, id est peccatum ab ijs in Deum Creatorem suum perfidissimè admissum, idque cõgruenter verbo Dei. Imò idem tradit tantam hominum miseriam (qualis nunc est) non repente extitisse, quod verum est, sed per quosdã gradus, & temporum ætates, momenta, & successiones succreuisse: in quibus tamen intermiscet quædã tum ipse, tum alij de fabulis, quoniam veritas ipsa lucida, qualis est in verbo Dei, semper à suis vmbris (quas solas Ethnici habuerunt) differt. Illa enim sunt interpolatio & obscuratio veritatis. Ait igitur Hesiodus eiusdem operis lib. I. his verbis,

Νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον οὐδέποτ' ἦμαρ
Παύσονται καμάτου, καὶ δ' ὀίζυος, οὐδέ τι νύκτωρ
Φθειρόμενοι. χαλεπὰς δὲ θεοὶ δώσουσι μερίμνας. &c.

Ergo post peccatum statim immutatæ sunt rerũ vices, ipsáque huius Mundi facies & felicitas amissa, quam ætatem Ioui tribuunt. Nondũ tamen summa erat mundi corruptio & calamitas, quæ sequentibus temporibus propter succrescentia multiplicataq; hominum peccata demũ exorta est. Ergo de Ioue illi scribunt sub eo fuisse, non sub Saturno initium miseræ illius conditionis, quæ propter hominum peccatum iniecta est in Mundum: de quo sic Virgil. lib. I. Georgic. his versibus:

[Ante Iouem nulli subigebant arua coloni,
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medio quærebant, ipsaque Tellus
Omnia liberiùs, nullo poscente, ferebat.

Ille

Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Prædarique lupos iussit pontúmque moueri,
Melláque decussit folys,&c.] Etsi Lactant.lib.5. cap.5.aliter ista interpretatur. Ergo crescente hominum malitia (postquam semel esse cœpit) tandem omne genus vt peccati, sic miseriæ in Mundum irrupit. Vnde Ferrea, id est, miserrima hominũ ætas nata est, propter quam immissum est a Deo postea diluuium, vti ex eisdem Ethnicis dicetur. Cæterùm de ista ætate Ferrea, quanta & scelera, & scelerum supplicia pepererit, sic Ouid.lib.1.Metamorph. -De duro est vltima ferro.

[*Protinus irrupit vena peioris in æuum*
Omne nefas, fugêre pudor, verúmque, fidésque:
In quorum subiêre locum fraudésque, dolíque,
Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi:
Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,&c.]
Ergo & miseriæ quoque, nempe pœnæ peccatorum istorum subsecutæ sunt, quas lib.6.Aeneid.describit Virgilius. Nam iam inter nos & post peccatum est

[*Luctus, & vltrices posuêre cubilia curæ,*
Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus:
Et metus, & malesuada fames, & turpis egestas.]
Extat libellus Græcus inscriptione [Axiochus,] in quo humanæ vitæ calamitates commemorantur, qui Platoni tribuitur (certè est autoris & Ethnici, & vetustissimi) ex quo quanta sit hominum iam, id est, post peccatum miseria & infelicitas, apparet in quauis ætate, sexu, vitæ genere, adeo vt tandem concludatur vitam hanc hominis, id est, in his terris esse magnũ & ærumnosum malum. Legat illum libellum (est enim vtilissimus) qui

volet. Extitit Philosophus ante M. Tull. Ciceronem quidã vt ipse Tuscul. 1. testatur, nomine Hegesias, qui propter eiusmodi tantásque miserias, quibus hæc vita obnoxia est, diceret, docerétque Optimũ esse vel omnino non nasci, vel statim mori. Alcidamus idem docuit. Denique Thracum (fuerunt autem illi Europæ gens nobilissima) mos is fuit, vt scribit Herodotus lib 3. & Valerius Maximus lib. 2. vt in hominum natiuitate lugerent fœtum circunstantes: in morte verò hominum lætarentur, quòd natiuitas esset malorum initiũ: mors verò finis. Cui sententiæ in Ctesiphonte astipulatur Euripides, his verbis,

[Nam nos decebat cœtus celebrantes, domi
Lugere, vbi esset aliquis in lucem æditus,
Humana vitæ varia reputantes mala.
At, qui labores morte finisset graues,
Omnes amicos laude, & lætitia exequi.)

Quin & Homerus quoq́, quem citat Plutarch sic ait,

[Haud quidquã est miserum magis, ærumnosius atq́
Est hominum in terris, quæ spirant, quæq́ vagantur.

Et hæc quidem in genere pœnam peccati in hominibus extitisse, & extare ostendunt, atque inde infusam in vniuersum hunc Mundum calamitatem summam. Peculiariter verò Masculum in excolenda terra: Mulierem in partu: serpentem in victu maledictum esse ijdem illi Ethnici etiam testantur. Nam post peccatum & mutatam propterea Mundi huius primã conditionem (quod sub Ioue contigisse volunt, Prima enim ætas & felix sub Saturno fuit) etsi fortè idẽ fuit Saturnus & Iupiter, sed diuersa ei ijsdem hominis conditio diuersis nomi-

nominibus ab ijs notata est: vel Iouis nomine Cainũ illi proculdubio significant. Post mutatam, inquã, ob scelus hominum primã huius Mundi totius conditionem, post additum serpentibus venenũ, vt ait Virgilius, vita hominum miserrima fuit, & in quærẽdo è terra victu laboriosissima. Ergo prima illorum occupatio in terra aranda colendáque extitit, vt idem Virgilius ait lib. 1. Georgicorum: ---[Nam Iuppiter iste

Et passim riuis currentia vina repressit:
Vt varias vsus meditando extunderet artes,
Paulatim & sulcis frumenti quæreret herbam.]

Eodẽ pertinet quod tantopere agriculturã à vetustate ijdem Ethnici laudant. Imò Cato Maior & Censorius dicebat habere se eam pro oblectamento potiùs, quàm in fructu. Philopœmenes quum esset Princeps Achæorum, ea tamen summè delectabatur, quemadmodum in eorum vitis scribit Plutarchus: Item Laërtes rex pater Vlyssis, vt vult Homer. tamen, vt in Axiocho scribit Plato, etiam illa vita est & laborum, & molestiarũ plena, & durum ac miserum omnino, sed primum vitæ genus. Id quod etiam docet Horatius lib. 1. Epist. Ad Mœcenatem [Quinque dies] de Mena loquens. Mulieres autem in partu summos dolores experiri ac tolerare cùm ipsa rerum experientia docet, quæ quotidiè cernitur: tùm illud Euripidis, [Decies mori mallem, quàm parere vel semel,] ait apud eum fœmina. Vnde ὠδῖνες dicti summi dolores à Græcis, quales in partu sentiunt mulieres: & illud quoq; Homeri, quod non Homerum ipsum, sed Homericã quandam potius poëtriã, quæ iam puerpera fuisset, scripsisse putat Plutarchus

in libello περὶ τῆς φιλοσοφίας, tam est nempe verum,

[Quũ labor, atque dolor partus, & acuta & amara
Tela graues feriunt vteros, quúmque Ilithyiæ
Iunonis nata accurrunt mala multa ferentes.]

Quanquam verò in Cõuiuio rectè Plato ait, Ἡ δ' ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς συνουσία, τόκος ἐστίν. Ἔστι δὲ θεῖον τὸ πρᾶγμα. καὶ τοῦτο ἐν θνητῷ ὄντι τῷ ζώῳ ἀθάνατόν ἐστιν, ἡ κύησις καὶ ἡ γέννησις, *.i. [Ex mulieris sanè & viri cõgressu partus existit. Est autem hoc diuinũ opus, & in animali mortali immortale hoc est, Conceptio videlicet & Generatio.] Tamen immensos esse mulierum parturientiũ dolores negari non potest. Quam fuisse pœnam peculiarem mulieris scribit, docétque S. Scriptura. De Serpente, & quãtas cum homine exerceat inimicitias, vtq́ illum fugiat, vulneret tamen, notius est, quam vt dici possit, vel debeat: de quo luculẽter Plinius lib. 11. Natural. Hist. Lucanus lib. 9. Pharsalidos. Et primum quidẽ Animal (quod ab hominibus fuerit occisum) volunt fuisse Serpentem, quem à tumore Pythonem appellarunt, & sagittis confossum ab Apolline peritissimo sagittario. Nec verò his obstat, quòd Phylli, & Marsi vt scribit Plinius lib. 28. cap. 3. à serpentibus non læduntur Id enim fit Magicis & Satanicis incantationibus. Sed & quòd nonnulli populi vescuntur quoq́ serpentibus, vt Cãdei in Aethiopico sinu. quemadmodum idem tradit libr. 6. cap. 29: & de Americanis populis scriptores Hispani, non officit huic sententiæ. Hi enim, qui ibi serpentes appellãtur, quosq́ homines isti edunt, non sunt propriè serpentes, sed potius anguillæ quædam terrenæ, vel aqueæ, felle venenóque carentes (quod tamen*

men habent serpentes omnes) quæ propter formæ, corporisque similitudinem Serpentes nominantur: Ergo non serpentes, sed anguillæ dici debuerũt illa animalia. Sunt enim illa innoxia hominibus: at Serpentes sunt semper noxij, venenatique, quos esse homines absque mortis periculo non possunt. Quod verò Iulianus Apostata contendebat Serpentem ab hominibus velut benefactorem, (vtpote qui cognitionẽ boni & mali ijs dedisset) potius amãdum, quàm odio prosequendum, aut maledicendũ, refutat luculenter Cyrillus lib. 3. contra Iulian. sect. 4.

Ad III. Promissio Messiæ.

Verùm ad tertium caput nostræ historiæ veniamus, in quo promissio futuri Messiæ (qui Deus & homo futurus esset) continetur. Huius autem, tam, vt videtur, Christianorum duntaxat propriæ, & Ethnicis ignotæ historiæ, & cognitionis vestigia tamen apud eosdem illos Ethnicos extant plurima, qualia sunt hæc, quæ proponemus breuiter, etsi nos omnia colligere (ne cuiquam suæ industriæ laudem eriperemus) minimè studuimus. Ergo docent illi, Primùm, Quod post lapsum hominis, casumque vniuersi Mundi, Deus illius administrationem curámque, magnâ suâ misericordiâ, & bonitate, nõ abiecit. Id quod scripsit disertè Plato in Politico, Tomo 2. operum, his verbis, [Itaque Deus ille huius ordinis parens, & autor cernens Mundum in tãtas angustias (propter hominum nempe ἀταξίαν, quæ superuenerat) coniectum, sollicitus ne tumultu tam turbulento fluctuans dissolueretur, & in locum dissimilitudinis infinitum mergeretur, rursum Mundi gubernacula repe-

tit, & iis sollicitè insidet, ægrotasque atque dissolutas Mundi partes, & quasi luxatas ad pristinum circuitū reuocatas ornat, atque emendat: ipsumq; proinde à senij & mortis iniuria vendicat.] *Deinde, aiunt Deum hoc ipsum sola bonitate sua impulsum fecisse. Id quod Trismegistus docet, citante Lactātio lib. 4. Institut. Christ. cap. 7,* Αἰτία τούτου, ἡ τοῦ θεοῦ ἀγαθοῦ βούλησις. *Verùm modum quoque addit idem Trismegistus, per quem bonus Deus huic Mundo ruenti succurrit, & subuenit. Adiungit enim,* ἣ θεὸν προήνεγκεν, οὗ τὸ ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ στόματι λαληθῆναι, *id est,* [*Causa huius rei est boni Dei voluntas, quæ Deum produxit (nempe filium suum) cuius nomen humano ore proferri non potest,*] *quem & Sapientiam Dei, & Sanctum vocat ibidem idem Trismegistus. Hic igitur est, fuitque modus seruandi Mundi, ac imprimis hominum qui perierant & omnino, & vniuersi, Quod Deus Pater Filium (quem ab æterno progenuerat, cuiusque nomen est ineffabile) produxerit, ac promiserit hominibus post eorum ruinam. Is enim Filius est, qui homines perditos statim & ab initio seruauit, seruat, ac solus seruabit, quem etiam Sibylla & verum Deum esse, & ab hominibus venerādum, & cæterorum Deorum, id est, piorum & fideliū hominum rectorem (Id enim* [*Dij*] *nomen significat apud veteres Philosophos, vt ex Pythagoræ aureis versibus apparet) ac gubernatorem testantur, quarum hi versus extant apud Lactantium lib. 4. quem iam citauimus, capite 6.*

Παντάφορον κτίστην, ὅστις γλυκὺ πνεῦμα ἅπασι
Κάτθετο, κ᾽ ἡγητῆρα θεῶν πάντων ἐποίησε

Αὐτὸν

Αὐτὸν ἔδωκε θεὸς πιστοῖς ἀνδράσι γεραίρειν,
Αὐτὸν σὺν γίνωσκε θεὸν θεοῦ υἱὸν ἐόντα.

[Constituit Deus hunc cunctorum námque piorum
Rectorem, qui cuncta creat, nutritque, fouétque,
Quíque homini suauem voluit concedere mentem.
Hunc Deus à cunctis iussit rectis honorari:
Ergo Deum hunc agnosce tuũ, quia Filius est Dei.]

Sed & eundem (qui Dei Filius, & Deus erat, & aeternus) fore tamen θνητὸν κατὰ σάρκα, *.i. mortalem & hominem secundum carnem, eadem Sibyllæ Ethnicorum prophetissæ prædixerant, quarum versus refert Lactãtius lib. 4. cap. 13. Ex quibus omnibus colligitur hactenus prophanos cum Mose consentire, quòd ex obscuris quidem, sed tamen ex veritate sacra superstitibus reliquijs & vestigijs intellexerint Deum post hominũ peccatum succurrisse & ijs ipsis hominibus, & toti mundo ruenti, hoc nimirum pacto, quòd Filium suum ijs promiserit, & eundem piorum rectorem, .i. Ecclesiæ principem & caput constituerit, per quem omnia iam condita fuerant & sustinẽtur: & qui postea homo futurus erat, vt homines à suis peccatis liberaret. Præclara verò est illa Augustini aduersus Porphyrium disputatio lib. 10. Ciuit. Dei, cap. 22. 23, & 32, nempe prophanos ipsos ex oraculis suis, teste ipsomet Porphyrio, iam pridem audiuisse, & didicisse etiam ante natum Christum opus sibi, ac cunctis mortalibus esse Mediatore, & conciliatore apud Deũ, qui Mediator homines, hominúmque animas à vitijs ipse per se purgaret. Nam neque per Teletas & sacrificia, quæ Lunæ vel Soli facerent, neque per alia sacrificia propriè peccata pur-*

gari: sed per eos dũtaxat, qui sunt totius rerum naturæ principia. Quos idem Augustinus ex ipsorummet profanorum sententia docet esse Deum Patrem & Filiũ. Sic enim cap. 23. scribit: [Dicit etiã Porphyrius diuinis (id est, Delphicis & profanis) oraculis, fuisse responsum nos nõ purgari Lunæ teletis atq; Solis: vt hinc ostenderetur nullorũ Deorum teletis (id est sacrificijs) hominem posse purgari. Cuius enim teletæ purgant, si Lunæ Solisve non purgant, quos inter Deos præcipuos habent? Denique eodem dicit oraculo expressum, Principia posse purgare, ne forte (quum dictũ esset non purgare teletas Solis & Lunæ) alicuius alterius Dei de turba valere ad purgandum teletæ crederentur. Quæ autem dicat Principia, tanquam Platonicus, nonimus. Dicit enim Deum Patrem, & Deum Filium, quem Græcè appellat Paternum Intellectum, & Paternam Mentem: De Spiritu enim sancto aut nihil, aut non apertè aliquid dicit.] At cap. 24. addit idem August. [Sed subditus Porphyrius inuidis potestatibus (vtpote qui erat idololatra, & persecutoribus Ecclesiæ Imperatoribus, nempe Diocletiano & Maximiano fauebat) noluit intelligere Dominum Iesum Christum esse principiũ, cuius incarnatione purgamur. Eum enim in ipsa carne contempsit, quam propter sacrificium nostræ purgationis assumpsit. Sed is solus peccata nostra potuit soluere moriendo, quia & mortuus est, & non pro suo peccato. Principium ergo (quod se esse dicit Christus, Ioan. 8. 25) suscepta anima & carne, & animam credentium mundat, & carnem. Propterea ergo nobis per Mediatorem præstita est gratia, vt peccati carne polluti,

luti, carnis peccati similitudine mūdaremur.] Id quod idem Augustinus eodem lib.10.cap.32. fusius quoque persequitur. At quem malitiosè negat Porphyrius Iesum Christum esse nostrarum animarum, & peccatorū purgatorem & conciliatorē apud Deum Patrem, eundem tamen Sibylla iāpridem ante Christi ipsius in carnem aduentū agnouerat, & ingenuè fuerat confessa esse talē in Acrostichide illa, cuius meminit Tullius in libr. de Diuinat. (quòd primæ versuum literæ Iesum Chistū contineant) Huius autem particulam tantùm ad refutandam ac reijciendam Porphyrij cōtumaciam ex ipsis illius Prophetis proferemus, vti est à Ioanne Lango cōuersa, extátque in fine operum seu historiæ Nicephori Callisti:

I [Iudicij metuet sudans præsagia tellus:
E Et Rex æternus magno descendet Olympo,
S Sublimis carnem, mundumq́; vt iudicet omnem.
V Vnum suspicient numen prauique, bonique,
S Summum supremo cum sanctis tempore mundi.
C Carnifer ille homines iudex inquiret in omnes.
H Horrida terra vias cœli, spinaque tenebunt.
R Reijcient simulacra viri, gazámque repostam.
I Ille domos cæcas, & Ditis claustra refringet.
S Sanctior à mortis iam nexu libera lucem
T Turba hominū cernet, sceleratos flāma cremabit
V Vltrix perpetuùm mala quæ quicunq́; patrauit
S Sontica, suppressitque diu, producet in auras.]

Ex quibus omnibus perspicuè colligitur etiam eum per quem mundus hic, & homines à suis peccatis purgandi erant, atque adeo sunt, esse IESVM CHRI-

STVM Filium DEI, Regem æternum, idque eum effecturum, quoniam humanam carnem assumpturus erat, & in eadem passurus, ac tandem Mundum iudicaturus. Quæ omniaa cum Mosis doctrina, seu veritate Diuina, velut eiusdem vestigia planè consentiunt. Verùm qui Ethnici suis illis Prophetis (sic enim Sibyllas nominauerim, quemadmodum Paulus Cretensem Epimenidem Prophetam appellat, Tit.1.12.) non attenderunt, in diuerticula varia discessere ex his veritatis vestigijs, quæ inter eos tamen retenta fuerant, digressi. Ergo in vniuersum omnes Ethnici fatentur quidem nobis apud Deum purgatione, & conciliatione opus esse, quoniam is nobis propter peccata nostra meritò sit infensus, ac iratus. Verùm in modo variant. Alij enim teletas & sacrificia, sacramentaq́ue, .i. opera externa constituunt esse verissimas illius animorum nostrorum purgationis apud Deum caussas. Sic enim ex quorundam veterum Philosophorum traditione homo portentosæ religionis Iamblicus in lib. de mysterijs scripsit. Alij eam animorum nostrorum purgationem apud Deum in sola animi pietate interna statuunt, vti Plato ipse, & ex eo Platonici: sed & alicubi quoque Trismegistus, vt docent Macrobius, & Lactant. Ille in Somno Scipionis, hic in lib. 2. Institut. Christian. cap. 15. Alij per Angelos seu Dæmonas eam in nobis fieri malunt, eósque duntaxat bonos, quos Deus hominibus post eorũ peccatum custodes apposuit, velut Hesiod. lib. 1. Operum, & Dierum, his verbis,

Τεὶς γὰρ μύειοι εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πυλυβοτείρῃ
Ἀθάνατοι Ζηνὸς, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Alij

Alij aliam purgationis animæ nostræ rationem cōmenti sunt, velut Persæ, quemadmodum scribit Agathias lib. 2. de Bello Pers. Illi enim anniuersarium festū olim instituerunt, quod vocabant Vitiorum in homine Interitum. Indi, vt tradunt Historici Hispani, Indi inquam recens reperti aiunt, Deum offensum non placari sacrificijs, nec se ab Aquanis, id est, Dæmonis sibi infesti potestate, & manu sæua propter ea eripi. In summa, fuerunt infinita penè diuerticula inter ipsos Ethnicos, qui nō attendētes ijs primæuæ veritatis vestigijs (quæ Deus inter eos restare voluit) sed qui ea retinuerunt, vti demonstrauimus, planè nobiscū, & cum Mose consentiūt. Et hæc quidē de tertio capite, & illius reliquijs hactenus. Accedo ad quintum, quod est de primo vestitu hominis. Nam quartū à nobis prætermittetur, vbi Mulieris nomē à viro suo, nimirū Adamo, mutatum fuisse docetur, vti diximus, quòd illius pauca inter Ethnicos vestigia, imò nulla reperimus.

Ad V. Primus Hominum Vestitus.

Nuditatem homini iam turpem esse, ac præsertim in pudendis (quæ vocantur) testatur S. Scriptura, postquam ab illa morum innocentia deflexit homo, in qua primùm conditus fuerat: & eum primum pellibus vestitum fuisse eadem illa testatur. Hæc vero etiam ex manifestissimis vestigijs (quæ in Ethnicorum hominum scriptis passim extant) colligi quoque possunt. Ac primùm quidem totius corporis nostri nuditatem esse rem aspectu fœdam, imprimisque genitalium membrorum intuitum, idq; ex communi naturæ sensu, ac populorum

omnium consensu docet Herodotus in Clio, .i. lib.1. his verbis: [Apud Lydos, ait, & ferè apud cæteros quoq; barbaros (.i. homines) magno probro est etiam virum, nedum mulierem, conspici nudum.] Id quod etiã apud Græcos obtinuisse ad sua vsq; tempora docet Plato, lib. 5. de Rep. Ergo apud omne mortalium genus ea res, id est, nuditas corporis, turpis, velut naturæ voce, habita est. Homerus, qui vtróque illo scriptore longè fuit antiquior, idem testatur Odys. lib.6. Nam de vestimẽtis in genere loquens, ait,

Εκ γάρ τοι τούτων φάτις ἀνθρώπους ἀναβαίνει Ἐσθλή.

[Ex his fama viris bona contigit omnibus esse.] Itaque negat idem Vlyssem naufragum, & quamuis afflictissimũ, quia nudus erat, ausum sese Nausicaæ primùm ostendere, vel in vrbem Phæacum absque vestimentis proficisci. Et quum primùm nudus ad mulieres ille accessisset, mulieres illæ, ait idem Homerus, ex communi naturæ voce

Τρέσσαν δ' ἄλλυδις ἄλλη ἐπὶ ἠϊόνας προυχούσας,

[Diffugere illac atque hac per littora sparsæ.] Deinde quantumlibet incitatus à filia regis Nausicaa, vt in vrbẽ accederet, respondet Vlysses, Αἰδέομαι γὰρ γυμνοῦσθαι, κούρῃσιν ἐϋπλοκάμοισι μετελθών. *Nam pudet esse*

Me nudum, quanquam pulcris accedo puellis.]

Cur verò? Nisi quia Natura ipsa docet id esse iam homini inhonestum. Age verò, etiam vetustissima hominum traditione scribit Athenæus lib.1. Dipnosophist. [Curæ fuit & veteribus vt vestem decenter colligerẽt, ac eos irriderent, à quibus hoc negligeretur. Plato in Theæteto illos, qui nesciunt ingenuè apteq; vestem induere

duere, nec deorum vitam ait posse celebrare.] Denique vestem etiam ad eruditionem quidpiam cõferre tradit ex Hermippo, & Aristarcho idem Athenæus: adeo vt malint homines etiam crudis animalium pellibus, quãtumvis ferarum, atq; iisdem impolitis tegi, quàm nudi esse, & sic cõspici ac incedere. Ex quo fit vt M. Tullius lib. 1. de Officiis ex eo ipso Cynicos Philosophos confutet, qui neque nuditatem esse obscœnam censebant, neque alia pleraq;, quæ verecundiæ repugnant: [Nos autem naturam, inquit Tullius, sequamur, & ab omni (quod abhorret ab ipsa oculorum, auriúmque approbatione) fugiamus. Scenicorum quidem mos tantam habet vetere disciplina verecundiam, vt in Scenam sine subligaculo prodeat nemo. Verentur enim, ne, si quo casu euenerit, vt corporis partes quædã aperiantur, aspiciantur non decorè.] Quamobrem idem eodem libro postea sic concludit, [Cynicorum ratio tota est eiicienda: est enim inimica verecundiæ, sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum.] Pugnat igitur ipsa natura cum einsmodi hominum Nuditatem probantium opinione, etiã testibus ipsismet Ethnicis, quorum antiquissimum, ac naturale iudicium sic refert Augustinus, lib. 14 Ciuit. Dei, cap. 17. [Porrò Campestria Latinum quidem verbũ est, sed ex eo dictũ, quòd iuuenes, qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant: Vnde qui ita succincti sunt, Campestratos vulgus appellat. Ex hoc omnes gentes (quoniam ab illa stirpe nempe libidinis ac vitiosorum hominum procreatæ sunt) vsque adeò tenẽt insitum, pudenda velare, vt quidam Barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant: sed cum earũ

tegumentis lauant.] Atq; hic pudor, naturalisque tum totius corporis, tum pudendorum nuditatis verecundia est illius veritatis (quam tradit Moses) amplissimum testimoniū, ac vestigium. Nec obstat, quod inter Indos Gymnosophistæ Philosophi viuebant nudi. Nam, vt ait ibidem Augustinus, adhibēt genitalibus tegumenta. Præterea nec in eo probandi sunt, vti nec hodie Adamitæ Monachi: nec Lacedæmonij, Cretensesve luctatores, de quibus Plato lib. 5. de Repub. quòd nudi conspiciebantur. Abhorret enim hoc tam fœdum spectaculum natura & communis sensus. Imò verò syluestres homines (quia vestimentorum vsu carent propter solitudinem, in qua procul ab alijs hominibus versantur) Deus ipse pilis grandioribus vestiuit, vt eorū nuditatem obtegeret. De quibus ijsdem hoc traditum est, vt exploratum, eos breuioris & imbecillioris vitæ esse, quòd nudi viuant, & cœli grauissimis iniurijs pateant. Itaq; malè Plutarchus in libro de Connubialibus præceptis Herodotum reprehendit, qui dixerat, Mulierem vnà cum veste pudorem quodammodo exuere. Nuditas enim reddit homines & impudentes, & inuerecundos. Cæterùm eius quoq; ipsius (quod addit Moses) nempe primum hominum vestitum fuisse crudas pelles Animalibus detractas, vestigia sunt, Primùm id, quod scribit Hesiodus lib. 2. Oper. & Dier. rusticos naturali vestitu vsos suo tempore solis pellibus animalium sese cooperuisse, quas nec pilis spoliabant, nec adornabant: sed quales erant bestijs detractæ, easdem induebant. Hæc sunt Poëtæ verba:

Ἀμφὶ δὲ ποσσὶ πέδιλα βοὸς ἶφι κταμένοιο

Ἄρμενα δ' ἤσασθαι, πίλους ἔντοσθε πυκάσας.
Πρωτογονέων δ' ἐρίφων (ὁπόταν κρύος ὥριον ἔλθῃ),
Δέρματα συῤῥάπτειν νεύρῳ βοὸς, ὄφρ' ἐπὶ νώτῳ
Ὑετοῦ ἀμφιβάλλῃ ἀλέην.

[Calceus in pede ſit ex corio crudóque, bubulcóque,
Et corij pilos intrà componito denſos.
Sic quum frigus erit, primorum ſumito pelles
Hædorum, neruóque bouis quas conſue firmo,
Imponáſque tuo, pluuiali tempore, collo.]

Deinde quod tradit Iulius Caſar lib. 6. Commentar. de Bello Gall. loquens de omnibus Germanis, qua fuit gens latiſſima populoſiſſimáque, cuius veſtitus erat naturalis, non artificialis: purus, & ſimplex, non pretioſus, & adornatus [Pellibus] ait, aut [paruis renonum tegumentis vtuntur, magna corporis parte nuda.] Eſt autē [Reno] pellis cruda, & pecudi recens detracta, non expolita, quales exuuia pecudum: cuius etiam meminit Varro lib. 4. de lingua Latina. Hanc putat eſſe vocem Gallicam Ioſephus Scaliger in eum Varronis locum: Iſidorus autem lib. 19. Etymologiarum, Germanicam. Quod ſi ῥῆνες ſunt oues, renones erunt pelles ouium, aut his ſimilium aliarum paruarum pecudum, quales Capra, hœdi, arietes, ex quarum pellibus veſtes & tegumēta fieri pracipit quoq; Heſiodus, vti demōſtraui: & ſibi Germani, quemadmodū docet Caſar, veſtimenta naturaliter conficiebant. Ex quibus apparet retentam fuiſſe ab hominibus memoriā primi illius ſui veſtitus, qualem ijs induit Deus poſt eorum peccatum. Atque huic ſententia ſuffragatur Plato, qui in Politico ſcribit Veſtimentum primò repertum fuiſſe ex eo Rerum ge-

nere, quod ille πρωτογενὲς ἀνθρώπων κτῆμα *appellat, & quod ait fuisse* ἀξυνθετον, καὶ οὐδεμίας ἐπιστήμης ἔργον, *.i. primigenium, simplex, incompositum, & nullius scientiæ opus & artificium. Fuisse vero summi cuiusdã ac præstantissimi ingenij & viri, docet idem in Protagora, rationem Vestimentorum & Calceamentorum consuendorum inuenisse. Id quod ex eo postea Tullius quoque Tusculano primo descripsit. Cæterùm postea & artificia, & pretia vestimentis accesserunt, vt monstrat Plinius lib.8. Natur. Hist. cap.48. Sed prima fuerunt simplicissima, qualia ea, quæ cõmemorat Moses à Deo primùm Adamo data fuiße: Denique quemadmodum lingua & idiomate: sic genere ipso vestitus, gentes ipsæ inter se distingui cœpêre, sicut ex Herodoto colligitur, lib.1.2 4.5. Alia enim postea fuit Ionica vestis, alia Dorica, alia Aegyptiaca, alia Persica, alia Carica, alia Thebana, alia Græca, alia Romana: sed primùm omnes vno modo vestiebantur, eóque simplicissimo. Et hæc quidem sunt pulcherrima eius, quam ex Dei verbo tuemur, veritatis vestigia. Verùm vt illa magis magisque adhuc confirmetur, etiam illud ostendamus esse verum, quod diximus, nempe animaliũ carne vsos fuiße homines statim post peccatum, & post primam illam, innocentémque mundi ætatem finitam. Cuius rei quoq; hæc extant apud Ethnicos quoque scriptores vestigia. Primùm, quòd ipsi magno inter se firmoq; consensu hoc tradiderunt, nempe toto Saturni seculo, vel aurea, quã vocant, Mundi ætate (quæ fuit illa innoxia, & peccatũ hominum præcedens ætas) Homines esu carnium abstinuisse. Hic enim Saturnus fuit Adam ille adhuc purus, &*

rus, & nondum peccator. Ergo sub Saturno nulli homines carnem animaliũ comedebant, testibus ipsismet gentilibus seu Ethnicis. Virgilius lib. 2. Georgic.

[Ante etiam sceptrum Dictæi regis, & ante
Impia quàm cæsis gens est epulata iuuencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari classica: necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.] Hæc eadem sententia confirmatur autoritate Platonis, lib. 6 de Leg. vbi docet primos homines etiam sacrificijs cruentis caruisse: & carnium Animalium esu abstinuisse, omnibusq; rebus ἐμψύχοις, .i. animatis: sola verò ἄψυχα, quæ vocat, esitauisse. Ergo primus & naturalis hominum nõdum peccatorum victus erat is, quem describit Moses, & cuius vestigium Ouidius lib. 15. Metamorphos. expressit: Pythagorici autem, sed frustrà, in vsum reuocare etiam post peccatum studuerunt. Sic igitur Ouidius:

[Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora: sunt fruges, sunt deducentia ramos
Pondere poma suo: tumidaque in vitibus vuæ:
Sunt herbæ dulces, sunt quæ mitescere flammâ,
Mollirique queant.]

Deinde fatentur ijdem Ethnici primum hominum victum fuisse, quod ad cibum quidem, fruges terræ, .i. ea quæ terra spõte producebat: quod ad potum autem meram aquam. Id quod tradit Ouidius lib. 1. eiusd. operis. Verùm ante Ouidiũ Euripides, cuius versus Græci extant apud A. Gellium, lib. 7. Noct. Attic. cap. 16. Horum verò ista est sententia:

[Nam quid, præter duo, est opus mortalibus,
Nempe frugibus terræ, ac aquæ potu leui:
Quæ nobis obuia sunt, ac data, vt nos alant?]

Planè cum istis consentiunt quæ vetustissimus Poëta Teleclides scripsit in Amphictyonibus, & refert Athenæus lib. 6. Dipnosoph. tot nempe nostræ veritatis vestigia restant. Demum docent iidem, postquã Pandora malum in mundum inuexisset, & prima illa ætas aurea esse desiisset, homines & sacrificia ex animalium carnibus obtulisse Deo: & ex iisdem carnibus edere quoque cœpisse: quæ omnia cum Mose consentiunt. Nec enim ante peccatum hominis animalia fuerunt oblata Deo: post peccatum autem, fuerunt, & carnes eorum quoque comesa. Quod ipsum dicimus in Ethnicorum quoque scriptis inueniri. Id primùm ex iis Athenionis Poëtæ vetustissimi versib⁹ apparet, qui extãt apud Athenæũ lib. 14. Dipnos. etsi quædam fabulosa, velut in vestigiis veritatis fieri solet, admiscet. Sic igitur Athenion:

[Minimè stultus, vel fatuus vir quidam fuit,
Primus qui hostiam mactauit, & carnem assauit:
Visa tunc fortè est, quàm humana, illa suauior.
Itaq; exinde mactatas pecudes assauerũt, & ederunt homines.] *Id quod, quemadmodũ dixi, statim post auream ætatem seu lapsum hominum in ferrea ætate euenit. Id testificante quoque Germanico Cæsare, cuius hæc sunt carmina:*

[Aurea sed postquam proles terris data, nec iam
Semina virtutis vitiis diuersa resistunt,
Ferrique inuento mens est lætata metallo,
Palluit & Taurus mensas assuetus aratro.]

Idem

Idem Empedocles scripsit hoc versu

Βωμὸν ἐρδόντας μακάρων θερμοῖσι φονοῖσι,

Diuûm aspergentes altaria cæde calenti.

Consentit cum hac sententia quod ex veteri traditione scribit Plinius lib. 7. Natur. hist. cap. 56. Hiperbium Martis Dei filium, item & Prometheum (qui duo fuerunt vetustissimi homines) & animalia, & Bouem (cuius caro editur) occidisse: imò ignem ab eodem Prometheo raptum, & excitatum testatur Hesiodus libro 1. Oper. & Dier. vt bouis à se occisi, & Ioui oblati ac sacrificati carnes concoqueret, & ederet. Sed hæc fabulis obscurata sunt. Eò tamen summa redit, quo nempe tempore animalia Deo mactari ab hominibus in sacrificiũ cœperũt: eodem tempore carnes animaliũ ab hominibus edi cœpisse. Nec enim homines formidarunt, aut nefas putarunt comedere ac vesci ijs ipsis rebus, quas offerebant, ac sacrificabant Deo. Quæ cum Dei verbo conueniunt: ac proinde vera sunt. Nec tamen propterea verum quod refert Diodorus Siculus lib. 1. Bibliothec. cap. 1. & ex eo Plutarchus, Orat. 1. de Esu carnium, Primos homines aurea illa ætate carnibus non vixisse, quòd tunc nihil terra produceret, cœlum suum cursum non conficeret, neq; frugibus ferendis idonea tempestates anni essent distributæ. Itaque tunc durissima, ait, esset, miserrimáque hominum vita. Id quod repugnat cùm ipsi rerum veritati (fuit enim in prima Mundi ætate, & ante hominum peccatum perbeata eorum vita, & fœlicissimus totius huius Mundi status) tùm omnium Philosophorum calculo cõprobatæ diuini Platonis sententiæ in Timæo, quam iam exposuimus. Sed hæc satis.

Ergo ad caput Historiæ septimum, quod est de prima generis humani propagatione, veniamus. Nam sextū, quod continet hominum ēiectionem ex Horto Edenico, superiore disputatione breuiter, & velut per compendium complexi sumus.

Ad VII. Prima Generis Humani Propagatio.

Cæterùm de ista hominum prima Multiplicatione dicturi, & quænam illius apud Ethnicos scriptores vestigia supersint, inuestigaturi, explicaturique, duo quædam omnino necessaria præmittimus, tanquam futuræ disquisitionis lucem ac fundamenta: è quibus primum est sumptum ex Genes. 6.4: nempe Posteros Caini, ac Cainum ipsum (qui ante Diluuium vixerunt) esse potentes illos, industrios, & claros viros qui à seculo, omníque hominum memoria celebres notique fuerunt, & per totum terrarum orbem, etiam post diluuium laude insignes, quique fuerunt præstātissimis nominibus (velut Saturni, Iouis, Mercurij, Vulcani, Dionysij, & similibus) etiam inter Ethnicos ipsos (qui Mosis scripta nō legerant) prædicati, ac rerum gestarum fama celebrati ac cōmendati Postquam enim Moses eos Caini posteros recitasset, addidit, [Isti sunt potentissimi homines, qui à seculo vel olim fuerunt viri nominis,] .i. celebres, & fama noti inter omnes mortales, etiam post ipsorū mortem, atque adeo ipso adhuc Mosis seculo, & quum illa memoriæ literisque proderet. Hoc primum est, ex quo perspicuè intelligitur eos, quos posteritas, & Mosis ætas,

tas,

tas, & ſequens quoq; poſtea ſeculum magnificè celebrauit, coluit, pro ſummis viris, fortiſſimis Herôibus, imò etiam pro Dijs habuit, fuiſſe poſteros Caini, qui Diluuium præceſſerunt. Ii autem ſunt, quos Ethnici, vti monui, dixerunt Saturnos, Ioues, Mercurios, Vulcanos, aliſque eiuſmodi nominibus appellarunt, vt ex eorum ſcriptis apparebit. Illi enim, etſi pro Dijs ab Ethnicis culti ſunt, homines tamen, & quidem mortales fuerunt: ſed qui propter artes egregias à ſe primũ inuentas, immenſáque illa dona in totũ genus humanum à ſe primis collata innotuerant hominibus, & apud poſteros in admiratione fuerant, huiuſmodi appellationibus donati celebratiq; ſunt. Id quod mecum ſentit M. Tullius lib. 1. Tuſculan. Quæſt. & Varro in libris Rerũ Diuin. teſtante Auguſtino lib. 4. Ciuit. Dei, cap. 27. & lib. 6. cap. 6. Sed imprimis id docet verum eſſe idem Varro, eodem lib. 4. Ciuit. Dei, cap. 24. Secundum verò, quod tanquam præmunitionem quandam præmittendum iudico, eſt Nimirũ iſtas ſiue Græcas, ſiue Latinas Κρόνου, Διὸς, Ἑρμοῦ, Ἡφαιστίου, Διονύσου, *.i. Saturni, Iouis, Mercurij, Vulcani, Dionyſi, & ſimilium appellationes multis quidem datas & communicatas fuiſſe (prout videlicet vnaquæq; gens quempiam vel ſuæ originis autorem, vel ſuum benefactorem, vel primum ſibi notum virum ſtrenuum & induſtrium celebrare, & immortalem poſteritati reddere voluit, ſtuduitque) Vnum tamen fuiſſe, cui primùm, & ab antiquiſſimo tempore hoc nomen vel Saturni, vel Iouis, vel Mercurij, &c. impoſitum fuit: ad cuius ſimilitudinem alij (& quidem illi primo & antiquiſſimo longè ætate poſteriores) Saturni, aut Io-*

ues, aut Mercurij, &c. postea fuerint nominati. Quod idem de mulierum Dearum, quæ vocantur, nominibus est sentiendũ. Ergo plures reperientur, qui & diuersis temporibus, & à diuersis gentibus, & [Saturni, & Ioues, & Vulcani] fuerunt vocati: omnes tamen nomen ex admiratione illius (qui primus eo nomine dictus est) sortiti, ac consecuti. Ex quo fit, vt in Ethnicorum libris multos dici Saturnos reperias, multos item Ioues, &c. inter quos tamen vnus est vetustissimus, ex cuius laude & celebritate nomen illud alij sibi desumpserunt, vel impositum habuerunt. Id quod locupletissimè ex Cicerone probatur. Ille enim lib. 3. de Natura Deorũ plures Ioues, & Saturnos, & Mercurios, & Soles, & Vulcanos in diuersis nationibus, varijsq; temporibus recenset. Verùm ex his vnum semper antiquissimum, & cæteris priorem, imò primum omnium sic dictum demonstrat. Confirmat nostram sententiam M. Varro doctissimus (quemadmodũ Augustinus testatur lib. 19. Ciuit. Dei, cap. 22) Romanorum, qui alios Deos, ac proinde Saturnos, & Mercurios, & Ioues Politicos: alios Naturales: alios Fabulosos seu Poëticos, in libris Rerum Diuin. scripsit. Confirmat Diodorus Siculus, qui lib. 1 Biblioth. cap. 2, & lib. 5. cap. 1. eiusdẽ operis ostendit alios fuisse Aegyptiorum Ioues, Mercurios, Vulcanos, quales Osiris, Orus, Tiphæus: alios verò Græcorũ. Confirmat Eusebius lib. 1. de Præparat. Euang. cap. 7, & lib. 2. cap. 2. 3. 4. & 5. Vbi ex vetustissimorum scriptorum profanorum monumentis probat in vnaquáque gente, velut Phœnicum, Atlãticorum, Phrygum (præter Aegyptios & Græcos) Cretensium, suos Ioues fuisse, Satur-

Saturnos, &c. Confirmat denique idem hoc autor grauissimus Arnobius lib 4. contra Gentiles. Quid enim Xenophontem in Aequiuocis, quæ inscribűtur: & frat. Ioannem Viterb. suffraganeos mihi asciscam, qui licèt à nonnullis reijciantur, verum tamen in eo, quod iam dico, sentiunt? Ex quibus efficitur, nemini mirum videri debere si quadã hîc ad Saturnum, & Iouem, & similes accõmodemus, qui non omnibus ijs, qui [Saturni, Ioues, vel Mercurij] &c. dicti sunt, cõueniunt. Nos enim hîc de primis illis dicturi sumus, qui [Ioues, & Saturni] &c. vocati sunt, quiq; sunt celebres & potentes illi viri, qui à seculo, .i. statim ab ipso Mundi initio fuerűt viri commendati posteris, & fama semper postea celebrati, (quemadmodum testatur Moses, etiam post diluuium, etsi ante diluuium illi vixerunt) inter Ethnicos, & in vniuerso terrarum Orbe. M.T. Cicero in lib. de Leg. ait quosdã Deos semper pro Dijs habitos fuisse ex infinita quadam hominum memoria: alios verò fuisse Adscriptitios, quos in cœlum merita in vnamquamq; gentem vocarunt. Id quod etiam Augustinus obseruauit, lib. 8. cap. 5. Ciuit. Dei. Nam vt ait Pausanias lib. 8. Dij postea sapè sunt ex hominibus nati. Plato in Apologia Socratis. Sed his expositis iam doceamus, ecquæ sunt veræ & primæ hominum seu generis humani propagationis (qualem describit Moses) vestigia seu reliquiæ. Ait igitur ille Primum fuisse Adamum & Euã: ex quibus natus sit primogenitus Cainus: pòst Abelus. Sed ex Abele nulli posteri fuerunt superstites. Caino verò plures nati sunt tum filij, tum nepotes, tű abnepotes & posteri, viri insignes, celebres, & industrij numero

O

decem, si Noemam filiã Tubalcaini his annumeres, vt Moses fecit. Quòd si his decem, Adamum & Euam addideris, fient omnes numero duodecim, qui proculdubio sunt duodecim illi Dij antiquissimi, & maiorũ gentium Dij ab Ethnicis appellati: inter quos duæ sunt fœminæ nimirum Eua & Noema, id est Rhea, siue Terra, mater Deorum omnium, & Venus. Decem autem sunt mares, nẽpe reliqui, Adamus, Cainus, Lamechus, Iabal, Iubal, Tubalcain, & cæteri, quos recitat Moses ibidem: Id est, Saturnus, Iupiter, Mercurius, Apollo, & Vulcanus, quemadmodum ab Ethnicis nominantur. Ijdem isti sunt, quos profana antiquitas deos Samothracũ, deos Cabiros, .i. deos vocat arcanos, & cæteris (qui postea in deorum numerum collocati sunt) augustiores habitos. Et quidẽ hæc in genere dicta sunto. Iam quædam sunt specialiter declaranda: vt vera esse, etiam ex ipsismet Ethnicorũ monumentis, intelligantur, quæ scribit Moses. Dico igitur Adamũ Mosis, esse eum ipsum, quem posteritas verbi Dei ignara & contemptrix Latinè quidem vocauit Saturnum, Græcè verò Κρόνον. Veterem, non nouum Cainum Mosis, esse antiquissimum Ethnicorũ Latinorũ Iouem, Græcorum Ζῆνα, vel Δία, non autem recentem quendam, aut vnius duntaxat gentis cognominem Iouem. Saturnum igitur hunc, qui primus Orbi innotuit, esse Adamũ, etiã testibus Ethnicis, ex his colligas, quòd Saturnus iste dicitur Saturnus, à voce linguæ Hebrææ, quæ primùm omnibus mortalibus communis fuit. Vox autem illa est verbum [Satar,] quod latitare, seu occultare significat. Fuit autem hoc nomen vestigium fugæ & latitationis à Deo, quam molitus

litus est Adamus post suum peccatum, vt est Gen. 3. 8. Nonnulli verò malunt Saturnum à Satione dictũ, quoniam, vt scribit Arnobius ex Ethnicorũ arcanis lib. 4. Sationibus praerat. Quod etsi verum fuit, tamen Saturnus à Satione deriuari non potest, quum in Saturno [Sa] syllaba sit lõga: in satione verò breuis. Saturnus, aiũt alij, dictus est, quòd sationibus inter Ethnicos praerat, vtpote qui primũ rerum serendarum, terræq; excolendæ, & agriculturæ rationem inuenisset, caterósque docuisset. Quod de vno Adamo verè dici potest Gen. 3. 17, & 23. Nam fuit primus in Mundo agricola, & Sator rerum & hominum. Quòd Saturnus cœli ipsius filius, vtpote ex nullo superiore homine genitus, dicitur creditúrque ab Ethnicis, Cicero lib. 3. de Nat. Deor. Adamus autem Dei filius vocatur, Luc. 3. 38. quoniam à Deo immediatè creatus est, non ex alio homine natus, nónne nostræ veritatis vestigia sunt? Quòd Saturnus nominatur Κρόνος, vt ait Plato in Cratylo, velut χρόνος, i. æternus, & ab omni huius mundi æuo existens: (est enim Adamus coæuus & contemporaneus Mundo ratione ortus sui.) Quòd sub solo Saturno seculum aureum, ac primam Mundi ætatem fuisse consentiunt omnes Ethnici, nónne hæc proculdubio demonstrant hunc Saturnum fuisse verũ Adamum, sub quo tum ætas prima Mundi, tum aurea fuit, vt diximus, ante illius peccatum? Quòd Saturnus primus in orbe terrarum imperium tenuit, nonne idem fecit primus Adamus, tum iure Creationis, tum priuilegio ætatis, quum esset omniũ hominũ primus Parens? Quòd Saturnus fuit maritus Rheæ seu Cybeles, quæ eadem mater Deorũ, id est, ho-

minum (qui primi ingenio & industria præstantes fuerunt) dicitur. Imò eadem & Pãdora quoq; nominatur, vt ait Diodorus Sicul. lib. 4. cap. 5. Biblioth. & mater Iouis, vt scribit Euseb. lib. 2. cap. 3. Præparat. Euãgel. quæ mala omnia in Mundũ, vt docuimus, inuexit: nónne pro nobis ista faciunt? Est enim hæc Rhea seu Pandora Eua vxor Adami primi hominis. Denique quod Saturno veteres Ethnici aperto capite, quemadmodum tradit Plutarchus in Rom. Quæst. 11. sacrificabant, nostram veritatem cõfirmat, vt veraci, & cæteris sanctiori Deo. Fuit enim Adamus Caino filio, eiusq; posteris lõgè religiosior, ac sanctior. Et hæc quidem ex Ethnicorum monumentis descripta declarãt eundem fuisse veterem illum eorum Saturnum, & Adamum nostrum primum hominem: quæ proculdubio sunt illustria, & optima nostræ veritatis vestigia, quemadmodum apud eosdem extant. Cæterùm, plura quoque vestigia sunt, maioráque ea, ex quibus probatur vetustissimũ seu antiquissimum Ethnicorũ Iouem fuisse eum ipsum, quem S. Scriptura vocat Cainum, veluti, quòd Iuppiter ille, vt scribit Plato in Euthydemo, cognominatur ἑρκεῖος, καὶ φράτειος, Septorum, vrbium, & tribuum, consociationisque hominũ præses. Vt autem tradit Pausanias lib. 1. etiam πολιεὺς, quòd vrbium curam habeat. Quæ planè cõueniunt Caino primi Adami filio, quia primus (vt ait S. Scriptura) vrbes condidit, societatémque hominum in vnum locum congregauit. Sed & idem Iuppiter dicitur [Sabatsius,] vel, vt Græci homines pronuntiant [Sabazius,] quemadmodum ex ipsorummet profanorũ literis ostendit Clemens in Protreptico. Eusebius

ſebius lib.4.de Præparat. Euangel. & Arnobius cõtra Gentes, lib.5. Eſt autem Sabaſius vel Sabazius Iuppiter, Tremens, Trepidus, à nomine Hebræo [Sabats] quod tremorem & infirmitatem (quæ accidit ob gladij percuſſionem) ſignificat. Quid autem melius Cainum demonſtrare poteſt, qui propter occiſum fratrem toto vitæ tempore & Trepidus, & Pallens fuit? Quod autem ad nomen Ζεὺς attinet, quo nominatur à Græcis: à Pythagora verò vetuſtiſſimo Philoſopho, Ζάν, vt ſcribit ex Porphyrio Cyrillus lib.20.contra Iulian. ſect.4. videtur ea vox ex voce Cain malè & ſono peregrino pronuntiata fluxiſſe: vel ſaltem ex imitatione Adami vocantis vxorem ſuam Chaua, .i. Vitam, & futuræ propagationis generis humani fontem, fuiſſe nomen Ζεὺς impoſitũ huic homini à ſuis poſteris in ipſius velut autoris ſui honorem & commendationem? Ac quidem facile fuit ex Cain Chaua facere peregrinis hominibus id eſt, non Hebræis. Chaua autem idem eſt atque Ζεὺς, & ζωὴ, id eſt, Vita, & vitæ ſeu viuendi principiũ dans alijs. Ergo vt grata Caini poſteritas teſtaretur futuris ſeculis hunc originis ſuæ parentem Cainum eſſe eum, à quo poſt Saturnum, primumque hominem, ſatum eſſet genus humanum, Ζῆνα eum vocauit, quod idem eſt atq́ Chaua. Et certè hoc verũ eſt. Nam ex duobus Adami liberis (nimirum Abele & Caino) Abele ſine liberis vllis mortuo ſeu interempto, ſolus Cain extitit, ſuperſteſque manſit, à quo genus humanũ poſtea propagaretur. Itaque fuit Cainus ſeu Chaua, ſeu Ζεὺς, id eſt, viuentiũ Pater. Quanquã alij malunt vocabulum Ζεὺς, pro Δεὺς (à quo poſtea fit genitiuus Διὸς,) ſubſtitutum eſſe facili

vsitatáque harum literarum ζ, in δ, contráque commutatione, quemadmodum in Cratylo scribit Plato. Δεὺς autem vel à rigando, vt vult Phornutus in lib. de nominibus Deorum, dicitur, quòd omnia irriget: vel vt alij (quorũ verior est sententia) à metu, quòd hic Iuppiter & homo metũ sui omnibus incusserit, ne quisquã eum attingeret: quod Caino optimè cõuenit, vt est, Gen. 4.15. Plato tamen in Cratylo putat in declinatione huius vocis anomala (quum dicatur N. ζεὺς, G. διὸς) contineri hanc sententiã, hunc hominem esse generis humani stirpem, δι' ὃν ἄλλοι ζῶσι, nempe per quem, & ex quo reliqui mortales propagati sunt, & viuunt. Et hæc quidem de nomine ζεὺς, ex ipsorum Ethnicorũ scriptis prolata satis ostẽdunt Iouem hunc eorum antiquissimũ esse Cainum Mosis. Verùm quoniã ea res ad damnandam Idololatriam pertinet, eiúsque originem explicãdam (vt intelligatur eos omnes, quos Ethnici & Idololatræ pro dijs primos & communiter coluerunt, fuisse mortales homines, atque adeo ex impura Caini stirpe: Alios enim peculiares Deos & Ioues & Saturnos, & primorum illorũ nomine dictos, quos quæq; gens posteà sibi asciuit) huius meæ sententiæ aliquot alias rationes addam præterea, quò sit cõfirmatior, veriórque censeatur: Eæ verò sumuntur ex comparatione tum personæ, tum rerum, quæ à Caino, & ab isto antiquo Ioue gestæ dicuntur ab ipsismet Ethnicis, & imprimis Poëtis. Nam vt lib 1. cap. 11. ait Lactantius, [Vera sunt quæ loquuntur Poëtæ: sed obtentu aliquo, speciéque velata] Ergo fabulas veritati admiscuerunt Ethnici Poëtæ impulsi Spiritu Satanæ, partim vt veritas rerum, verbiq;

Diuini

Diuini certitudo nutare, & obliteraretur, partim, vt his fallacijs, & deorum suorum exemplis redderentur homines ad omne scelus & flagitiũ audaciores, vti Lactantius docet lib.2.cap.15. & ex eo Augustin.lib. 2.Ciuit.Dei.cap.22. Verùm ad cõparationem Caini, & veteris illius Iouis Ethnicorum, veniamus. Cainus fuit primogenitus Adami: Iuppiter ille primogenitus Saturni illius antiquissimi, quem fuisse Adamũ antea declarauimus. Cainus patrem suum Adamum spe successionis, praterquàm ex seipso, priuauit, dum Abelem fratrem suum occidit: Iuppiter ille Saturnum patrem castrasse, Titanas expulisse dicitur, ne quis alius, prater se vnum, illi succederet. Quod Plato in Eutyphrone Dialogo commemorat. Vnde Iuppiter iste & ἀλάςωρ, & παλαμναῖος, id est, homo sanguinarius dictus est, vt tradit Lactant.ex ipsis Ethnicis lib.1. Cainus secundus fuit, qui tum propter atatem, tum propter autoritatem, Orbis huius totius princeps habitus est. Adamus autem primus fuit: Iuppiter ille secundus dicitur toti mundo imperasse patre suo Saturno expulso. Cainus fuit primus in Orbe homicida, & propterea à Patre Adamo exul, & in Oriente sedes habuit: Iuppiter ille primus homicida, malorũ & scelerum publicè perpetrandorũ reliquis mortalibus autor, quiq; propterea vt scribit Arnobius, ex Ethnicis homicidio colebatur: & vt tradit Lactant.lib.1.cap.28. Cicero libr.3. de Nat.Deor. in Oriente habuit imperium. Cainus primus sacrificasse Deo commemoratur, & propterea Abelem fratrem occidisse: Iuppiter ille dicitur primus cœlo sacrificium fecisse, Lactant.lib.1. & propterea

Prometheo germano & consanguineo suo iratus, eum Caucaso clauis affixisse, & feris dilaniandū exposuisse. Cainus liberos & nepotes habuit, qui fuerunt Artium inuentores: Iuppiter ille plures liberos, & Higginus cap. 155. & Diodorus Siculus lib. 1. cap. 2. asserunt, qui Artes mortalibus repererunt, velut Mercurium, qui pastionem: Apollinem, qui Musicam: Vulcanū, qui artem ferrariā inuenit. In Caini familia primùm veri Dei nomen blasphemari cœpit, & ipsius cultus deprauari: Ab isto Ioue tradunt Ethnici primùm ritus voluntarij Dei cultus, id est, idololatriæ inuentos, eundemque postea pro Deo cultum ibi esse, Lactant. lib. 1. cap. 22. vbi & postquam fuisset sepultus. Nam vt & Clemens Alexandrinus, & Cyrillus lib. 10. contra Iulian. & Augustin. lib. 18. Ciuit. Dei, cap. 3. ibi primùm fuerunt falsorum deorum templa, vbi eorum sepulcra cernebantur. Id quod in impurissimo illo Mahumete, & illius, quæ dicitur Mecha, verum apparet. Primus Phlegous Ioui diuinos honores tribuit, quicunq; ille sit ex posteris Caini, vt ait Augustinus. Sepulcrum autem Iouis istius non est in Creta insula, sed in Oriente. Nam Iouis Cretensis, & lōgè isto Ioue posterioris (quem Euhemerus, & ex eo Ennius descripsit, vt ait Lactantius lib. 1.) ætas, vita, res gestæ, & sepulcrum est in Creta: sed non huius antiquissimi Iouis. Cainus denique sororem vxorē habuit, quā Philo Iudæus vocat Themech: Iuppiter ipse sororem vxorem habuit, quam alij Themen esse volunt, alij Iunonem. Illud verò etiā cum Dei verbo planè consentit, quod Trismegistus scribit in Pimandro, Hominem, postquam peccasset, & in seipso ac-

quie-

quieuisset, desiisse procreare liberos ad Dei imaginem. Et hæc quidem satis sunt de hoc historiæ capite, satisq́; ostendunt inter Ethnicos rei quidem ipsius veritatem mansisse: nomina verò solùm, magno astu Satanæ, immutata tandem fuisse. Ergo ad reliqua pergamus.

Ad VIII. Artes Primæ hominum, & quæ postea repertæ.

Sequitur Artium, quæ inter mortales primæ repertæ sunt, vsumque habuerunt, enumeratio. Has autem in vniuersum quatuor recenset Moses, nempe primam, Agriculturā: Secundam, Pastoritiā artem, cui magna postea incrementa accesserint, additaq́; fuerint per Iabalem filium Lamechi: Tertiam, Musicam organicā, quæ vocatur: Quartam, Aerariam, & Ferrariā artem. Sed quæ huius veritatis vestigia supersint inter Ethnicos, videamus. Multi quidem de harū, quas iam commemoraui, & aliarum quoque artium inuentione, multa tradiderunt, vti Plinius lib. 7. Nat. Hist. cap. 56. Ante Plinium Aristoteles, & varij varijs in locis: post Plinium Solinus: post Solinum etiam longo postea tempore Polydorus Virgilius. Sed hi omnes in recentioribus autoribus penè substiterunt, nimirum ijs, qui à primis (quos Moses nominat) vel immediatè, vel longa etiam annorum serie per posteros eas artes didicerant, quas postea vnicuidam dūtaxat genti communicarunt, veluti Græcis, vel Aegyptijs: non autem eas toti terrarum Orbi primi tradiderunt, quod fecerunt ij, quos recitat S. Scriptura. Verùm nos non quærimus qui primi

mortales Græcos, vel Gallos solùm eas artes docuerunt (est enim hæc omnino recens historia) sed qui toti ipsi generi humano eas inuenerunt primi. Hos autem designat, & nominat Moses. Ergo huius veritatis, vti dixi, quæ sunt apud Ethnicos reliqua vestigia scrutemur, & ex eorum scriptis inuestigemus. Artium quidem fit ab ijs varia distributio, vt quæ primæ ab hominibus repertæ & exercitæ fuerint, demonstrent. Plato in Sophista vult Artium in vniuersum esse duo genera: Aut enim in quærẽda possidendáve re aliqua necessaria versatur hominum ars & industria, & κτητικὴ nominatur: aut in eadem efficienda & producenda, quæ ποιητικὴ ab eodẽ vocatur. In Philebo Artes aliter distribuit: Vult enim eas aut esse ἐπιστήμας δημιουργικὰς, aut circa παιδείαν & τροφὴν hominum versari. Idem in Politico aliter quoque. Sed tandem eò res redit, vt eas artes primùm ab hominibus (Dei munere & concessione) repertas sentiat, quibus res ad hanc vitam necessariæ quæruntur, qualis est victus, & cultus. Itaque idem in Politico totidem verbis, & consentienter Sacræ Scripturæ scribit, [Quæ verò de hominibus contigerunt (post peccatum in Deum) & breuiora sunt, & magis instituto nostro conueniunt. Quum eius enim Dæmonis (.i. Dei) cuius veluti pastoris & domini præsidio homines tenebantur, prouidentia destituti: & animalia multa (quæ suapte naturâ immania fuerant) efferata iterum essent, infirmi homines & custodia orbati ab illis beluis passim dilaniabantur. Atqui tellus haud vltra victum sponte suppeditabat: parandi verò industriâ nondũ inuentâ, quia nulla necessitas illos antè coegerat. Propter has caussas,

in sum-

in summum discrimen, atque penuriam illorum redactæ res sunt. Quocirca dona illa, quæ olim à Dijs tributa hominibus commemorantur, ob necessariã disciplinam, & institutionem data fuerunt. A Prometheo quidem, ignis: Artes autem à Vulcano, ipsiúsque coniuge, eiusdẽ artis socia: Semina quoq; & terræ cultus ab alijs. Omnia summatim vitæ hominum adminicula tunc, deorum beneficio, sunt cõparata, quum homines (propter ipsorũ intemperiem, vt docuit Plato) deorum prouidentia deseruisset, & iam ipsos oporteret sui & alẽdi, & propagandi curam gerere.] Hæc vir ille penè Moïsans, & Christianizans. Ex quibus hæc tria manifestè colliguntur: Primum eos, qui primi artes humano generi necessarias pepererunt, pro dijs, & quidem primis & vetustissimis, habitos. Secundum, Eas artes priùs inuentas, quæ ad nos alendos, & tuendos omnino sunt necessariæ, qualis est proculdubio Agricultura, & Pastoritia. Eæ enim duæ imprimis alimenta nobis præbent. Tertium, Inuentas esse eas artes demum quidem postquam Deus homines propter eorum intemperiem abiecisset, .i. post peccatum hominis: statim autem postquam homines se desertos & destitutos prioribus illis in se Dei beneficijs agnouerunt, & senserunt. Necessitas enim seu egestas artes inuenit, vt rectè ait Publius Maro:

--- [Labor omnia vincit
Improbus, & duris vrgens in rebus egestas.]

Et ex eo Manilius:

[Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemq;
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo.]

Quamobrem ex Platonis Ethnici sententia, Primi.

ab hominibus artes sunt inuentæ, quũ propter peccatum suum quærere victum labore, atque sudore vultus sui cogerentur, & a Deo damnati essent. Deinde, Eæ primùm artes repertæ, quæ victum illum subministrarẽt, .i. cibos corpori alendo necessarios: quales sunt fruges terræ, & frumenta, ex quibus panis fit: fructus mansueti, non autem agrestes arborum: & Carnes beluarum edulium. Ab hac eadem sententia non procul dissidet Aristoteles. Nam lib. 1. Politicor. cap. 5. postquam partitus est omnem victus quærẽdi curam & ἐπιμέλειαν in κτῆσιν & χρηματιστικήν, *id est, in rationem eam, qua per se victus comparatur, vel lucrum quæritur, ex quo postea contrahendo cõmutandóve cibos quærimus, ostendit eas artes (quibus victus per se & naturaliter quæritur, habetúrve) esse & primas & naturales, & priùs in vsu inter homines fuisse, inter quas Agriculturam, & Pastoritiam artem imprimis idem Aristoteles recenset. Est enim, vt ait Plato in Eutyphrone, Agriculturæ præcipuum opus* ἡ ἐκ τῆς γῆς τροφὴ, *vt è terra alimentum, victúmque præbeat. Vult quidem Aristoteles huius artis, per quã naturaliter victus paratur, esse quinq; species, nempe* Νομαδικὸν, Γεωργικὸν, Ληστρικὸν, Ἁλιευτικὸν, Θηρευτικὸν, *Pastoritiam artem, Agriculturam, Prædatoriam, Piscatoriam, & Venatoriam: è quibus Prædatoriam quidem etiam laudat, & Venatoriã præfert cæteris quatuor vitæ generibus, quoniam sit copiosior, & latiùs se extendat, quàm reliqua (Est enim & in paludibus, & lacubus, & fluuijs, & mari, & syluis, & mõtibus, locis apertis, & tectis, deniq; vbiq; mari & terra & in aëre quoque venari possumus.) Verùm Agriculturam,*

turam, & Pastoritiam inter primas artes enumerat. Et hactenus quidem ille cum ipsa veritate consentit, quatenus vsum agriculturæ, vt ex ea victus habeatur, & naturalem & primo tempore repertum esse confitetur. In reliquis ecqua sit Ethnicorum hominum cum Mose cõcordia, perpendamus. Agriculturã facit Moses & primam omnium inuentam ac exercitam, & ab Adamo primo homine. Quid Ethnici? Varro lib.1. cap.4. de Re Rust. scribit Agriculturæ eadem fuisse initia, quæ Mundi ipsius. Quamobrem antiquissima sit oportet. Et quod idem scribit cap.2. Pastoritiam vitã esse incentiuam, Agricolarum verò succentiuam, quòd homines primis temporibus Pastoritiã vitam agerent, quum neque scirent arare terrã, aut serere arbores, aut putare. Ergo ab his postea susceptam Agriculturam, quòd homines, vt ait idem lib.2. cap.1. viuerent primũ ex his rebus, quas inuiolata ferro vltro ferret terra: ex hac vita descendisse homines in secundam, nempe in Agriculturam: quum, inquam, hæc scribit Varro, non ex sua, sed ex Dicæarchi, & Aristotelis Stagyritæ sententia loquitur. Atqui Aristoteles ipse Agriculturam eo, quem citaui, libro.1. Politic. cap.5. Primam recenset, licèt, vt inconstãs, postea variet. Deinde rerum natura hãc Aristotelis de nata posteriùs Agricultura sententiam planè refutat. Nam priùs est, sempérque fuit, vesci pane (quẽ agricultura subministrat) quàm carne animalium (quã Pastoritia præbet.) Ergo Agricultura naturâ prior est, quàm Pastoritia. De Agricultura verò primo Inuentore acerba & vexata est inter ipsos Ethnicos digladiatio, quoniam à Mose recesserunt: &

particulares eius artis apud quasdam duntaxat gentes monstratores (qui longis seculis fuerunt Adamo primo eius parente posteriores) pro primo tamen sumūt. Ergo eorum alij aiūt Cererem esse terræ frugum inuentricem, sed Græcis. Itaque vt ait ex Platone in Cratylo Cicero lib. 3. de Nat. Deor. dictam Cererem Δημητῆρα, quasi γῆν μητῆρα, quòd eos docuerit alimenta ex terra colligere. Quo verò primùm tempore hoc beneficium ab Adamo ipso, Adamíque posteris longè anteà Mundo communicatum, illa Græcis hominibus cōtulerit, tradit Augustinus lib. 18. Ciuit. Dei, cap. 6. nempe regnante Argo in Peloponneso (qui ex Aegypto eò, vti & Ceres illa, venerat) postquam primi posteri Adami, imò & Noachi, iam per totum terrarum orbem sparsi fuissēt. Alij malunt à Triptolemo Rege Atheniensium terræ colēdæ præcepta primùm tradita, sed Græcis, quemadmodum dixi. Sic Palæphatus, & Pausanias lib. 1. Alij à Brige quodam Atheniensi malunt, velut Plin. lib. 7. cap. 56. Alij ab Osiride Aegyptio, sicut Plutarchus in Osiride. Alij denique (& hi omnino veriùs) ab antiquissimo illo Saturno, qui idem est atq; Adamus. Itaque cum falce, qua fruges maturæ metuntur, solet à veteribus Saturnus ille vetus pingi. Certè vetustissimum inter mortales fuisse hoc vitæ genus omnes fatētur, maximeq; naturale & necessarium, quo vita humana post peccatum omnino carere non potuit. Inde illius laudes passim & ab Oratoribus, vti M. Tul. Cicerone lib. De Senectute: & à Poëtis, velut à Virgilio lib. 2 Georgic. & ab alijs scriptoribus, quemadmodum à Varrone lib. 1. De re rustica: Columella lib. 1: Plinio, lib. 18. Nat.

Hist.

Hist.cap.5.& 6. decantata:&,vt ait Pollux lib.9.in honorem Agricultura, Ninus ipse Rex Assyriorum filium sibi in agris natum Agronem vocauit. Porrò Agricultura nomine plures artes continentur,velut Hortensis,&arbores plantandi,putãdi,& serendi,similesq; ijs omnes aliæ:etiã mellifica ars, .i.mel ex apibus colligendi,quemadmodum vult Plato lib.8.de Leg.& in Eutyphrone:& Plinius lib.18.cap.26.

PASTORITIA ars sequitur,ordine secunda,quicquid & Aristoteles & Dicaarchus contrà senserint. Perperam enim & contra ipsam rerum naturã putant prius homines carnem, quàm panem,ad viuendum quæsiuisse, quum vita humana post peccatum illâ carere possit,hoc non possit.Imo verò vsque adeo necessarius est panis,vt eius nomine reliqua huius vitæ alimenta comprehendãtur, quæ sunt solùm velut quædam panis condimenta & accessiones. Præterea primus homo Adamus addictus à Deo fuit post rebellionem, præsertim ad colẽdam terram,vnde desumptus fuerat, non ad pascendos animalium greges. Id quod tamen ex peccato fluxit. Illud verò eiusdem Aristotelis lib.1. Politic.cap.5.falsissimum, [Pigerrimi hominum fuerunt, ait, qui primi pastoralem vitam secuti sunt,quoniam à mansuetis animalibus victus ipsis proueniebat otiosis.] Imo verò laboriosissimum esse, semperq; fuisse hoc vitæ genus apparet ex ipsis eiusdẽ,quæ illic sequũtur,verbis hisce, [Quùmque,ait,sit necesse mutare locum animalibus, & ipsi Pastores coguntur vnâ sequi, quasi agriculturam quandam viuam sequentes.] Nam quid laboriosius est, & minus otiosum, quàm perpetuò

vagū esse, sequi pecora, pascere ea, curare, sanare, tractare, distinguere, ablactare? adeo vt M. Varro lib. 2. De re rustica Pastionem infinitis penè partibus cōstare & dicat, & sentiat: quum tamen Agricultura paucis omnino contineatur, vt idem lib. 1. eiusdem operis docet. Ergo quemadmodū Agricultura, sic & Pastura fuit ars victus naturaliter quærendi: sed hæc posteriùs & vsurpata & nota, quàm Agricultura. Itaque secunda fuit. Cui veritati assentiens Plato lib. 8. de Leg. priùs de Agricolis, quàm de Pastoribus leges ferens, nimirū ordinem naturæ, & inuentionis harum artium secutus. Nomine vero Pastoralis vitæ seu pasturæ, præcipuè pastionem animalium cicurum & mansuetorum hîc intelligimus, quanquā alij postea Venatoriam artem huic subiecerunt, quæ tamen demum post diluuium videtur & vsitata & exercita, & primùm quidē à Nembroto, Gen. 14. 9. Etsi verò Pastoritia ars posteriùs, quàm Agricultura, inuenta est, vberiùs tamen, & diligentiùs postea fuit exculta, quàm agricultura, maioráque ab hominum industria incrementa accepit. Nam Iabel Lamechi filius (qui fuit ex posteris Caini) Pastionem hanc mirificè auxit. Cuius rei & facti exemplum secuti sunt homines alij postea, retinuerúntque. Ille enim Iabel primus pecoris multiplicis, & copiosi, quod habebat, pascendi gratiâ vitæ genus à maioribus suis diuersum instituit. Quū enim illi, exemplo patris Caini, in vrbibus & oppidis habitarent, seque continerent: iste primus, sequēdi pascendiq; pecoris gratiâ, tabernacula in agris & syluis habuit, & tentoria, quæ prout pecora ipsa progrederentur, aliò trāsferret, eóque ipse migraret.

ret. Quod vitæ ac hominum genus à Græcis Νομάδες appellatur. Hinc igitur Nomadum genus exortum, quod per totum Orbem postea innotuit sparsumq́; est: tamen à primo illo Iabele cœpit. Nulla est enim Orbis terrarum pars, in qua aliqui Νομάδες & pecuarij eiusmodi iã non sint. Ratio autem est duplex, Huius vitæ nempe necessitas, & vtilitas, quæ ex eo vitæ genere promanat. Ac necessitas quidem, vt pecora, quorum carnibus, lacte sero, caseo, pinguedine vescimur; conseruentur. Vtilitas autem, quòd magnus, imò vberrimus quæstus ex hac pastione prouenit. Nam, vt vult Plinius lib. 7. cap. 56. ex ea lanificia etiam Aegyptij inuenere postea, & vestimentorum parandorum rationem. Ergo rectè Aristoteles loco iam citato, [Animalia hominũ caussa facta sunt (ait) mansueta quidem propter vtilitatem & cibum: fera verò (etsi non omnia, sed pleraq;) propter cibum, & alia adiumenta, vt est vestis, & cætera instrumenta.)] Et Plinius lib. 18. cap 3: [Pascua, inquit, diu sola inter homines vectigalia fuerunt.] Varro in lib. de ling. Latin. Pecuniam (in qua positæ sunt diuitiæ) à pecude dictam scribit quòd olim soli diuites ij essent, qui pecudes pascerent. Vnde præclarissimarum inter Romanos & vetustissimarum familiarũ cognomina, ait idem lib. 2. De re rust. cap. 1. deriuantur, velut à minore pecore Porcius, Ouinius Caprilius, à maiore, Equitius, Taurus, Vitulus. Ceterùm per totum terrarum orbem dispersos fuisse Pecuarios huiusmodi & Nomadas apparet Erant enim Nomades inter Iudæos & Israëlitas Rechabitæ, Hierem. 35. 2, 2. Reg. 10. 18: Inter Scythas ij, qui Hamaxobij diceban-

tur, tum Europaeos, tum Asiaticos, Plin. lib. 4 cap. 12 Afri, Nomades, Arabici, Euphratai, Indi, Parthi, Thraces, Oenotrij, vt & idem Plinius, & Plutarchus, & ante eos Virgilius, & Herodot. lib. 4, & 7. testatur. Sed & Pomponius Mela lib. 3. de Situ Orbis. [Nomades autem, inquit Plinius lib. 5. cap. 3. dicuntur à permutandis papilionibus, mapalia sua, id est, domos plaustris circunferentes.] Virgilius lib. 3. Georgic.

[Quid tibi pastores Libyae, quid pascua versu
Prosequar, & raris habitata mapalia tectis?
Saepè diem, noctémque & totum ex ordine mensem
Pascitur, itq; pecus longa in deserta sine vllis
Hospitijs, tantum campi iacet. Omnia secum
Armentarius Afer agit, tectúmque, Larémque,
Armaq; Amyclaeumq; canem, Cressamq; pharetrā.]

Athenaeus lib. 11. Dipnosoph. ait, [Libycis Nomadibus (sed & alijs quoq;) nihil aliud in bonis est, quàm poculum, gladius, Aqualis: Mapalia verò ex Asphodelo ijs construuntur angusta, vmbrae tantùm capiendae gratiâ, quae, quocunq; ierint, circunferunt secum.] Viuunt autem tum ferina, tum carne mãsuetorum animalium, vt Boum & ouium & caprarum, eorumq; lacte, caseo, sero lactis ouis, & alijs similibus. Et haec quidem de Pastoritia arte, & eius incrementis.

TERTIA Ars in Mundo reperta fuit Musica, eáq; organica, quam Iubal filius Lemechi ante diluuium inuenit. Haec autem veritas etiã apud homines Ethnicos ex parte mãsit, eiusque vestigia non pauca in eorundem libris extant. Ac primùm Plato in Politico Musicam quinto loco cõstituit inter eas artes, quae primae sunt

ma sunt ab hominibus excogitata: quod non abest longè à nostra veritate. Itaque falsa est, & meritò irrisa illa Iuliani Apostatæ sententia a Cyrillo lib. 5 contra eum, qui scripsit Musicam primùm à Græcis repertam, & demum post Astrologiam & Geometriam iam notas, quasi Musica postrema ab hominibus reperta esset. Est quidem illud verũ. quod diuinus Plato in Phædro tradit, Hominum genus extitisse ante Musas natas: sed tamen artis Musicæ inuentum ex omnium consensu est antiquissimum. Nam Musas (quod perinde erat, atque si Musicam dicerent) cœli filias esse dixerunt, vt cõmemorat Pausanias lib 9. Cœli autem filij dicebãtur vetustissima quæque inter Ethnicos. Ergo, inquit Plato eodem illo Dial. (qui Phædrus appellatur) prisci mortales sic Musica delectati sunt, vt cibum, dum eã audirẽt, capere negligerent. Vnde Horat. lib. de re poëtica:

[Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda.
Ducere quò vellet, fuit hæc sapientia primùm.]

Et M.T.Cicero Tuscul. 1. idem sentit. Per Musicæ igitur artis studiũ primos homines excultos fuisse omnes Historici fatentur. Duplici enim disciplina, vt idem Plato lib. 7. de Leg. & ex eo Aristoteles lib. 8. Politic. scribit, vetustissima hominũ ætas vtebatur. Ad corpus quidem exercendum, arte Gymnastica: ad animum autem expoliendũ, arte Musica. Ex quo fit vt Plato lib. 3. de Rep. præcipiat, vt ipsi adeo ciuitatis Principes, eorùmque filij diligenter in Musica instituantur, ex cuius immutatione innumerabilia mala & pericula cuiq; ciuitati idem censet accidere, lib. 4. eiusdem operis De

republ. tanti nimirum momenti, támque vetusta ea ars ab Ethnicis iudicata est. Quod cum S. Historia concordat. Caterùm & à quo Musicam iidem illi Ethnici repertam fuisse velint, & ecquã primum eius speciem, videndũ est. Ac quidem de prima illius inuentione nequaquam inter eos cõstat. Quum enim vnaquaq; gens ambitiosè tam excellẽtis artis inuentum sibi vendicare vellet, plures illius autores esse dixerunt: De primo autẽ illo excellentiq; viro, qui eam mortales docuerat, non quasierunt. Ergo Graci contendunt Amphiona suum primum illius repertorem fuisse, vt & Plinius lib.9, & Plutarchus in libro de Musica cõmemorant. Thraces autem id potius tribuunt Orpheo suo: Aegyptij Mercurio, qui apud se natus sit, quem eundẽ Toth seu Trismegistum vocant, vt ait Eusebius lib.1. Prapar. Euãg. Plato lib.3. de Repubi. distinguit. Nam quã Lyram pulsat & alia instrumẽta, Musica, ea, ait, ab Amphione reperta est: sed qua voce, & oris sono velut tibijs fit & modulatur à Marsya (qui Lydus fuit) & Olympo, Plinius lib.7. cap.56. varios variarum Musices partium, variorumq; instrumentorum repertores recitat. Verùm nulli istorum primi Musicam pepererunt: sed quum inuenta iã esset, eam duntaxat primi ad suos homines deportarunt, & transtulerunt. Itaq; Augustinus lib.18. cap.13. irridet fabulam de Amphione Graco: Nimirum eum mouisse saxa sono cithara, quemadmodum etiã eandem explodũt & Palaphatus & Phornutus homines Graci natione, & religione Ethnici. Quin imo Plutarchus in lib. de Procreat. anima in Timaeum, ait omnes penè veteres Deos cum Musico instrumento

in manu pingi solitos fuisse, quasi omnes eius artis autores esset, ac proinde illius primus autor apud eos incertus esset (quemadmodũ etiam scripsit Heraclides, teste Plutarcho) vel quòd in omniũ Deorum sacris Musica adhiberetur: sicut Arnobius lib. 6. contra Gentes docet. Sed tandem eò res redit, vt velint Apollinem primum omnium huius artis Parentem habẽdum esse, vt tradit lib. 6. Pausanias. Hic autem antiquissimus fuit, & lõgè ætate superior his omnibus, quos nominaui, nimirũ Orpheo, Marsya, Amphione. Nam eum alij cœli, alij Iouis filium (ac proinde vetustissimum) fuisse fatentur, quemadmodum apparet ex Cicer. lib. 3. de Nat. deor. & Arnobij lib. 4. contra Gentes. Quamobrem eum inter Deos maiorum Gentium recensebant, vt demõstrat Lactantius lib. 1. Instit. Christ. cap. 15. Ergo quemadmodum Mercurius ille Iouis filius & antiquissimus .i. Iabal rei pecuariæ prima præcepta Mundo dedit: sic Apollo Iouis filius & primus (multi enim fuerunt post primum) id est, Iubal Musices primus Repertor fuit. Sed & [Iubal] nomen cantum significat. Athenæus autem lib. 9. Musicam inuentam fuisse ex vetustissimis scriptoribus tradit, ad imitationem auium, qui in solitudine degunt & cantillãt. Macrobius verò mauult ad imitationem fabrorum ad numerum certumq́ ordinem æs & ferrũ sub incude contundentium. Verùm hæ sunt solæ coniecturæ. Veritas autem est ea, quam nos ex obscuris de Apolline eius inuentore reliquijs collegimus, quæq́ sunt nobis ab ipsismet Ethnicis tradita. Sed ecquod genus Musicæ primum ex Ethnicorũ sententia repertum est? Est enim Musica, vt definit August. lib. 1.

de Musica, generalis bene modulandi scientia. Itaque Plato lib. 3 de repub. primarium Musices opus cōstituit in modulorum rationibus & symphonijs miscendis, ac temperandis: atque etiam varias eius species facit. Sed quum idem Plato de Phrygio, & Dorico sono scribat, eos ad Musicam pertinere: & quū autores reliqui de Musicæ inuentione agentes de Lyra, Cithara, Monaulo, Tibijs, Chordis, & cæteris similibus tunc disputent, perspicue apparet omnes de Musica Organica loqui, & sentire, vbi de prima Musica inuenta loquūtur & scribunt: nō autem de Vocali, quæ vel postea reperta est, vel quia naturalis est, (nam voce canere docet ipsamet natura) non dicitur à quoquam inuenta, sicut illa, quæ est Organica. Quod ipsum planè cum Mose, id est cum Dei verbo conuenit. Denique de Musices vsu, & caussa (quamobrem reperta sit) ex ipsorum eorundem Ethnicorum sententia dicamus. In quo malè, meo quidem iudicio, Xenophon sensit Musicam nequaquam ad pietatem vtilem vel nunc esse, vel vnquam fuisse, licèt Xenophōtis iudicium amplecti videatur Eusebius lib. 14. de Præparat. Euangel. cap. 4. Meliùs verò & sanctius, vt alia pleráque, Plato lib. 3. de Leg. his verbis, [Non enim, mihi credite, antiquarum legum olim erat dominus populus, sed ipse quodāmodo sponte, ac volens legibus parebat. M. Ecquibúsnam verò? A. Iis videlicet primùm, quæ illius Musicæ (quæ tunc temporis vigebat) rationibus continebantur, vt ab initio arcessamus liberioris vitæ incrementum. Musica enim tunc in certas quasdā formas suas distribuebatur: & vna erat illius, Precatio ad Deos, quæ Hymnorum nomine notabatur:

batur: & illi speciei alia erat contraria, quæ Threnos: alia, quos Pæanas nuncupabant: & alia Liberi Patris inuentum, Dithyrambi nomine: alia Citharœdicæ leges nuncupatæ.] *Idem verò eiusdem operis lib. 7. Secunda erat lex Musicæ, ait, vt preces fiant illis Dijs, quibus quotidie sacrificamus. Tertia lex erit, vt Poëtæ intelligant Preces ipsas esse hominū petitiones, quibus à dijs aliquid postulant: Quare videant diligenter ne mala pro bonis à dijs imprudenter precentur. Plutarchus in lib. de Musica, [Perspicuum est, inquit, veterem illam Græciam studiū operámque rerum omnium meritò impendisse maximam, vt imprimis Adolescentes Musica erudirentur. Eorum enim animos molles ac teneros ad modestiam atque moderationem componi & temperari Musica oportere existimabant, quippe quam ad omnes occasiones, actionésque omnes, quas intenderes, vtilem, & commodam esse putarent: atque imprimis ad bellicos terrores, ad quos alacriter & fortiter capessendos & sustinendos alij, vt Lacedæmones, tibijs canentibus Castorium appellatum modum instructa acie cum hoste conserturi manus promouebantur: alij ad cantum Lyræ in certamen aduersus hostes procurrebāt.] Cui consentit Horatius. Nam à Poëtis & Musicis pueros ad virtutem edoctos fuisse scribit lib. 2. epist. 1:*

[Os tenerum pueri, balbúmque Poëta figurat,
Arcet ab obscœnis.] *Ad prœlia quoque adhibitam antiquitus Musicam idem lib. de Arte Poëtica docet:*

--- [Post hos insignis Homerus
Tirtæúsque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit.] *Denique in deorū cultu & ora-*

culis Musices vsus fuit. --[*Dicta per carmina sortes Et vitæ monstrata via est.*] *Et lib.2 Epist.* [*Disceret vnde preces, Vatem ni Musa dedisset? Poscit opem chorus, & præsentia numina sentit: Cœlestes implorat aquas docta prece blandus: Auertit morbos: metuenda pericula pellit: Carmine Dij superi placantur, carmine Manes.*] *His consentit Athenæus lib.14 Dipnosoph. vbi variæ Musicæ laudes describũtur: & imprimis hæ, quod Musica & mores format, & iracũdos placat, & mente discordes lenit atque inter se conciliat. Ad eam fortium virorum facta canebantur: vrbes cõdebantur, Pausan. lib.4. Imo vero etiam quũ Atheniensium longos muros (qui ab vrbe ad Piræeum portũ pertinebant) disijceret Lysander ad fistulæ & Tibiarum cantum, eos diruit, quemadmodũ in Hellenicis scribit Xenophon. Ex quo factum est, vt multis in locis Musica certamina instituerẽtur, vt & Augustin lib.6 de Musica, & Pausanias docet. quod & in sacris, & profanis: in publicis, & priuatis rebus: domi, forisq; in cõuiuijs, & alijs hominũ cœtibus huius artis vsus esset maximus. Huius enim esse triplicem vsum ex Veteribus scribit in lib. de Musica Plutarchus, nempe Voluptatem. Dolorem & Enthousiasmon. Quæ sunt vestigia veritatis de inuenta primum Musica. Homines enim eam tum voluptatis suæ gratiâ repererunt: tum vt in Dei cultu eam adhiberent. Et hæc quidem de Musica.*

ARS quarta fuit Aeraria: Quinta, Ferraria: quam vtramq; Tubalcainus inuenit, cui adiungitur soror ipsius Nahhama, tanquã laboris socia. Huius veritatis

ritatis vestigia manifestissima extant apud ipsos Ethnicos. Hæc enim sunt verba Platonis in Politico, Πῦρ μὲν παρὰ Προμηθέως, τέχναι δὲ παρ' Ἡφαίστου, καὶ τῆς συντέχνου. *[Ignis quidem à Prometheo: artes autem à Vulcano, ipsiusq; coniuge, eiusdem artis socia.] Quid magis cõsentiens dici potest? Nam quis dubitat, quin* ἥφαιστος *Græcorum, id est, Vulcanus ille vetustissimus (plures enim fuerunt, vt docet Tullius lib. 3. de Nat. Deor. & Arnobius lib. 4 contra Gentes) Latinorum sit Tubalcainus Mosis, quum si mutetur T, in V, (quarum literarum facilis est in sese migratio) nomen ipsum & vox [Tubalcainus] sit [Vulcanus?] Præterea quis nescit [Nahhama] significare pulcram, seu Venerem, quæ quum ab ipsis Ethnicis dicatur, vti & Vulcanus, filia Iouis, certe soror est Vulcani: eadẽ verò ab ijs ipsis Ethnicis dicitur vxor quoq; Vulcani, vt planè illi cũ Mose in eo concordent. Verùm vt hæc ipsa maiorem apud omnes fidem habeant, sunt paulò latiùs explicanda. Ac primùm quidẽ fuisse Aes priùs quàm Ferrum inuentũ apparet ex ipsismet profanis. Nam Plinius lib. 7. cap. 56. Nat. Hist. vtriusque artis inuentionem recitans, priùs æs & ærariam artem, quàm ferrum & ferrariã commemorat, & repertam fuisse docet. Hanc eandem sententiam confirmat Pausanias lib 3. Nam inter mortales vsum æris, quàm ferri priùs fuisse scribit. Confirmat etiam Homerus, qui herôum antiquissimorũ hominum arma ex ære, nõ ex ferro facta scribit. Cæterùm & æris, & ferri inuentionem & vsum non modò post peccatum intemperiemq; hominis omnes Ethnici collocãt: sed etiam post longum tempus, & tunc primùm, quum*

homines iam inter se contendere, rixari, & pugnare cœ- cœpisset. Plato in Politico id disertè docet, & testatur: atque idem lib. 12. de Leg. vetat ne Deorum imagines fiant ex ære, & ferro, quia ea sunt belli instrumenta. Virgilius lib. 2. Georgic. idem demonstrat:

[Ante etiam sceptrum Dictæi regis, & ante
Impia quàm cæsis gens est epulata iuuencis:
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus ignes.]

Horatius lib. 1. Satyra 3.

[Quum prorepserunt primis animalia terris,
(Mutũ, & turpe genus) glãdem atq; cubilia propter
Vnguibus, & pugnis: dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ pòst fabricauerat vsus.]

Denique Tibullus libro primo, Elegia decima:

[Quis fuit horrendos primus, qui protulit enses?
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit?]

Cui consentit id, quod scribit Pausanias libr. 8, & 10. vtriusq; huius artis nimirum ærariæ, & ferrariæ vsum esse multis seculis post homines natos: quodq; Diodorus Sicul. lib. 1. cap. 1, & 2. tradit: Aeraria tamen, quàm Ferraria, vetustior est. Illius autem meminit Aristoteles tum lib. 1. Politic. cap. 5. quam χαλκευτικὴν appellat: tum etiã in lib. de Admiral. Audition. his verbis, [Ferunt, ait, Mossinœcum æs nitidissimũ & candidissimum esse, cui non admisceatur stannum: sed terræ quoddam genus, quæ ibi gignitur, & vnà cum ære coquitur. Narrant autem eum, qui temperamentum istud inuenerit, neminem hoc docuisse, & ideo opera illo loco ve-

tera eximia esse, recentiora verò non item.] Hæc ille. Cæterùm Ioachimus Camerarius in suis annotationibus in Politica Aristotel. adhuc Germanico nomine hoc æs Mossinœcum appellari, & fortassis est χαλκολίβανον S. Scripturæ, Apocal. 4. 1. 15. Cæterùm quis æs primus, aut ærariam artem .i. fundendi æris rationem repererit, dubitant Ethnici, & in eo sunt inter se varij, quum de primo illius autore non quærunt: sed illius inuēti gloriā posteris, & alijs, quàm primo, tribuunt. Aristoteles æris conflandi, & temperandi artem Lydo Scythæ vindicat: Theophrastus autem Delæ Phrygi, vt autor est Plinius lib. 7. cap. 56. Ipse verò Chalybus, & Cyclopibus eam tribuit. Pausanias lib. 8. Rœcum Phiæi filium, & Theodorum Teleclis viros Samios primos æs fudisse, & ex eo simulacra conflasse mauult. Plinius ipse planè nutat, quia lib. 4. cap. 12. vult æs primum in Chalcide oppido Eubœæ insulæ repertum: Lib. verò 7. cap. 56. in insula Cypro: at lib. 33. cap. 3. in Hispania. Ferri quoque inuentorem, quis fuerit, vbi à primo discessere, non reperiunt. Alij enim Dactylos Idæos in Creta primos ferrum inuenisse volunt: alij Polydorum Samium, vt scribit Pausanias lib. 3. Alij Glauconem, vt idem vult lib. 10. Plinius lib. 34. cap. 14 ferrum vbiq; reperiri ait, in Cātabria tamen esse montem totum ferreum. In Serica regione, quæ est Orientalis, esse optimū. Tubalcainus autem in Oriente vixit, quod cum nostra veritate cōsentit. Denique vt obiter dicam, ferrum humano sanguine contactum, statim rubiginem contrahit, vt idem Plinius scribit. Verùm nos, his omissis, quod cæteri verè dixerint, perpendamus. Constat porrò inter

Ethnicos omnes eum Vulcanum quendam fuisse vetustissimum, quem Iouis filium propterea vocant. Quoscúnque enim antiquissimos esse volunt, eosdem faci nt filios Iouis, vel cœli. Ab huius Vulcani nomine primi, postea alij sunt Vulcani dicti isto multis seculis iuniores. Hic verò Vulcanus antiquissimus est, vt nomen ipsum ostendit, Tubalcainus Mosis. Ab hoc igitur Vulcano Aerariam, & Ferrariã artem, adeoq; instrumentorum eiusmodi conficiendorum rationem primùm repertam esse ipsimet Ethnici scribunt. Itaq; omnes opifices eiusmodi illi consecratos esse docet Plato, lib.11.de Legibus. Quare sic pingebatur, vt Albericus in lib.de imaginibus Deorum ait, videlicet Deus Ignium, fabri similitudine, malleum in manu tenens, & iuxta eum officina pingebatur: etsi Herodotus lib.3. ridiculè eum postea ab Aegyptijs depictum fuisse narrat. Ergo de Vulcano sic scribit Homerus, ὃν ἥφαιστος δέδαεν, καὶ παλλὰς ἀθήνη, *& apud eundem Iliad.lib.18.facta est mentio Tripodum admirãdorum à Vulcano fabrefactorũ. Sed & arma ab eodem Dijs facta scribit ex Ethnicis Lactantius lib.1.cap.17: quanquam Pausanias lib.9. ait nullum in tota Græcia egregiũ Vulcani opus extare præter sceptrum Agamemnonis: sed nos non de Græco Vulcano, qui recens est: sed de primo, de quo Homerus & Lactantius, loquimur. Ergo hic est Vulcanus, qui etiam ab Augustino Deus Artium ex Ethnicorum mente nominatur; lib.4.Ciuit.Dei, cap.10. Quod & ante eum Plutarchus in lib. Aquæ & Ignis Comparat. dixit. Nam vsum ignis ad fundendum, & conflandum metalla primus inuenit Vulcanus iste, vt ait Lactant.*

lib.2.

lib.2.cap.6, & lib. de Ira Dei, cap.13. Ignis autē vsu istiusmodi reperto, facilè fuit artes ferrarias & ærarias inuenire, vti docent Diodorus Sicul. lib.1. cap.1, & Plato. Porrò quum vox [Vulcanus] ex voce [Tubalcainus] manifestè formata sit, (Nā & Osirim Aegyptij vocant Thamec, vt ait Euseb. quem dicunt Vulcanum) inepta est Fulgentij Placiadis etymologia, qui Vulcanum quasi βουλήκαπνον dici putat, id est, cupidum fumi & fuliginis hominem. Phornutus ἥφαιστον ab incendendo deriuari putat. (Est autem ἥφαιστος Græcis, Vulcanus Latinis) nempe ἀπὸ τοῦ αἴθειν, quod & spirare, & inflāmare significat. Meliùs Plato in Cratylo ἥφαιστον deducit à verbo φαίνειν, & φῶς, quòd quū igni præsit Vulcanus, & luci quoq; præfectus est: Est enim ignis naturâ lucidus, & calidus. Nahhama verò est proculdubio Venus, quæ Vulcani illius primi & soror fuit, & vxor. Nam Nahhama significat Pulcrā, formosam, venustā, & eam cuius coitu delectantur homines. Vnde pro Voluptate, Venus (quæ fuit mulier pulcherrima) sumitur, vt docent Athenæus & Augustinus lib.4. cap. 11. & 15. cap.20. Ciuit. Dei. A qua dictæ sunt omnes mulieres, quarū coitum expetunt, Veneres, qualia sunt ferè scorta. [Venus] autem Latinè à veniendo dicta est, sicut Iosephus Scaliger annotauit, quoniam nulla inter populares mulier scortari sinebatur, id est, quæ esset eius loci ciuis: sed duntaxat si quæ erat peregrina & aduena, vt apparet ex veteribus Comœdijs: imò ex ipso Dei verbo velut ex libro Prouerbiorum, vbi Meretrices aduenæ & extraneæ vocantur. Sed ad reliqua pergamus.

Ad IX. De Primo Hominum Memorabili Sacrificio.

ORDO verò historiæ requirit, vt de Primo hominum Sacrificio, quod quidem fuit memorabile, disseramus: & quæ illius in Ethnicorum scriptis vestigia supersint, exponamus: præsertim quum totam hanc historiam suggillarit Iulianus Apostata, vt est apud Cyrillum Alexādrinum lib. 10. sect. 6. contra hunc eundem Iulianum. Ergo docet S. Scriptura Cainum primū obtulisse sacrificium Deo è frugibus terræ: Abelem verò eidem sacrificasse postea ex primogenitis sui gregis, cuius sacrificium fuerit Deo gratum, nō item Caini: Vnde inuidia commotus in Abelem fratrem Cainus eum occidit insidiosè, & perfidiosè. Huius autem veritatis quæ in Ethnicis vestigia supersint, explicandū. Et certè quidem multa extant, licèt fabulis, velut tenebris, ea veritas fuerit à Satana inuoluta, ne perspicuè cerneretur, aut intelligeretur. At verò dico ego, sentioq;, Sacrificium hoc per illud repræsentari, quod Ethnici scribunt à Ioue & Prometheo fuisse oblatum Cælo auo, & in quo Promethei potiores partes fuisse aiunt: Iouis autem peiores. Nam addunt propterea Iouem in Prometheum iratū fuisse, eúmque postea afflixisse, & miserè ad tormenta sæuissima monti Caucaso affixisse, & alligasse. (Sic Homerus, Hesiodus, Aeschylus, Plato, Higinus, Phornutus, Lucianus, & ante hos tres posteriores M. T. Cicero Tuscul. 2.) Dico, inquam, ista esse huius historiæ sacræ & nostræ obscuras quidem sed tamen verissimas, & tanquam ex tabula vetustissimæ relictas lineas,

lineas, colores, picturas, & reliquias. Hoc autem his rationibus confirmo. Ac primùm quidem iam docui Iouem illum Ethnicorum, qui fuit vetustissimus, esse Cainum Mosis. Nunc igitur mihi probandũ est antiquissimum eorundem Ethnicorũ Prometheum esse, imo fuisse Abelem Mosis: dico autem antiquissimum, quoniã vti Ioues multi ad primi imitationem dicti sunt: sic & Promethei, præsertim à Græcis (vt ex Pausaniæ lib. 2. & 7 facilè colligi potest) qui vanitatis ambitionisque studio res notas & veteres interpolarunt, & veras obscurarũt, vt suæ genti vetustatem Mundi omnem ascriberent, & falsò. Quorum errorem secutus Eusebius in Chronicis Prometheum in annum Mundi 3520 demum reijcit, quum omnium consensu ille Ioui æqualis ætate, ac tempore fuerit. Esto igitur hæc inter Prometheum, & Abelem comparatio: Abel cum Caino fratre simul vixit longo tempore, & vsquequò ab eo occideretur: Sic Iuppiter & Prometheus vnà simulq; floruerunt, vixerũt, & cõuersabantur, vti Phornutus scripsit lib. de natura Deorum. Abel & Cain erant fratres: sic Iuppiter & Prometheus consanguinei. Abel & Cain primi homines fuêre, viri herôes, & præstãtissimi: sic Iuppiter & Prometheus primi mortalium, adeo vt cæteri homines à Prometheo ficti & ex luto formati dicantur, fueruntq; hi duo viri illustres, & herôes primi & summi. Itaq; inter se ab Ethnicis comparantur Iuppiter & Prometheus tanquam coæui, & virtutibus pares, quemadmodum ait Plato in epist. 2. ad Dionysium. Et vt Iuppiter Deus à posteris habitus est, sic & Prometheus, vti docet Hesiodus in Theogonia, cuius etiam ara augusta

habita fuit in Attica, remansitque diutissimè, quemadmodum Pausan. lib. 1. tradit. Abel primus cum Caino sacrificauit Deo, fuitque piorum iudicio hoc Primum hominũ sacrificium: sic Iupiter & Prometheus omniũ primi Cœlo sacrificarunt. Abel primus animal obtulit & mactauit Deo: Sic Prometheus ille antiquissimus primus bouem mactasse Deo scribitur à Plinio lib. 7. cap. 56. Cainus propter sacrificium (quod vterq; fecerat, nimirum ipse & Abel) inuidit Abeli fratri suo, quòd potior, gratiórque Deo fuerat Abelis oblatio, quàm sua, proptereáque Abelem, semotis arbitris, in Oriente occidit: Sic Iuppiter in cõmuni sacrificio (quod primum omnium fuit) inuidit Prometheo consanguineo suo, quoniam in eo potiores Promethei partes fuerant: eumq;, vti dixi, crudelissimè ob eam causam ad Orientem in monte Caucaso, id est, in solitudine Iuppiter afflixit. Abelis sacrificiũ idcirco Deo gratum apparuit, quòd cœlitus ignis delapsus illud assumpsit, saltem de cœlo eiusmodi aliquod fauoris Dei signũ extitit: Prometheus post sacrificium suum de cœlo ignem rapuisse, & eum hominibus dedisse ex veterum Ethnicorum traditione fertur. Sic Hesiodus, & Higinus in fabul. cap. 66, & 144: quod Plato in Philebo interpretatur fuisse Dei in Prometheum ipsum munus, non autem Promethei furtũ. Ignis autem vsum & inuentionem in Græcia Pausanias lib. 2. tribuit ex recentiorum fabulis, Phoroneo. Augustinus tamen lib. 18. Ciuit. Dei, cap 8. hãc de Prometheo vetustissimo narrationem aliter, sed frustra, explicat. Præterea idem Higinus tradit Prometheũ instituiße, vt in sacrificijs pars victimæ adoleretur Deo,

Deo, pars cõuiuio reseruaretur: id quod in veris sacrificijs, & tunc etiã in Abelis sacrificio obtinuit. In summa, sacrificia esse rem antiquissimam apparet, adeoq; ab ipsis Arcadibus (qui primi mortalium censentur, & Luna ipsa priores) vsurpatam. Sic Higinus in fabulis cap 66, & 274. Denique Προμηθεὺς dictus est nõ proprio nomine: sed à cognomine quodam à fide & prudentia, quòd res futuras praeuideret: uti & Abel ex fide & prospicientia futuri & venturi in mundum Messiae sacrificauit, proptereáque illius sacrificium Deo gratum fuit. Vnum autem obijci potest in ista Promethei & Abelis comparatione, quod est refellendum, Nimirum Abelem nullos liberos reliquisse: Prometheum autem plures, velut Aethnaeum, vt ait Pausanias libro 9: & Deucalionem, vt scribit Ouidius lib. 1. Metamorphos. Respondeo enim Graecos in ea re fuisse deceptos aequiuocatione nominis Promethei, dum filios recentissimi cuiusdam Promethei vetustissimo illi temerè & falsò attribuunt, & tempora confundunt. Falsum enim est Deucalionem Promethei primi filium fuisse. Et haec quidem ostendunt eorum sacrificiorum (quae separatim à Caino & Abele facta sunt Deo) vestigia, quum Iuppiter, Cainus sit: Prometheus autem Abel. Porrò Cainum priùs ex terrae frugibus obtulisse sacrificium seu donum Deo, verum est: Abelem verò postea ex primogenitis gregis & animalium suorũ. Atque huius ipsius veritatis inter Ethnicos reliquiae hae sunt, Nẽpe, Quòd ipsimet scribunt primùm oblationes Dijs ex frugibus terrae factas, & datas: postea autem victimas seu animalia eisdem oblata. Quod vtrumque ex eorum scri-

ptis & monumentis probandum est. Ac primùm quidem terræ fruges, & quæ ex ea nascuntur oblata Deo fuisse docet Theophrastus, vt refert Theodoritus in libro Ἑλληνικῶν παθημάτων. *Unde vult eas frugũ, veluti spicarum tritici, florum, fructuum arborum oblationes* θυμιάματα, *id est, suffitus, & odores appellatas: non autem* θυσίας, *id est, sacrificia & mactationes.* θυμίαμα *enim* ἀπὸ τοῦ θυμιᾶν, *id est, vaporem vel suffitum emittere, deducitur. Vnde & Thus Latinum vocabulum, quòd sit suffimentum odore, dum adoletur, gratissimum. Sacrificium autem, vt ait Isidorus, dicitur quasi sacrum factum, quod prece mystica Deo consecratur: At verò vt alij malunt, à [Sacrum & facere,] id est, mactare. Nec enim quæuis actio sacra, sacrificium est: sed ea demum, in qua victima Deo fit, id est, iugulatur, & mactatur. Virgilius in Eclogis:*

[Quum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.]
Sed vt ad rem redeam, quæ primùm dijs, ex Ethnicorũ sententia, offerebantur, erant duntaxat suffimenta, fruges, flores, odores: non autem victimæ, aut animalia mactata. Quamobrem Plinius lib. 18. cap. 7. ex Maiorũ Libris ritualibus scribit frugum sacrificium fuisse primùm omnium, ac antiquissimum. Verùm ante Plinium Plato rerum inter Ethnicos diuinarũ scientissimus, lib. 6. de Leg. sic ait, Τὸ δὲ μὴν θύειν ἀνθρώπους ἀλλήλους ἔτι καὶ νῦν παραμένον ὁρῶμεν πολλοῖς. Καὶ τοὐναντίον ἀκούομεν ἐν ἄλλοις, ὅτε οὐδὲ βοὸς ἐτολμῶμεν γεύεσθαι· θύματά τε οὐκ ἦν τοῖς θεοῖς ζῷα· πελανοὶ δὲ, καὶ μέλιτι καρποὶ δεδευμένοι, καὶ τοιαῦτα ἄλλα ἁγνὰ θύματα, *id est, ex Ioannis Serrani doctissimi viri interpretatione, [Atqui vt alij homines alios*

homines sacrificent, apud multos etiamnum id perdurare videmus: contrariũ etiam de alijs audiuimus sicuti quũ nec bouillas quidem carnes gustare audebamus, neque animalia Dijs immolabamus: sed liba, & fructus melle imbutos, & alia huiusmodi pura sacrificia.] *Idẽ docet Cyrillus lib 9. contra Iulian. sect. 5. vbi tũ ex veteris cuiusdam Poetæ profani versibus, tum ex Porphyrij libris, tum etiam ex antiquis monumentis testimonia eius rei, nempe Sacrificia prima fuisse ex frugibus, profert: Fuisse apud Delum insulam etiam vetustissimum altare vbi nullum animal offerretur dijs, vel sacrificaretur: sed soli odores, & suffitus: quod, Piorum altare vocabatur. Idem Cyrillus ex Ethnicis scriptis tradit. Itaque huiusmodi sacrificia vocarunt Ethnici ipsi, propter eorum vetustatem (quæ purior semper, quam posterior ætas apparet) & quoniam erant ἀναίμακτα, id est, incruenta, appellarunt inquam, θυσίαν νηφάλιον, & ἄκαπνον, & ἁγνὴν, quemadmodum docent Athenæus lib. 14. Dipnos. & G. Stuckius amicus meus, vir diligentissimus in vario & erudito opere Conuiual. Quæst. lib 1 cap. 5, quòd carerẽt huiusmodi sacrificia vino & obsonio .i. carne cocta & sacrificata, quæ tamen homines animalia sacrificãtes vesci solebãt: Lac enim, & thuris aliquid, mel, fruges, & corollæ Dijs tunc offerebãtur, quæ postea exigua sacrificia visa sunt, præsertim Romanis hominibus, crescente hominum luxuria, & velut duntaxat rustica. Verùm, vt scribit Plinius in proœmio lib. 1. Hist. Nat. non tantùm Rustici: sed etiam gentes pleræque eum sacrificandi morem, atque illud sacrificij genus potiùs retinuerunt, vt lacte solùm,*

& mola salsa dijs suis litarent. Fiebant autem potissimum post fruges collectas, vt idem Stuckius eodem lib. cap. 23. vult. Imo verò ab isto sacrificiorũ genere Latinæ voces [Immolare, & Adorare] sunt profecta, quæ pro quauis Dei colendi specie iam vsurpantur, nempe quòd is primus Dei cultus publicus, notúsque hominibus fuit. Nam Immolare dicitur à Mola. Est autem Mola placentæ genus, quæ primùm ex hordeo tosto fiebat, quoniam hoc frugis & messis genus primum in vsu fuit inter mortales, vt ait Athenæus lib. 1. Plinius lib. 18. cap. 7. [Antiquissimũ in cibis hordeum.] Deinde autem ex tritico tosto fieri cepta est, quod sale conspergebatur. Sic enim Veteres molam vocabant Far tostũ sale cõspersum, quòd eo molito hostia, (id est, caput victimæ) & ignis ipse, quo adurebatur, & cultri, quibus illa iugulabatur, aspergebantur. Festus Põpeius, [Immolare est mola, id est, farre molito, & sale hostiam aspergere, ait. Maxima enim (vt scribit Plinius lib. 31 cap. 7) etiam in sacris fuit salis autoritas, quando nulla conficiuntur sine mola salsa.] Quod ipsum doctè obseruauit idem Stuckius lib. 1. Conuiual. Quæst. cap. 30 Hoc autẽ farris genus, vnde mola ista fiebat, erat optimum, & Ador ab Edendo dicebatur. Ex quo Adorea, & Adorare verbum deriuatum. Idem Festus, [Ador farris genus, ait, Edor quondam appellatum ab edendo: vel quòd aduratur, vt fiat tostũ: vnde in sacrificio Mola salsa efficitur.] Nonius Marcellus, [Ador, inquit, farris genus, quod epulis & immolationibus pium putatur. Vnde Adorare Propitiare religiones potest dictum videri, & agere aliquid in alterius honorem,] vt

vult

vult Festus Pompeius. Ex quo fit, vt inepta proculdubio appareat Isidori sententia, qui lib.6.Etymolog. sic scribit, [Immolatio ab antiquis dicta, quòd in mole altaris posita victima cæderetur.] Nec enim Immolatio à Mole, sed à mola dicta est: nec victima in mole .i. supra altare cædebatur, sed ante altare, quemadmodũ intelligitur ex lib.4 Aeneid.Virgilij. Maza verò Græcorum (quæ erat placẽta ex tritico & lacte, nonnunquã etiam ex aqua & oleo constans, vt ait Athenæus lib.14 plebeius, communis, & promiscuus cibus) non est Mola Romanorum, etsi tamen idem Athenæus lib.3. scribit Mazam, quæ dicebatur Hygea, in sacris adhiberi, dijs offerri, & à sacrificãtibus degustari solitam fuisse. De quo vide Stuckium meum libro iam citato cap.27. In summa, etiam ex Leuit.cap.23, & Deut.26 apparet sacrificia ex frugibus grata fuisse Deo, & imperata: adeo vt etiã victima ipsa, quæ Deo vero mactabantur, oleo, similagine, vino, & sale aspergerentur sub Lege veteri, vt est Leuit.cap.6. vbi Cyrillus tomo 1. Nimirũ vt ex eo Deus autor omnium bonorum, ex sola sua misericordia, esse intelligatur, ac propterea hæc omnia bonorum ad vitam hominum necessariorum genera in eius sacrificijs adhibentur. Porro post oblationem ex frugibus Dijs factam victimas quoque ijsdem oblatas, & mactatas fuisse scribunt ijdem illi Ethnici autores, vti Plato, Theophrastus, & alij: adeo vt, quemadmodum tradit Athenæus lib.14. Dipnosoph. propterea sacrificijs Ethnicorum præfecti fuerint Coqui, quòd scirent illi animalia & mactare seu iugulare, & in frusta dissecare. Nec autem Pythagoræ ratio audienda, qui (vt est

apud Ouid.lib 15. Metamorph. & Cyrillum lib. 10. contra Iulian.sect.6, & lib.9.sect.5.) existimauit impium esse Deo victimas seu animalia sacrificare, quod cædẽ & sanguine nequaquã gauderet Deus. Nam verum quidem est, Deum per se cæde animalium minimè delectari: nec eorum nidore, ossibus, vel carne pasci, vt rectè sensit Poëta vetus & Ethnicus apud Porphyriũ, lib.2. de Abstinentia carnium, his verbis:

[Quis sic stultus, aut tam dissolutus
Persuasibilis vir, qui speret Deos
Ossibus sine carne, & felle accenso
Gaudere, & honorem illum sortiri?] *Sed quoniam illa victimarũ, & cæsorum animalium sacrificia erãt futuræ Christi Passionis (in qua peccatorũ Mundi expiatio continetur) vmbræ, & repræsentatio, illa Deo grata fuerunt, vt ostendit Augustin.lib.20. Ciuit. Dei cap.26. Non autem quòd eisdem elementis Animalia illa constent, atque nos vt scribit Arnobius lib.7. Ergo Athenienses, vt scribit Plato lib.7. de Leg. solebãt excitare homines in huiusmodi animalium sacrificijs ad planctum, & lacrymas etiam adhibitis tibijs, quòd illæ mactationes animaliũ tristis pœnæ hominibus propter peccata debitæ symbolum ac signum erant. Fuit igitur tristis significatio istorum sacrificiorum, nempe mortis Christi, ad quam respiciebat Deus in ijs sacrificijs, quæ ipse præceperat: non etiam in ijs, quæ Ethnici ex voluntario ipsorum cultu absque fide offerebant, sicut docet Augustin.lib.10 cap.5. Ciuit. Dei. Alioquin, & absq; ea significatione, & mortis Christi adhuc futuræ fide, & repræsentatione, vera est illa Platonis in Alcibiade*

secundo

ſecundo ſententia, Sacrificia Animalium non tam placãt Deum, quàm pius animus, piaq́ precatio. Imoverò Apollonius aras ipſas hoc animalium in ijs ſacrificatorum ſanguine pollui potius, quàm ſanctificari, Ethnicis (quãuis ipſe Ethnicus) verè tamen exprobrauit. Erãt enim ijs inutiles rerum ſibi ad victum neceſſariarum cædes, & damna, quia carebant fide in Chriſtum venturũ. Nec obſtat etiam quod lib. 10. cap. 19. Ciuit. Dei, quærit Auguſtinus, Cur Deus, qui eſt inuiſibilis, viſibilia ſacrificia & oblationes ſibi dari præceperit. In eo enim Deus ſeſe nobis, noſtróque captui attemperauit, vt ea à nobis exigeret, quæ & tractare, & offerre poſſemus: non autẽ inuiſibilia, quæ contrectare nequimus. Ex quibus omnibus apparet huius noſtræ veritatis veſtigia extare etiam apud Ethnicos, primùm Deo oblatas fruges terræ: poſtea verò, animalia. Et vt totum hunc locum breuiter concludam, quæ ſacrificia à bonis & pijs Patribus acceperant primùm homines Ethnici, ea non retinuerunt: ſed ſacrificia illa prorſus deprauarunt. Nam magnificentiſſimis quibuſdã hoſtijs, & argenteis muneribus, tanquam pretio, Deos emere ſibi, eorúmque fauorem ſtuduerunt illi, vt ex Euhemero ſcriptore antiquiſſimo tradit Euſebius lib. 2. cap. 4 de Præparat. Euangel. Vnde Alexander Magnus Leonidæ præceptori ſuo profuſionem ſacrificiorum reprehendenti reſpondit, Dijs ſine parſimonia ſacrificandum. At Spartani contrà, vtpote longè ab hac ſuperſtitione remoti, vt ait Plutarchus, Dijs tenuiâ & facilè parabilia ſacrificia inſtituerunt, velut capras, & gallos gallinaceos. Ex quo factum eſt, vt ea potiſſimum reliquæ gentes dijs

ſuis animalia in ſacrificijs offerrent, quæ erant tabida, ſcabioſa, clauda enecta: atque ex ijs ipſis ſolùm capita, & vngulas pedum detruncatas darẽt dijs ſuis, vt docet Tertullianus in Apologet. cap. 14: quòd nimij ſumptus in ijs fierent. Etſi autem de die ſolùm & in aperto Dijs ſuis illi Ethnici ſacrificabant, vt ait Lactantius lib. 2. cap. 2. præterquàm Cereri ſeu Bonæ Deæ (cuius ſacra Romæ fiebant in operto) tamen obſcœna omnino & turpia erant, quæ illi in ſuis ſacrificijs agebant, & committebant, qualia adulteria (Nam & ſacra quædam nudæ mulieres celebrabant, Plin. lib. 22. cap. 1) furta, cædes, vt ſcribit Arnobius lib. 8. contra Gentes. Ergo, vt ait Athenæus, In ſacris præco pronuntiabat, vt ſacrificãtes ante Solis occaſum & noctem diſcederẽt, ne quid turpe in ijs perpetraretur. Denique in ſuis ſacrificijs Ethnici ex ſanctorum, & à Deo inſtitutorum ſacrificiorum κακοζηλίᾳ adhibebant far, merum, odorem ſeu ſuffitũ thuris ſalem & ſanguinem victimæ, Lactant. lib. 6. cap. 6 Inſtitut. Chriſtian. Demum & preces, vt docent Horatius, & Perſius, & ante vtrumq; Plato, & Cicero in libris de Legibus in iiſdem ſacrificijs fiebant. In quibus erant tam miſeri, ac ſuperſtitioſi, vt ne quid in ijs concipiendis vel recitandis ab ijs præpoſterum diceretur, ſoleret aliquis præponi, qui ſacrificantibus præiret verbis: deinde cuſtos dari, qui obſeruaret, Vtrum ſacrificans dictata ſibi rectè & ordine pronuntiaret, ac redderet, vt ait Plinius lib. 28. cap. 2. Hiſt. Natur. Atque iſta quidem de hoc veritatis capite, eiuſq; reliquijs dicta ſunto. Nam qui Dijs Templa primi inſtituerint, qui eiſdem ſimulacra, omitto dicere, quoniã illa ad noſtrum

ſtrum hoc argumẽtum, iſtamq́ comparationem à nõbis inſtitutam minimè pertinent. Accedamus ad reliqua, velut ad caput vndecimum Hiſtoriæ, vbi de Excõmunicatione agitur, quæ prima in homines à Deo ipſo propter crimen fulminata eſt, nimirum in Cainum homicidam ſeu potius fratricidam, vt quemadmodũ ea pœna ex Dei verbo intelligitur horribilis, piacularis, tremẽda, ipſáque morte grauior, & in conſcientiam hominum ferri: Sic apud Ethnicos ipſos huius doctrinæ ac pœnæ veſtigia quædã ſemper extitiſſe doceamus. Nam quod ad caput X. Hiſtoriæ noſtræ pertinet, illud coniunctim cum capite IX. complexi ſumus, vbi Prometheum à Ioue per inuidiam afflictum in ſolitudine montis Caucaſi ad Orientem docuimus; quòd Promethei ſacrificiũ Deo Cœlo ſuo auo gratius fuiſſet, quàm ſuum .i. Iouis.

Ad XI. De Excommunicatione, quæ fuit Prima ſcelerum, preſertim homicidij, Pœna.

Ergo expendamus, Vtrum Ethnici quoque ipſi Excommunicationem voluerint pœnam eſſe ſcelerum perpetratorum, eámque teterrimã exiſtimauerint: ac præſertim homicidijs impoſuerint, homicidáſque ipſos vagos & errones eſſe decreuerint, vti ex Dei præcepto & pœna illi data fuit Cainus. Eſt autem, fuitq́ illis Excommunicatio, quemadmodum & nobis, Interdictio à Sacris, & cultu Dei externo, cœtúque aliorum hominũ Deum colentium: in quã qui incurrebant, diris, execrationibúſque publicis feriebantur, ſubijciebantur, & dijs

Manibus ac inferis ſacri, .i. poſt hanc vitã torquendi vouebantur. Ergo μιαροὶ dicebantur, id eſt, nefarij, & ἐναγεῖς, deteſtãdi, ἀπὸ τοῦ ἐναγίζειν. Εναγίζω verò Expio ſignificat. Unde ἐναγεῖς homines expiandi dicti ſunt, & quales qui à Latinis [Sacri] .i. Deo planè mactandi, & ex hominum conſortio eyciendi nominantur, ac proinde abominabiles. Hinc quoque eſt illud Virgilij [Auri ſacra fames] id eſt, deteſtabilis: & apud Liuiũ Pecunia Cereri ſacra .i. deuota: & Sacratæ Leges appellatæ, vt ait Pompeius [quibus ſancitũ eſt, ſi qui quid aduerſus eas fecerit, ſacer alicui deorum ſit cum familia, pecuniáve.] Εναγίζω autem verbũm ἀπὸ τοῦ ἁγιάζω deducitur, cui tamen contrariam, vt inquit Iulius Pollux lib. 1. Onomaſtici, ſignificationem habet. Ἁγιάζω enim Sãctifico: Ἐναγίζω per antiphraſin Expio, voueo, & occido ſignificat. Ἅγιοι, & Ἐναγεῖς, contraria prorſus notione intelliguntur. Ἅγιοι enim dicuntur, qui puri ſunt, & mundi. Ἐναγεῖς autẽ, qui prorſus impuri, polluti, immundi, & execrabiles. Vnde ij dem à Platone lib. 7. de Leg. ἀκάθαρτοι vocantur. Pollux igitur eo libro, quem iam citaui, τοῖς περιῤῥαντηρίοις καὶ καθαρμοῖς χρησάμενοι, καθαροί. οἱ δ᾽ ἐναντίοι, ἀκάθαρτοι· ὥσπερ καὶ τὰ ἐναντία τῶν ἀκαθάρτων, ὁσίως, ἀπολουμένως, ἁγνῶς, ἁγίως. τὰ πράγματα, ἅγιον, καθαρὸν, ὅσιον, ἁγνὸν, ἐναγὲς, ἄχραντον. τὸ δ᾽ ἐναντίον, Ἐναγὲς, ἐξάγιστον, δυσαγὲς, μιαρὸν, παμμίαρον, μίασμα, μύσος, id eſt, Qui ſacris ablutionibus & purgationibus vſi ſunt, ac vtuntur, ij Puri dicuntur: cõtra verò iiſdem interdicti qui ſunt, vocantur Impuri: quemadmodum hæc ſunt, quæ Impuris iſtis non conueniunt, Sanctè, ſanctificatè, purè, impollutè. Res autem

ipſa

ipsa est Sanctitas, puritas, sacrum, impollutum, inabominabile, incontaminatum. Quibus rebus hæc sunt contraria, Abominabile, exsanctificatum, detestabile, sceleratum, nefarium, pollutio, abominatio.] At Latinè quoque iidem homines appellātur Profani. Vnde illud Virgil. lib. 6 Aeneid. [Procul ô procul este Profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco.] Et Claudianus lib. 1. de Raptu Proserpinæ [Gressus remouete Profani,] tanquam qui procul à deorum phanis & tēplis arceantur vel abiguntur. Ex quibus apparet, quam execrabiles & odiosi inter Ethnicos ipsos olim censiti fuerint, quibúsque vocabulis & probris ornati ἐξειργόμενοι, *vt loquitur Plato, id est, homines inter eos sacris & templis Deorum suorum interdicti, ac excōmunicati:* Ἔστι γὰρ, *ait Plutarchus lib. Quæst Rom. quæst* 44 κατάρα δύστηνον καὶ σκυθρωπόν. Ἐπῃνέθη γοῦν Ἀθήνησιν ἡ ἱέρεια μὴ θελήσασα καταράσασθαι τῷ Ἀλκιβιάδῃ τοῦ δήμου κελεύοντος, *[Est enim huiusmodi execratio res tristis, & infamis. Vnde Athenis laudata est sacerdos, quæ, populo quamuis iubente, tamen Alcibiadem deuouere, & eo modo execrari noluit.] Ea autem fuit Theano Menonis filia, quemadmodum tradit idem Plutarchus in vita Alcibiadis. Plato lib. 7. de Leg. hanc pœnam & infamiam grauem fuisse ait, & qui tales erant, à sacrorum participatione remouebantur, etiam iussu Magistratus, & vi militari, si se ingerebant. Itaq; eiusmodi pœnam vetat Plato cuiquam temerè infligi. Ait enim,* τοὺς ἱερέας τε καὶ τὰς ἱερείας μετὰ Νομοφυλάκων ἐξείργοντας, ὁσίως ἐξείργειν, καὶ κατὰ νόμον. Τὸν δ' ἐξειργόμενον, ἂν μὴ ἐθέλων ἐξείργηται, δίκας ἀσεβείας διὰ βίου παντὸς τῷ ἐθελήσαντι

παρέχειν, id est, [Sacerdotes tam mares, quàm fœminæ, vnà cum Legum custodibus, quum aliquem à sacris arcent, id piè & sanctè ex Legis formula agant: Is verò, cui sacris interdictum est, nisi lubēs morem gesserit, impietatis pœnas per totā vitam cuilibet persoluat.] Hæc Plato, & cum eo alij scriptores Ethnici, quæ cum grauissima illa Caini per excommunicationem pœna à Deo indicta plane conueniunt. Statuebāt enim, qui modò ex ijs non erant prorsus ἄθεοι, post hanc vitam sceleratis & excommunicatis hominibus in inferis pœnas restare, quas sentirent, & quibus eos, dum sacris suis interdicebant, subijciebant, Dijsque propterea Manibus eosdem deuouebant, vt colligi facilè potest ex eodem Platone, lib. 2. de Rep. Virgilio, lib. 6. Aeneid. atque adeo ex ipsa Homeri Odyss. qui vtrumq; ætate præcessit. Extat etiam & aliud istarum execrationum, & dirarū exemplum in sceleratos pronuntiatarū apud Plutarchum in vita M. Crassi. Ille enim ab Atteio Tribuno pl. hoc modo ijs obnoxius factus est. Atteius præcurrit ad portā, quā M. Crassus paludatus Roma exiturus erat: Ibi focum accendit, quò quum peruenisset Crassus, suffitibus iniectis, factisque libaminibus, diras capiti Crassi atroces, & horrendas imprecatus est, & immanes Deos, ac tetros ibi in Crassum appellauit. Porrò addit ex veteri traditione Plutarchus, [Has arcanas & vetustas deuotiones Romani ea vi præditas ferunt, vt nemo, aduersus quem conceptæ sint, euitare illas queat. Vnde neq; qualibet de caussa has imprecari fas est.] Loquitur autem de publicis, non de priuatis imprecationibus. Eiusmodi enim imprecationes Interdictioni Sacrorū adheban-

debantur, vt apparet in interdictione Alcibiadis ab Atheniensibus facta. Quæ tam erant horribiles, & conscientia homines ad Dei tribunal citante timebantur etiam ab Ethnicis, vt pro ijs expiãdis & aqua lustrali vterentur, & ablutionibus, & sacrificijs, quas, vt ait Plato, τελετὰς vocabant, lib. 2. de Repub. nimirũ quòd ἐν τέλει, id est in morte ea sacrificia fierent Dijs Manibus, ne isti defuncti vllos paterentur manes & pœnas. Expiationes igitur pro interdictis fiebant, & Deos in morte eorum exorabiles per teletas fieri ijsdem credebant: Imo verò etiã Agyrtæ quidam & impostores homines eas ipsas pecuniã, pretioq; appretiato vendebant, quas per carmina & quædam incantamenta se facere posse iactabant. Vnde Virgil. lib. 4. Aeneid.

[Hæc se carminibus promittit soluere mentes,
Quas velit: ast alijs duras imponere curas.]

Propertius lib. 1. Elegiarum, Eleg. 1.

[At vos deductæ quibus est fallacia Lunæ,
Et labor in Magicis sacra piare focis.]

Quod scelerata dinundinationis, & falsæ expiationis genus notum ibidem irridet idem Plato. Soluti autem & expiati, qui priùs fuerant excommunicati, καθαροὶ dicebantur. Vnde verbum καθαίρειν, quo in Phædro vtitur Plato, id est, [Expiare.] Aemilius Probus in vita Alcibiadis [Resacrare] dixit, cuius hæc verba sunt, quæ describam, vt ratio & forma istius Excõmunicationis inter Ethnicos vsurpatæ, & si quæ postea fiebat, Absolutionis, intelligatur. [Postquam autem, ait, Alcibiades se capitis damnatum, bonis publicatis, audiuit, & (id quod vsu venerat) Eumolpidas sacerdotes

à populo coactos vt se deuouerent: eiúsque deuotionis, quo testatior esset memoria, exemplum in pila lapidea incisum esse positũ in publico, Lacedæmonem demigrauit.] Caussa verò, cur sacris prohibitus publicè fuerit Alcibiades à populo Athenieñsi hæc erat, vt scribit Plutarchus in eius vita, & post eum Iustin. Histor. lib. 3. quòd mysteria Cereris, ceremonias Eumolpidarum arcana sacerdotum Eleusinensium, initia sacrorum (nullo magis quàm silentio) solennia euulgasset domi, & enuntiauisset. Et tamen illa erãt per se absurda & obscœna, vt ostendit Eusebius in lib. de Præparat. Euang. viaq; adeo ipsa, quæ Athenis Eleusin & ad ea sacra ibatur, erat scortis, & scortorum statuis plena quemadmodum tradit Pausanias lib. 2. Verùm, vt ad rem redeã, hæc fuit Interdictionis formula. At verò Absolutionis ista, vt describit idẽ Aemilius Probus, [*Restituta ergo, ait, sunt Alcibiadi publicè bona ab Athenienfibus. Iidemq; illi Eumolpidæ sacerdotes rursus resacrare sunt coacti, qui eum deuouerãt. pilæq; illæ (in quibus deuotio erat scripta) in mare præcipitatæ.*) Et hæc quidem de Excommunicatione & Interdictione a Sacris vestigia extant apud Ethnicos Scriptores: ex quibus probatur illius vsum inter eos fuisse propter grauissima peccata, habitamq; eam pro pœna durissima, vt etiã apud Mosem Cæterùm pro homicidio præsertim impositam eam ipsam pœnam, fuisseq; eos inter mortales vagos & errones, qui eã censura ferirentur, ex eorundem Ethnicorum scriptis apparet. Herodotus lib. 1 Histor. narrat Adrastum Phrygem, quum fratrem suum occidisset, sic patria sacrisque profugum ad Crœsum Lydiæ Regem per-

peruenisse, & ab eo expiatum fuisse. Quem morem & inter Lydios, & inter Græcos suo seculo vsitatũ fuisse scribit idem Herodotus. Huic consentit Thucydides. Nam lib. 1. Belli Peloponnes. refert Eurystheum propter cædem Chrysippi patriâ & sacris interdictũ, prohibitúmque fuisse, donec absolueretur. Ouidij testimonio nihil clarius, qui id etiam inter Romanos obtinuisse docet: Sed & idem istius pœnæ in homicidas varia exẽpla recitat, vti Patrocli, qui Astydamantis filium occiderat: Pelei, qui Phocum: Medeæ, qui Absyrtum fratrem: Alcmæonis, qui matrem: quibus addi quoque potest Orestes, qui, vti superiores illi, & sacris interdictus & erro vagúsque fuit: quemadmodum etiam Oedippus, & quidẽ omnes propter homicidia perpetrata fugitiui, & sacris patriaq; interdicti. Ouidij verò versus lib. 2. Fastorum, hi sunt:

[Omne nefas, omnémque mali purgamine caussam
Credebant nostri tollere posse senes.
Græcia principium moris dedit, illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.
Actoridem Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
Cæde per Aemonias soluit Acastus aquas.
Vectam frænatis per inane draconibus Aegeus
Credulus immerita Phasida fouit ope.
Amphiaraides Naupacteo Acheloo
Solue nefas dixit: soluit & ille nefas.
Ah nimium faciles qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aqua.]

De Oreste, Virgil. lib. 4. Aeneid. De Oedippo, Euripides in Tragœdijs. Vnde Aquæ lustrales & expia-

toriæ apud eosdem, de quibus etiam Pausanias lib 2. Porrò Iouem suum illi Ethnici profugum & sacris interdictum fuisse propter cædem Promethei manifestè non referunt (quanquam tamen Iouis exulis meminit Pausanias lib. 3) quoniam talem Dei sui summi ignominiam tegunt, quem tamen gaudere sanguine humano scribunt ijdem, & humanis victimis, quæ ne ei offerrentur, Darius rex Persarum vetuit, vt ait Iustinus lib. 10. Sed non semper omnia nostræ veritatis vestigia retinuerunt, aut in ijs sunt quærenda.

Ad XII. Vrbs prima in mundo cōdita.

DE Vrbe verò, quæ prima condita fuerit in mundo, videamus. De qua Moses ait & à Caino ædificatā, & Enochiam vocatam, & quidem post primi hominis peccatum aliquot seculis, propter metum à reliquis hominibus. Huius autem historiæ quæ restent apud Ethnicos vestigia, perpendamus: quod fortassis eò difficilius erit, quòd Græci totā huius inuentionis laudem sibi tribuere, & in ea tempora, quæ sunt posteriora, collocare conantur. Enitar tamen reliquias istius naufragij etsi vetustissimas, colligere. Ac primùm illud cōsentit cū Mosis dicto, nempe Vrbem primùm à Caino conditam fuisse, quod illi scribunt ab antiquissimo illo (quē appellant) Ioue rationem & primùm condendarum, & postea conseruandarum Vrbium traditam, ac inuentā esse. Id quod docet ex veteri Maiorúmque memoria Plato in Protagora. Iouem autem illum fuisse Cainum Mosis anteà perspicuè demonstrauimus. Verba verò Platonis hæc sunt, Ζεὺς οὖν δείσας περὶ τῷ γένει ἡμῶν, μὴ

ἀπό-

ἀπόλοιτο πᾶν, Ἑρμὴν πέμπει ἄγοντα εἰς ἀνθρώπους Αἰδῶ τε καὶ Δίκην, ἵνα εἶεν πόλεων κοσμοί τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοί. οὐ γὰρ ἐγένοντο πόλεις, εἰ ὀλίγοι αὐτῶν μετέχοιεν. i. *Ioanne Serrano interprete,* [*Iuppiter ergo, dum generi nostro metueret (ne prorsus periret) Mercuriũ mittit, qui Pudorem & Iustitiam ad homines deduceret, quæ nimirum essent Ciuitatum ornamenta & vincula, sanctæq; inter ciues amicitiæ auspices & cõciliatrices, alioqui ciuitates minimè existerent, si pauci essent ipsarum participes.*] *Confirmat hanc Platonis sententiam Higinus, qui in libro de fabulis, cap.* 275 (*quanquam varias à varijs vrbes conditas recenset*) *primam tamen ab antiquissimo Ioue ædificatam fuisse tradit, & quidem in India ac Oriente (quod planè cõuenit cum Mosis historia) latissimam, quæ Thebæ Thebaidæ, & Hecatompylæ (quòd centum portas haberent) dictæ fuerint. Eodem verò pertinet, quod idem Iupiter ab Ethnicis* πολιεὺς, *Vrbium autor est nuncupatus est: &* Ἕρκειος *seu* Ἕρκειος ἀπὸ τοῦ ἕρκους (*quod septum & vallum significat*) *quæ sunt vrbium condendarum partes, & conditarum munimenta, quoniã illa excogitauit Iupiter ille, quemadmodum & Phornutus in lib. de Nat. Deor. & Pausanias lib.* 4. 5. & 10. *memoriæ prodiderunt, & Iouis Hercæi statuæ passim positæ, cultæq;. Eusebius ex Ethnicorum monumentis lib.* 1. *cap.* 7. *Præparat. Euangel. scribit primam vrbem à Saturno conditam: sed pro Ioue Saturnus substitutus est. In summa, Vrbiũ exstructionem fuisse Deorum inuentum perspicuè censuerunt veteres Ethnici: ac proinde vnamquamque vrbem alicui Deo suo cõsecrarunt, vt scribit Plinius lib.* 28. *cap.* 2. *Porrò ante Vrbes conditas habitabant homines in*

vicis & pagis, qui κῶμοι dicebantur, quòd simul conuiuabantur. Vnde talis victus, vitaque ratio, Comessatio fuit appellata, quemadmodum vult Festus Pompeius. Caeterùm etiam ante Diluuium Vrbes fuisse inter mortales ex nostra veritatis superstitibus reliquijs tradiderunt ijdem Ethnici. Plato in Protagora. Docet enim postquam aliquandiu extitissent homines, statim vrbes ab ijs conditas fuisse. Quin & ante diluuium hoc factũ fuisse tradit idem disertè lib. 3. de Leg. [Ait enim infinitum esse temporis spatium, quo Vrbes inter homines esse coeperunt: vsumque habuisse etiam ante φθορὰν τὴν τῷ κατακλυσμῷ ποτὲ γενομένην, id est, ante eam humani generis cladem, quae per celebre illud Diluuium quondam contigit.] Nec aliud sentit Diodor. Siculus lib. 1. Bibliothec. cap. 1. dum ait homines paulò postquam feras sibi infestas sensissent, habitacula tuta, & vrbes sibi comparasse. Quod quum post hominis peccatum acciderit, certè demum post hominis lapsum huiusmodi externa munimenta quaesita sunt, ipsis quoque iam testibus Ethnicis. Hoc ipsum est, quod ait in Polit. Plato: Nullas quidem in Mundo fuisse Vrbes prima illius aetate, & ante hominũ intemperiem: verùm postquam Deo immorigeri & inobsequentes esse coepissent, tunc vrbes, & praesidia sibi excogitasse. Quo quid magis cum nostra veritate concordare potest? Certè qui diligẽter Ethnica scripta legerit, fatebitur, eos haec vestigia veritatis retinuisse, vt & statim primis Mundi temporibus, & à prudentissimis ac perspicacissimis hominibus vrbium condendarũ rationem extitisse docuerint. Sic Cicero lib. 1. de Inuent. & Tuscul. quaest. 1.

Sic Q. Horatius in Arte Poëtica his versibus:

--- [Fuit hæc sapientia quondam
Publica priuatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.] Quæ ille ex Poëtis Græcis sumpsit. Sed & propter metum Vrbes primas ab hominibus conditas fuisse sentiunt ijdem Ethnici, velut Plato in Protagora, his verbis, [Hunc in modum, ait, homines instructi atque comparati principio, dissipati varijs in locis sparsim habitabant, necdum Vrbes existebant. Feræ igitur illis, quòd imbecilliores essent, passim perniciem importabant. Vt igitur aduersus hæc incommoda pararent remedia, suæq; saluti prospicerent, quærebant & in vnum congregari, & Vrbes cœtibus excipiendis condere.] Eodem planè modo & Diodorus Sicul. scribit lib. 1. cap. 1: [Beluas insuper hominibus infestas fuisse, quibus vt obsisterent, cœtus hominum ob timorem factos aiunt communis vtilitatis gratiâ: auxiliaq; inuicem præbita, & loca habitaculis quæsita.] Ex quo factum est, vt oppida & mœnibus, & vallo, & fossa ad firmiorem tutelam cingerentur, vt docet Plutarchus in vita Romuli primi Romanorum Regis. Nec obstat quod idem Plato lib. 2. de Repub. contendit, Propter vsum nempe, & mutuam hominum aliorum ab alijs commoditatem ac necessitatem Vrbes & oppida primùm fuisse fundata: Hoc enim ipsum nostram sententiam confirmat. Egent enim homines mutuo auxilio ad se tuendos, quoniam & à feris bestijs, & ab alijs etiam hominibus metuunt sibi homines. Denique primam, quæ in Mundo extitit, Vrbem Enochiam in

Oriente vocatam fuisse vult, & quidem verè Moses: cuius veritatis hæc sunt ex Ethnicorum scriptis vestigia. Primùm, quod Plinius lib. 6. cap. 16. prope Bactros in Oriente constituit Henochios. Sic enim apud Plinium pro Heniochijs legendum puto. Atque idem eodem lib. cap. 20. collocat in India Orientali Nodumbas populos. Hæc autem planè cum Mosaicis [Enoch, & Nod] conueniunt. Nam abundè, vt ait Plato, gratulandum nobis est, ac satis esse debet, si tantæ, támque penè abolitæ & obsoletæ vetustatis vestigia quædã saltem ex veteribus regionum, locorum, & populorum appellationibus restent, vti hîc fit. Deinde quod & Plinius, & Pomponius Mela distingunt Heniochios populos ab Henochis seu Henochijs. Nam Heniochij à Mela lib. 1. Situ Orbis, cap. 22. collocantur cis mare Caspium, vicini Colchis & Alanis populis, quemadmodum & à Valerio Flacco lib. 6. Argonaut. eósque nonnulli scribunt Hæniochios, vti Valerius ipse: alij per œ, Oenochios sicut apud Lucan. lib. 3. Pharsal. Plinius eos Heniochios constanter nominat, lib. 6. cap. 4 & 11, quos, vti dixi, circa Caucasum montem cis Caspiũ mare sitos ait, & latè per multas gentes extendi. Idem asserit Strabo lib. 2, & 11 Geographiæ. Idem ante hos omnes Xenophon in lib. de Expedit. Cyri. Denique hos ipsos Heniochios à Græcis, & præsertim Lacedæmonijs (nimirum à Castoris & Pollucis aurigis) oriundos fuisse, & propterea sic vocatos scribit Dionysius Alexandrinus in descriptione Orbis. Verùm eos ex posteris & filijs Abrahami ex Cethura natos ac profectos esse potius ipse crediderim, vti & Medos illis vicinos populos

argu-

argumento eorum quæ extant Genes. 25.3,& 4. Et hi quidem sunt Heniochi, nempe prope Pontum Euxinũ, & cis Caspiũ mare. At Henochi seu Henochæ (vt vocat Pompon. Mela lib. 1. cap. 2) sunt in vlteriore Oriẽte trans mare Caspium, vt ex eodem illo Melæ loco apparet, & Plin. lib. 6. cap. 16, vti iam docui. Hos verò Henochos quis dubitet esse illius Enochæ vel Enochiæ vrbis primæ & vetustissimæ (vt etiam & Ioseph. lib. 1 cap. 4. Antiquit. Iudaic. & Augustinus lib. 15. Ciuit. Dei, cap. 8. scribit) verissimas reliquias, & tãquam ex notissimo memoriæ ac Orbis terrarũ naufragio tabulas, quæ (summo Dei beneficio) nobis ad fidem tantæ antiquitatis faciendam supersunt, etiam in ipsis Ethnicorũ scriptis? Itaque quod Stephanus in lib. de Vrbibus Heniochiam vult esse eam, de qua Strabo agit lib. 11, quæq; est Heniochiorum metropolis, rectè ille quidem: sed illa Stephani & Strabonis Heniochia cum hac nostra Enochia vel Enocha (à qua dicti sunt Enochi vel Enochæ populi planè Orientales & Indici) non est cõfundenda. Nostram autem hanc nonnulli in ea regione Orientis sitam fuisse putant, in qua est vrbs Cambalu quæ nũc vocatur, & Orientalis Scythia seu Tartaria. Et hæc quidem nostræ veritati vestigia durant etiam inter Ethnicos. Porrò ineptiũt, qui aliam vrbem primam omniũ statuunt, velut Phœnices suam Biblida, vt ait Eusebius lib. 1. cap. 7. Præparat. Euang. Athenienses & Græci, Cecropiam, Plin. lib. 7. cap. 56: Latini, Saturniam & Ianiculum, Virgil. lib. 8. Aeneidos: Peloponnesij, Argos: Assyrij, Niniuem: Chaldæi, Babylonem: Aegyptij, Thebas suas. Hæ enim sunt nostra illa Enochiâ longè

recentiores, & demum post diluuium ædificatæ: deinde non primæ omnium, sed in his demum populis, quarum sunt metropoles conditæ primæ: nos autem de ea, quæ omnium prima fuit disputamus. Et hæc quidem hactenus. Reliqua vero historiæ capita partim supra fuerunt explicata, quum de primarum artium Inuentione ageremus: partim ex ijs, quæ iam demonstrauimus, colligi, & quidem facilè possunt, quale illud, Qui fuerint Caini posteri, & quæ illius familiæ propagatio, atq; totius huius historiæ ecquæ reliquiæ apud Ethnicos. Docuimus enim, vt breuiter id repetam, Adamum esse anquissimum illum Ethnicorum Saturnum: Cainum Mosis esse Iouem eorundem: Tubalcainum ærariæ, & ferrariæ artis repertorem, esse Vulcanum: Noemam eius sororem esse Venerem illam Ethnicorum veterem: & vtrumq; ex Iouis illius, id est, Caini stirpe, & prosapia natum. Restat igitur, vt quemadmodum Iabal, & Iubal dicuntur ex Caini genere, & nepotes (quorum ille pastoritiam artem & commercia auxit: hic verò Musicam inuenit) sic ijdem isti censeantur esse Iabal quidē antiquissimus Ethnicorū Mercurius: Iubal autem Apollo, qui omnes itidem Iouis illius primi feruntur esse filij & genus. De quibus Lactātius lib. 4. cap. 27. Hos enim omnes nefarios fuisse docet idem scriptor, & in inferis. Quos verò Iouis filios Higinus in fabul. cap. 155 recenset: ij sunt Iouis Græci & iunioris liberi, non antiqui. Denique conferantur cum his omnibus Caini posteris Aegyptiorum Thanut, Osiris, Isis, Mercurius, de quibus & Diodorus Siculus lib. 1. & Eusebius lib. 1. cap. vltimo, & lib. 2. Præparat. Euangelica, &

multa

multa nostra veritatis testimonia, vestigiaq́; certissima adhuc supererunt, atque apparebunt.



CAPVT IIII.

¶ Quæ Politia tum Ciuilis, tum Ecclesiastica toto illo seculo & tēpore (quod 235. annos à Mundo condito complectitur) extiterit inter homines.

SEQVITVR autem dicere quæ fuerit toto illo seculo Politia tum Ciuilis, tum etiam Ecclesiastica. Seculum autem hoc Tempus à primo lapsu Adami ad publicā Nominis Dei profanationem complectitur, quod penè habet annos ducentos triginta quinque, dempto nimirū ex eo numero dierum tanto spatio, quanto purus idem Adamus permāsit. Hi verò siue vnus dies fuerit post illius creationem, siue plures (est enim incertū, & verbo Dei indefinitum) hi tollendi sunt. Sed tam parua portio numerum illū annorum rotundum imminuere neq́; debet, neque potest. Porrò Ciuilis Politia illius ætatis in his quatuor potissimū posita est, ac quærenda, Quis fuerit illo tempore Magistratus: Quæ forma Reipub. Quæ leges: Quæ hominū instituta, & mores. Ac quidem communis Magistratus & rex (qui omnibus im-

peraret) nullus ea ætate creabatur: sed (quemadmodum & ipse pudor naturalis à Deo insitus mouebat, & Dei verbum declarat Gen. 4. 7) maiores natu minoribus in eadem familia imperabant, eósque sibi subiectos habebant, ac retinebât, velut Adamus Cainum & Abelêm, quã diu Cainus cum patre Adamo vixit: imo verò etiã Abel Caino fratri maiori natu subiectus erat, in eadem familia manens. Postquam autem discessit Cainus à familia Adami, ipse posteris suis magistratus erat: & inter ipsos Caini posteros maior natu minori, quandiu in eadem familia, atque sub eodem tecto, & autore generis sui manebant. Vbi verò ab eo separabãtur, & familiam seorsim sibi constituebant eiusdem patris liberi, tunc ipsi in suos Magistratus erant, quisque nimirum in illa familia, cuius ipse erat autor & caput. Nemo autem vnus Rex, aut Dominus censebatur, vti dixi, omnium (quæ tunc in Mundo, aut in eadem Orbis Regione erant) familiarum. Itaque nulla tunc erant inter mortales regna, id est, nulla imperia in plures, distinctas, diuersásque familias: nulla totius Orbis Monarchia, quemadmodum postea tamen, id est, post diluuiũ, extiterunt. Id quod ex Dei verbo facilè colligi potest, vbi nulla fit omnino Regum, aut Principum, aut Imperatorũ, similiumq; inter homines potestatum mentio, licèt post diluuiũ earum Moses meminerit, velut Nẽbroti, Melchisedechi, Pharaonis. Idem confirmatur autoritate Platonis in Politico, Aristotelis lib. 1. Politicorum, Iustini lib. 1. Historiæ, Diodori Siculi lib. 1 cap. 1. Itaque, ait idem, qui primi in Orbe terrarum reges fuerint, incertum est. Ex quo apparet ius primogeni-

genitura iam inde à Mundi exordio, & maximè post lapsum Hominis à Deo ipso saltem in eo constitutum fuisse, vt minores natu maioribus in eadem familia parerēt: omnes autem ipsius familiæ autori & capiti. Vrbes habebāt, quas incolebant, & in quibus hoc modo regebantur per familias singulas. Nec enim vnus in omnes inspectionem habebat: sed vnusquisq; in suam dūtaxat, non in alienam familiam. Ex quo apparet, ecqua tunc fuerit Reipub. forma, non Regia, si propriè spectetur: non Aristocratica, neque enim plures, sed vnus maior natu alijs imperabat: nō Democratica, neque enim tota familia velut populus tenebat ius. Quid igitur? Erat duntaxat Paternum in liberos imperium, quod (vt ait Aristoteles lib. 1. Politic. & lib. 8. Ethic. ad Nicomachum) est regio minus: Proximè tamen accedit ad regium, id est, in liberos homines est imperium, non est tamen verè Regium. Pudore enim potius, quàm metu: voluntate, quam vi: spontanea obedientia, quàm pœnis, carcere, & coactione in inuitum illud paternum imperium continetur. Ergo penè parebat vnusquisque tantùm, quantum volebat, & cui volebat. Nulla vis, nulla coactio, nulla manus militaris, nulla pœna adhibebatur, qua parere alijs alij cogerentur, aut etiam rectè viuere: nulli carceres erant: nulla vincula legum incisarum, & promulgatarum, quibus homines in officio, & rationis gyro inuiti continerentur: sed tunc libera erat (exceptâ naturali verecundiâ) parendi, aut non parēdi voluntas. Primum autem imperium minis plenum, sæuum, & tyrannicum natum est in familia Lemechi ab ipso Lemecho in mulieres, id est, in suas coniuges, à quibus sibi ti-

mebat ille propter Polygamiã, vt apparet, Gen. 4. 23: antea verò nullum etiam in fœminas eiusmodi erat, nec etiam erat in mares. Denique, ecquæ leges tunc fuerint, ex superioribus quoque apparet. Nulla enim erãt tunc Leges scriptæ, & edictis pœnisque sancitæ. Reliquæ tamen erant boni, malique notitiæ, ex prima natiua luce (quam Deus hominis mẽti inseruerat) superstites. Hæ erant voces, & testimonia conscientiæ nondum omnino deprauatæ, vel diuturna consuetudine peccandi, vel opinione hominum, quemadmodũ postea fuit, & nunc est. Has lucis primæuæ scintillas nondum obsoletas, & communes boni, in aliq; ἔννοίας homines illo seculo sequebantur, his regebantur velut publicis legibus: quibus tamen neque semper parebant, neque eas etiã tunc retinuerunt illibatas. Verùm quantũ, & quandiu volebant, ijs velut legibus mutis obsequebantur. Ergo paulatim posteri Caini primùm, post etiam reliqui mortales eas ipsas leges ac scintillas, conscientiæque notitias licentia effreni peccandi, pérque magnam iniustitiam suppresserunt, ac tandem penitus deleuerunt, vt nullo prorsus modo sonarent in mente hominum, sed planè cõticescerent. Itaq; illud euenit, quod ait D. Paulus Rom. 1. 18, & 32. nimirum vt homines veritatem Dei iniustè detinerent, occultarent, ac tãdem in sese extinguerent. Denique hæc ipsa docent, Quales tunc fuerint mores hominum, imprimisque posterorum Caini, qui soli (Abele sublato) in Mundo restabãt, qualiaq; eorum instituta, & facta. Primùm, quũ Nemo vnus pro summo imperio in omnes inspectionem & coërcitionem haberet, sed singuli autores solùm in singulas suas, vti diximus, familias, fiebat, vt

vt quanuis in vrbibus habitarent, nemo tamen in istis vrbibus vnus esset eorum omnium Magistratus cõmunis, ad quem recurrerẽt, qui cæteros ad officium faciendum cogeret, maleficia publicè puniret: sed quisque suæ tantùm familiæ autorem spectabat, & sequebatur, ad eũ offensus cõfugiebat, vti nunc etiam liberi læsi ad parentes, serui ad dominos suos solùm refugiunt, vt est Psal. 123: & res ipsa id verum esse declarat. Deinde accidebat, vt maleficiorũ nulla esset publica animaduersio, & pœna, quæ ab hominibus velut Magistratibus infligeretur, tam dissoluta fuit illius seculi disciplina, & forma viuendi. Propter enim lenes in suam familiam affectus facilè suis peccantibus parentes parcebant. Sic manebant inulta scelera. Sic neque Adamus ex nimia lenitate Cainum filium propter fratricidium puniuit vlla publica pœna: sed Deus solus eum castigauit: neq; Cainus ipse in Lemechũ, qui erat ex sua familia propter violatum coniugium & veram scortationem pœnã vllam statuit. Denique factum est, vt esset effrenis hominum vita, sæua, voluptaria, lasciua, licentiáque in peccando immanis tum in Deum, cuius reuerentiam & numen paulatim contẽnere homines cœperunt: tum etiã in homines seu proximos suos, in quos iniurij esse ausi sunt, & ad omne genus flagitij licentiosè dediti, & procliues extiterũt. Interea tamen fuit valde ingeniosa, & industria Caini posteritas, quanquam improba. Nam & Pastoritiam, & Agriculturam artem, & Musicã, & Aerariam, & Ferrariam, & Vrbiũ exstructionem reperit. Imo verò propter tanta Dei in se dona insolẽs, & Dei contemptrix euasit. Cæterùm antequam vrbes

conderentur, homines in pagis & vicis simul habitabãt. Quod autem quærunt nonnulli, vtrum Cainus expulerit Adamum patrem, vt Iupiter Saturnũ iam senem, ex Dei verbo definiri non potest. Et hæc quidem de Ciuili Politia illius seculi: iam de Ecclesiastica videamus. Illa autem ex his quinque spectanda est, nempe Quod Dei verbum in Dei Ecclesia tunc sonabat, & prædicabatur: Quis cultus Dei externus: Quis Minister: Vbi erat & colligebatur Ecclesia, siue Quis locus externo Dei cultui assignatus, ac consecratus erat: Denique ecquod tempus à Deo definitum erat externo ipsius cultui peragendo, ac celebrando. Ac quidem verbum Dei, quod tunc sonabat in Ecclesia Dei, nõ fuit quidem scriptum, erat tamen ore Dei emissum, ab eo ipso traditum Adamo, & pronuntiatum, vti postea idem Deus eodem ore suo Legem in monte Horebo pronuntiauit, Exo. 20 Continebat autem illud Verbum Minas Dei in peccacatum, & Promissionem de futuro Messia & Redemptore mundi, qui nasciturus erat ex semine solius Mulieris, non autem Viri, & qui caput Serpentis seu Diaboli erat contriturus, eiusq; vires fracturus, Gen. 3. 15 Hoc verbũ atque hanc promissionem fide amplexus est Abel, vt est Hebr. 11. 3: atque postea Enoch, vers. 4. Vnde vterq; propterea Deo placuit, & Abelis sanguis Deo pretiosus fuit, & præstantia coram eo loquebatur Hebr. 12. 24. Hoc idem Verbum Dei & firmissimè memoria ad suam cõsolationem retinebat Adamus, & toti familiæ suæ sæpè inculcabat, vti & Minas Dei in peccatum, vt eam doceret viam salutis æternæ, vtque in eam doctrinã posteri futuriq; homines crederent certissimè.

tissimè. Et hæc dè Verbo Dei, & fide, quæ tunc erat. Nondum enim sciebat Adamus ex qua distinctè familia nasciturus erat ille Messias, quem tamen sperabat, quemadmodum postea distinctius id ipsum cognouit Abrahamus, postquam illi à Deo dictũ est, [In semine tuo benedicentur omnes Gentes, Gen. 17] Et magis adhuc perspicuè cognouit Dauid, nempe ex qua domo, & ex sua oriturum esse Messiam, postquam illi patefecit Deus, Psal. 132. 11 [De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.] Ergo per tempora magis inclaruit hæc Dei promissio & fides. Externus verò Dei cultus tunc positus erat in precibus ad Deum, & Sacrificijs, quæ eadem erant Sacramenta quoque. Ac homines direxisse preces suas ad Deum natura ipsa conscientiaq; probat, quæ omnes homines id facere docet: & quòd Sacrificia absq; precibus ad Deũ sint res mutæ, & inanes, vt etiam inquit Plato. Sacrificia verò, quæ Deo tunc offerebantur, erant partim incruenta, velut ex frugibus terræ: partim cruenta, sicut victima, quæ in repræsentationem passuri pro genere humano Messiæ seu Christi mactabantur, & Deo ex fide à pijs offerebãtur. Quare oportuit tunc quoque esse Aram seu Altare, in quo cremaretur victima: & sacerdotem, qui eam offerret Deo: & Preces pro peccatis eius, qui offerret, delendis ad Deum concipi, ne hæc sacrificia essent inane spectaculũ, & mutum theatrum. Porrò eadem hæc sacrificia erãt quoque Sacramenta: nam & ijs (quum erant Eucharistica) epulabantur homines, quemadmodum postea sub Lege, Leuit. 3. factum est (neq; enim omnia sacrificia erant expiatoria, & ἱλαστικά.) Epulum autem illud sa-

crum erat sacramentum & signum donorum & gratiarum spiritualium, & salutarium (velut alimonia cœlestis animarum) quas sese à Deo propter Messiam habere homines pij fatebantur. Et quæ ante Legem fuerunt Patribus sacrificia, illa quoq; fuerunt eisdem sacramenta, & salutis æternæ, & remissionis peccatorum pignora, & significationes. Cæterùm, Minister huius externi ritus & cultus diuini, id est, à Deo ipso sibi instituti, quis fuerit, quæritur. Respondere verò breuiter potest, In singulis familijs quemq; maximum natu fuisse cultus istius externi ac diuini Ministrum, & sacerdotem. Itaque Adamus fuit sacerdos & Minister primus in mundo: post eum maiores natu in ijs familijs, in quibus Dei metus, cultúsque retētus fuit, vti Sethus in sua familia. In summa ex pluribus fratribus semper Primogeniti erant sacerdotes, mortuis patribus, quandiu illi in eadem familia manebant. Fuit enim & hoc ipsum Ius primogenituræ nempe Sacrificare Deo, quēadmodum & regere familiam, illiq; imperare, vti ex cap. 19. 22. & 24 Exod. & Num. 8. 16, & 17 facilè colligitur. Nam in singulis familijs fuerunt sacrificatores, antequam Leuitæ, & Aaronitæ ad id munus à Deo deligerentur. Quod ipsum doctè Cornelius Bertramus obseruauit in libro de Politia Iud. cap. 2, & ante eum Hieronymus Epistola ad Euagrium, Tomo 3. Epistol. Non erat igitur tunc vnus duntaxat summus Sacerdos in Ecclesia, vt postea fuit post constitutam nimirum in Horebo monte Ecclesiam: sed plures erāt, nempe singuli in singulis, ijsque diuersis familijs, vbi verus Deus colebatur. Quod verò Cainus, & Abel in Adami familia

manen-

manentes adhuc, dicuntur tamen sacrificasse. sic intelligendum est, quòd ad Patrem Adamum sua sacrificia Deo offerenda adduxerint ipsi. Adamus autem ea obtulit Deo, vtpote illius familiæ sacerdos: id quod verbi Hebraici proprietas, quo vtitur Moses, [Adduxit] declarat. Porrò postquã à facie Dei, & consortio Adami patris, cœtùque Ecclesiæ fuit à Deo ipso eiectus Cainus propter suum fratricidium, neque ipse legitur Deo sacrificasse: neq; ex eius posteris vlli. Fuerũt enim illi impij, & contemptores numinis diuini. In sola igitur Adami familia, vbi Sethus vixit, mansit & Sacerdotium, & Dei cultus, ac inuocatio, quam retinuit postea Sethus. Locus autem, in quem Ecclesia publicè ad preces & sacrificia cõuemebat, fuit is, in quo Altare sacrificijs destinatum exstructum erat. Qui locus [Facies Iehouæ] dictus est, Gen. 4. 16. Sic Iosua 24. 1 Facies Dei vocatur, vbi erat Arca fœderis, & Deo sacrificabatur. Sic Iona 2. 5. Sic Psal. 84. Sic passim alibi in S. Scriptura Fuit autem is locus & Altare vel in tentorio & adibus Adami, & Primogenitorum: vel in loco aliquo illis vicino, ad quem vicini omnes, totaq; familia congregabantur. Et tot Altaria fuerunt, quot diuersæ familiæ, in quibus verus Deus colebatur, quæ ob locorum distantiã simul conuenire non poterant. Non fuit autem vnicũ duntaxat Altare in orbe terrarum, velut sub Lege: nec vnicus locus vel Templum in toto terrarum Orbe in quod omnes pij simul conuenirent, sed loca plurima. Tempus denique, quo ad preces & sacrificia in ea loca publicè conueniebant singulæ Ecclesiæ Dei per suas familias, fuit Septimus cuiusque Septimanæ dies.

Ille enim dies ab initio mundi fuit sanctificatus à Deo, & suo cultui destinatus, vt facilè intelligitur Gen. 2. 3, Exo. 20. 11. Ergo is fuit solemnis Ecclesiastici conuentus dies. Disciplina ecclesiastica hæc fuit, Quòd Excõmunicationis vsum Deus ipse in Ecclesia instituerat, dum Cainum eijcit à facie sua, & eum censura pœnáque ista primus ferit. Quod genus Ecclesiasticæ pœnæ pij postea, Ecclesiaq; vsurpauit, vt infrà ostendetur. Vtrũ autem ea tota ætate fuerit Idololatria, id est, homines præsertim Caini posteri idola pro vero Deo coluerint, velut Cainum ipsum generis sui autorem, quem Græci Ζῆνα, Latini Iouem postea dixerunt, dubium est. Putat enim Philo Iudæus Idola tunc à Tubalcaino fuisse fabricata & culta. At Epiphanius Idololatriam demum temporibus Tharæ patris Abrahami introductam, notamque fuisse inter Mortales existimat. Sed hæc hactenus.

LIBER



LIBER SEV SECTIO TERTIA PRIMAE MVNDI AETATIS, QVAE CONTINET publicam Nominis Dei Profanationem, & quæ postea vsque ad Annum vniuersalis Diluuij contigerunt.

Habet autem annos à Creatione Mundi, 1655.

A Profanatione Nominis Dei, 1421.

CAPVT I.

Continet Historica XII.



VPRA quidem complexi sumus & extendimus secundum seculum Primæ Aetatis huius Mundi, vsq; ad publicam Nominis Diuini Profanationem, quæ incidit, vt diximus, (atque etiam ex S. Historia facilè colligitur) in annum à Mundo condito 235. Quod tẽpus natiuitas Sethi (qui fuit filius Adami) præcurrit. Natus enim est anno à condito mũdo 130. detractis duntaxat diebus septem, post quos à Deo creatus est Adamus. Ergo frustra iam repeti vi-

deretur illa natiuitas Sethi, quoniā inter illam, & immanem publicúmque Nominis Dei contemptum (qui centum & quinque totis annis postea contigit, si modò concesserimus Mosem ordinem seriemq; temporis esse secutum, quod maximè verum iudico) quoniam, inquā, intra illam Sethi procreationem ex Adamo, & publicam istam Nominis, maiestatisque Diuinæ totius irrisionem, & abiectionem S. Scriptura nullam notabilem ἐποχὴν notat vel obseruat, neque nouum rarumq́; euentu quicquam euenit. Ergo & nos quoque antea totius istius primæ Mundi ætatis faciliùs distinguēdæ, & memoriæ cōmendandæ gratiâ, natiuitatem Sethi sub priore proximéque præcedenti seculo comprehendimus, quā neque nūc repetimus, quoniam suprà à nobis explicata est abundè: sed ab eo, quod coniunctum est cum ista profanatione nominis Dei, ordiemur. Est autem Natiuitas Enoschi seu Enochi ex Setho, à qua ad tēpus ipsum vniuersalis Diluuij tertiam sectionem seu partem seu seculum tertium primæ Mundi ætatis extendimus, & complectimur. Habet autem hoc temporis spatium à Creatione Mundi annos 1656. Ab ipsa Præfanatione Nominis Dei, annos 1421. Præcessit enim tanto temporis & annorum numero Diluuium hæc Profanatio. Continet historica capita duodecim, è quibus est

I. Natiuitas Enochi, seu, quemadmodum alij scribunt, & verius, Enoschi.

ABELE occiso, videbatur spes propagandæ in Mundo Ecclesiæ (postquam extinctus foret Adamus) pror-

sus sublata. Nam solus Cainus eiusq́; posteri viri, licet industrij, tamen impij restabant ac affundebantur, qui & Dei contemptum inducebant in Mundum, & omne vitij nefarij genus. Adamus quidem ipse, & Eua Deũ timebant: sed quoniam erant mortales, prorsus tandem Dei cultus, & Ecclesia post eos sublatos videbatur peritura. Cui malo & desperationi Deus vt mederetur, Adamo Sethum dedit filium, quem illi Abelis pij loco substituit Gen. 4. 25: ac propterea eum Sethum Adamus nominauit, tanquã sibi repositũ à Deo, restitutúmque semen, pium nempe virum eum futurum, & Dei timentem præsagiens. Natus verò tunc erat Adamus annos 130. quum Sethum ex Eua suscepit, Gen. 5. 3. Ergo in Setho denuo instaurata fuit Ecclesia, vel potius prima eius Propagatio condita, præparata, fundataq́;. Nam ex Setho postea natus est Enoschus vir Dei & pius, vti & ex Enoscho alij, quos recenset Moses. Erat autem annorum 105 Sethus, antequã Enoschum procrearet, vllúmque successorem, hæredem & spem continuandæ pietatis & Ecclesiæ, promissionísque illius Dei de futuro Messia seruandæ Mundus haberet: adeo vt totis 235 annis ante hunc Enoschum Sethi filium, Adami nepotem, Dei cultus propagatorem, impietas, iniustitiáque in Mundo fuerit liberè grassata, & per liberos Caini iam plures, atq́; per varias familias & terras iam quoque multiplicatos aucta, confirmata, & cõstabilita, adeo vt publica nominis Dei Profanatio tandem obtinuerit inter mortales, inualueritq́; Gen 4 26. Ergo in Sethi familia & ædibus adhuc velut puella adolescebat Ecclesia Dei, quũ iam in Caini posteris esset.

adulta robuſtáque fraus, improbitas hominũ, malitia, Deiq́; cõtemptio, ſi modò fateamur Moſem in hiſtoria ſua contexenda rationem ſeriémque temporis ſecutum eſſe, quod verius eſt. Quare Boni & pij viri, ex Setho: Mali & impij ex Caino nati ſunt, ac propagantur.

II. *Publica Nominis Dei Profanatio.*

PROPAGATO igitur peruerſo illo Caini genere, nullóque adhuc magno exiſtẽte piorum numero, & ſtirpe ſancta nondum multiplicata in Orbe, prolata, nec in ramos diffuſa, ſequebatur vt magna vitiorũ vis & corroboratio eſſet, magnáque contrà virtutum inter mortales labefactatio, ac tandem earũ interitus ſequeretur. Et primùm quidem in Deum ipſum Homines Caini poſteri iniurij eſſe cœperunt, quem oculis non cernebant: Poſtea verò in proximos, inter quos etiam verſabantur, quoſque oculis ſuis cernebant. Faciliùs enim impij in Deum ſibi inconſpicuum (quémque putant procul à ſe remotum) blaſphemant, eumque contemnunt: quàm proximos ſuos lædãt, quos vident, & cernunt eſſe ſeſe tueri paratos, & ſibi viribus pares, & quos propter communem inter ſe naturam ac ſocietatem faciliùs diligunt, 1. Ioan. 4. 20, Gal. 5. 15. Atque hic Dei contemptus primùm ex immani hominum ambitione natus eſt, qui quum ſe viderent induſtrios & robuſtos, rebuſque tum neceſſarijs ad hanc vitam, tum voluptarijs abundarent: & poſt artes repertas, quum eorum bonorũ omnium laudem ſibi ſuóque ingenio ſacrilegè, non autem Deo vero illorum autori homines iſti tribuerent, facilè eò ſponte vltróque ipſi deuenerunt, & prolapſi ſunt, vt

Deum

Deum ipsum negligerent: se autem ipsos admirarẽtur, & solos spectarent. Ergo Dei contemptus paulatim inter eiusmodi mortales nempe solos Caini posteros (vtpote quum nondum essent vlli Sethi posteri) cœpit: & quidem primùm clam & priuatim, atque in animo cuiusq́; (nemo enim repente, vt habet prouerbium vetus, fuit turpissimus) tum deinde in communi eorum inter se sermone, ac colloquio de rebus, quas sciebant, possidebántque (eas enim a se, non à Deo esse sentiebãt) Denicq́; publicè & manifestè Deum contempserunt, nullo pudore, nullóque vindictæ propterea sibi imminentis timore, quum populariter & passim omnes idem sentirent, & facerent. Ex quo tandem publica, & popularis Nominis Dei profanatio secuta est, id est, Maiestatis, Potentiæ, Sapientiæ, Iustitiæ, Misericordiæ, Liberalitatis, ac Beneficentiæ Dei publica, manifestaq́; contemptio, obliuio, imo etiam irrisio, & subsannatio, Gen. 4. 26. Nec ea modò in cæteris rebus & hominũ actionibus fuit: sed etiã in ipsa Dei inuocatione, & cultu, qui esse inter posteros Caini planè tunc & omnino destitit. Hinc natus Atheismus. Id quod fuit post publicum homicidium Caini, & scortationem publicam Lamechi tertium teterrimum inter homines primi peccati Adami effectũ. Verùm illa singulorum peccata erant: hæc autem Nominis Dei Profanatio fuit publicũ, & commune omniũ penè hominũ, qui tunc in Mundo erant, vitiũ, & scelus, Gen. 6. 4. Iam verò ex eo, tanquam altissimo pietatis gradu homines deiecti, non modò prolabi: verumetiam ruere in omne nefas, scelus, & flagitiũ cœperunt: & quò plures illi ac longæuiores fuerunt, eò peiores corruptio-

résque deinceps euaserunt. Quid enim, sublata ex hominum ore, Dei mentione, & suffocato, deletóque in eorundem conscientijs metu Dei: quid, inquam, inter eos sani, puri, iusti, rectiq; etiam erga alios homines manere potest? Nam vbi Dei veritas & memoria vel prorsus extincta est, vel in mendacium mutata, uel per hominum iniustitiã & vim suffocata: In summa, vbi homines notitiam Dei non retinent, naturã ipsi suam obliuiscuntur, fiúntque ἄστοργοι, superbi, gloriosi, inuentores malorum, oppleti omni iniustitia, scortatione, improbitate, malignitate. Rom. 1.25.26.27.28.29, vti eos postea euasisse quoque constabit ex sequentibus. Atque hoc ipsum fuit velut primus ad Diluuiũ illud vniuersale in Mundum accersendum & inducendum riuus & gradus. Contigit autem hæc Profanatio anno Mundi conditi 235. tam paruo tempore tanta ab hominibus post peccatum mala fuerunt inuecta.

III. Propagatio familiæ Sethi, seu Ecclesiæ Dei.

MVLTIPLICATVM autem est genus Sethi, atque in eo propagata per summam Dei misericordiam Ecclesia vera, Gen. 5. Nam hæc ipsa per huiusmodi familiarum, & hominum aliorum alijs succedentium continuationes conseruata est, atque etiam per omnes Mundi ætates durauit ante Diluuium vsque ad Noachum: Post Diluuium & Noachum ante Legem datam, vsque ad Abrahami vocationem ex Vr Chaldæorum, quo tempore in vna quadam Mundi, atq; etiã

ipsius

ipſius Sethi familia reiectis alijs fundata, reſtricta, & coarctata eſt Eccleſia) Poſt Abrahami vocationē, vſq; ad Legem populo Iſraelitico datā à Deo in monte Horeb per Moſem, durauit in familia Abrahami. Poſt Legem datam, vſque ad D. N. Ieſum Chriſtum, id eſt Meſſiam Regem paſſum pro genere humano in eadem familia, per Iacobum. Poſt paſſionem Meſſiæ ex omnibus mundi familijs collecta eſt, durauitq; ad hæc vſque noſtra tempora per continuā temporis ſucceſſionem, & ad hunc vſque annum à Chriſto nato 1 5 8 7, *quo hæc chartis illinebam. Porrò in his Sethi ſucceſſoribus ſeu poſteris recenſendis plures gradus enumerat Moſes, quàm in poſteris Caini. Hos enim enumerat tantū vſq; ad ſeptimum gradum ab Adamo ſic,* 1. *Cainus ipſe pater & autor ſtirpis & familiæ iſtius.* 2. *Chanochus.* 3. *Hiradus.* 4. *Mechuiael.* 5. *Methuſael.* 6. *Lemechus.* 7. *Iabal. Nam Iubal, & Tubal eodem gradu cum Iabale deſcribuntur. Fuerunt enim hi tres filij Lemechi, Gen.*4. *Illos autem poſteros Sethi ab Adamo (eo non comprehenſo) vſque ad nonum gradum, nempe primus eſt Sethus ipſe fons omniū: ſecundus Enoſchus: tertius Cainā: quartus Malaleèl: quintus Iared: ſextus Henochus: ſeptimus Mathuſala: octauus Lemechus: nonus, Noachus Gen.* 5.6, *& deinceps. In poſteris autem Caini apparet Malorum ciuitas & ſucceſſio: in Sethi verò poſteris, Bonorum, vti dixi, & Eccleſiæ. Ergo in his quidem Sethi poſteris, nepotibus, ſucceſſoribuſq; quos commemorat Moſes, nō tamen in omnibus, manſit Eccleſia Dei: ac proinde in eorum familijs ſolùm pijs ſonabat & cōſeruabatur prædicatio, memoria, & fides*

promissionis Dei de venturo Messia, & futuro ex semine Mulieris: vigebant ac retinebantur in iisdem Sacrificia à Deo fieri in signū illius promissionis iussa: Cultus Dei externus in iisdem familiis exercebatur qualem descripsimus suprà, atq; sibi Deus ipse praescripserat. Iidem hi Sethi posteri, sed pii duntaxat, habebant donum Prophetiae, uti apparet ex libro Enochi, Iudae 14. *& ex dicto Lemechi, Gen.* 5.29, *quae est prophetia de futura Dei inexorabili ira in malos: & Piorū interim conseruatione, custodia, & consolatione. Denique in iisdem illis piis remanserunt Dei dona spiritualia, velut Fides & sānctitas vitae, Externa morū disciplina, Detestatio impietatis, & Studium propagandi regni Dei: sine quibus omnibus nemo est verè pius nullaq; est vera Dei Ecclesia,* 1.*Tim.* 3.15, *Psal.*16.3, *Tit.*2.12.13 2.*Tim.*3.16, 1.*Pet.* 3.20. *Illi verò, quos Moses nominat, pii viri fuerunt Dei Ecclesia, Hebr.*11.4.5.6, *Iudae epist.vers.*14, 2.*Pet.*2.5, *Gen.*7.1.

IIII. *Translatio visibilis, & miraculosa Enochi.*

*SEXTVS ab Adamo, eo non comprehenso, ex posteris Sethi Enochus notoriè, visibiliter, & miraculose translatus est à Deo ex hac terra & è conspectu mortalium in cœlum sursum, locúmque beatum, vbi ad postremam vsque resurrectionem omnium (tunc enim, vt caeteri, repraesentabitur) à Deo conseruatur, fœlix, & vita aeterna fruens, Gen.*5.24, *Heb.*11 5, *Eccles.*44 16, *Sapient.*4.11. *Fuit verò vir ille & pius Gen.*5.22

&

& sanctus, probusq; & hæres, ac præco promissionis Dei de futuro Messia: & ventura in mundũ, & impios (qui tunc securi in suis sceleribus viuebant) immanis & intolerabilis Dei ira, quæ in Diluuio vniuersali postea apparuit, Gen. 6, 1. Pet. 3. 20, 2. Pet. 2. Has autem prædictiones suas de puniendis postea grauissime hominum illius seculi immanibus peccatis ad perpetuam rei memoriam ipsorum improborum terrorem, contráque ad piorum consolationem, & fidem scriptis consignauit, vt docet Iudas Apostol. in epist. ver. 14. Porrò hæc tam mira, & omnibus inopinata Enochi translatio in cœlum fuit, estque perpetuum & certissimũ testimonium Dei summæ curæ & beneuolentiæ erga suos, .i. sui timentes homines etiam in media & generali Mundi huius confusione, corruptione, ac intemperie: fuit arrhabo & declaratio felicissimæ sortis & conditionis, quæ omnibus verè pijs post hanc vitam a Deo reseruatur, illisq; destinata est. Hæc translatio iam prolabentem, & pene penitus vitijs hominum, licentiaq; peccandi (quæ manebat impunita) oppressam pietatem in multis sustentauit, in alijs instaurauit, & impios apertè condemnauit, plerosque in Dei metu retinuit. Publica tamen illa nominis Dei profanatio in maiori hominum parte perdurauit, imo etiam nihilominus aucta est: seque audacia ipsa licentiáque sceleratè viuendi cõfirmauit in peius, neque propterea sese cõpescuit. Ergo ad illud tam mirabile exemplũ pauci homines attenderunt, multi illud contempserunt, maior hominũ pars irrisit, & vera pietas, quæ collabi plurimum cœperat, ruit nihilominus, etiam post translatum Enochum: nec improbi facti sunt

propterea sapientiores, vel meliores, Genes. 6.

V. Corruptio Piorum, ac bonorum virorum per connubia cum filiabus impiorum, & improborum hominum.

ALIQVI igitur hac Enochi translatione confirmati remanserāt pij, verúmq; Deum ex ipsius verbo colentes, & ad exemplum Enochi coram Deo ambulantes, .i. piè, religiosè, sanctè, verè, sincerè, seq; à mūdi illa generali corruptione & nequitia segregantes, qui propterea [Filij Dei] nominātur Gen. 6. 2. Hi tamen ipsi postea interiecto tempore tum sese ipsos corruperunt, tum ab alijs hominibus sceleratis (cum quibus erant, miscebantur, viuebantque in hoc mundo, vt est 1. Cor. 5. 10) deprauati sunt. Ac deprauati quidē, quoniam Corrumpunt bonos mores commercia praua, sicut etiā ipsi Ethnici scribunt, 1. Cor. 15. 33. Est preterea magna vis iam recepta siue honestè, siue inhonestè viuēdi consuetudinis, quæ, vt ait Augustinus, velut tyrānus, nos, quamuis primum obluctantes tandem tamen ad se traducit, & vincit. Corruperunt verò ipsi quoque pij seipsos per infausta connubia, quæ cum filiabus hominū .i. improborum (quæ filiæ & ipsæ quoque erant improbæ, lasciuæ, impiè educatæ) illi viri Dei contraxerunt, Gen. 6. 2. nempe sola earum forma, & corporis venustate delectati, nullā earum impietatis & infidelitatis rationem habentes. Prout igitur illæ mulieres, quantūuis irreligiosæ, viris istis & filijs Dei (qui priùs tales erant) placebant: sic ab illis in vxores ducebātur. Vnde

acci-

accidebat, vt & viri ipsi qui antea pij religiosique fuerant, corrūperentur a suis illis impijs vxoribus, vt Salomon rex a suis, 1. Reg. 11. & qui filij ex eo coniugio nascerentur, impiè à matribus educarentur, quale est exemplum Gen. 26. 34. Nehem. 13. 14. Vnde & ipsi liberi quoque euadebāt similes matribus suis, nimirum impij, & improbi. Atque sic publica illa, quæ iam erat, impietas, improbitasque profana mirificè non tantùm sese confirmabat: verum etiam crescebat in dies & augebatur, Gen. 6. 4, & 5.

VI. Gigantum, & celebrium virorum, qui postea per totum Mundum fuerunt, innotuerúntq́, Procreatio.

CAETERVM ex hoc filiorum Dei cum filiabus hominum connubio nati sunt Gigantes: hominesq́, illi formidabiles & metuēdi, qui tamen postea celebres & memorati fuerunt inter mortales quauis ætate Gen. 6. 24. Hi verò omnium huius seculi hominum potentissimi, robustissimique corpore fuerunt, quos alij propterea perhorrescebāt, ac formidabant. Isti igitur cùm manifestiores, & immaniores contēptores Dei fuerunt, quàm superiores, & Maiores sui, reliquive mortales, qui ea tempestate in Mundo viuebant publicè etiā profani: tùm verò ijdem isti erant in cæteros homines iniurij, propter immēsas corporis vires, quibus reliquos superabant. Itaque suis viribus, suaque industria (Erant enim & hi quoque industrij viri, & idcirco nomine famáque celeberrimi præ cæteris) confidebant, & cæteros

velut se prorsus inferiores per immanem animi superbiam contemnebant. Unde facile prorumpebant ad cæteros lædendos, quum essent absq; metu vel publicæ vindictæ (quæ tunc nulla de sceleribus à nullo Magistratu sumebatur) vel priuatæ ac talionis, quum alij istis propter infirmitatem viriũ obsistere non valerent. Deniq; iam deleto ex eorum, & penè omnium hominum mentibus Dei metu, cultúque: publica inueteratáque iam nominis Dei profanatione recepta: imò omni de Dei potentia memoria prope iam extincta, quid mirũ, si præpotentes isti robustique homines, corpore validissimi, animo superbissimi, nullo cuiusquam hominis terrore retenti, Dei etiam contemptores, Gen. 6. 4, 1. Pet. 3. 20, 2. Pet. 2. 5, Math. 24. 38. & apostatæ à vera religione (quam à suis patribus didicerant, acceperántque) si, inquam, fuerunt & euaserunt nefandissimi hominum, contumeliosi in alios, ac proinde cæteros (si qui reliqui fortassis erant Dei timentes homines) suo exemplo, audacia, & in cæteros autoritate, prorsus corrumperent, deprauarent, audaces ad quodvis scelus facerent? Verùm enim semper illud fuit, [Quales Principes, tales & reliquos esse ciues, Gen. 6. 11. 12, & 13] Vnde ex eo tempore nulla iam publicæ hominum impietatis & iniustitiæ, quæ etiam iam antea vigebat Gen. 6. vincula iniecta sunt, neq; pudore vllo rationéve homines ab vllo maleficio cohibiti fuêre. Hæc autem contigerunt circa annum Mundi conditi pene 908.

VII. Natiuitas Noachi, & Lemechi patris de eo Prophetia.

IAM

IAM verò sic impulso & vrgente Mundo in deploratam planè nequitiam, quum & Dei veneratio in meram illius contemptionem conuersa esset, & quum quoduis audaciæ & superbiæ genus in hominibus regnaret: imo etiam in alios homines quæuis iniustitia & iniuria exerceri à Gigantibus cœpisset, futurum erat, vt postea ne vestigium quidem vllum veræ in Deum pietatis, & in proximos charitatis restaret: nulla vitæ sanctitas, nulla pietas amplius, nullaq́; Dei Ecclesia in mūdo superesset: ac proinde solemnis illa Dei Promissio de venturo Messia mundi redemptore periret, nec impleretur: ni Deus, summâ suâ misericordiâ, huic tanto, támq; desperato malo maturè succurrisset, sapientissimè prospexisset, & potentissimè obuiam iisset. Nam totus Mundus post peccatum primi Hominis non tantùm in malo positus erat, (vti nunc quoque est 1. *Ioan.* 5. 19.) *verùm in desperatam omnino malitiam ruerat, quæ etiā quotidie magis magisq́; crescebat & inualescebat. Ergo Deus sapientissimus eum hominem nasci voluit, in quo (etiam toto Mundo furiosè in omne scelus prolabente) sui tamen metum, verumq́; cultū retineret: & ex cuius semine Messias ille nasceretur, ac proinde promissionē suam post varias hominum ætates impleret: denique in quo (etiam mortuis sublatisque ijs, qui tunc in Mundo restabant, pijs) Ecclesiam tamen suā conseruaret. Is autem fuit Noachus Lemechi viri pij filius, & ipse quoque valde pius, sanctus, iustus si quis vnquā alius. Gen.* 5. 28. 29, & 6. 8. 9, *Math.* 24. 38, 1. *Pet.* 3. 20, 2. *Pet.* 2. 5, *Heb.* 11. 7, *Eccles.* 44 17. 18. *De quo etiam pater Lemechus manifestè & palam prophetauit, fo-*

re, vt illius ætate Deus pios consolaretur, & à malitia illa impiorum deplorata eos liberaret. Impios autem prorsus deleret, Gen 5.29. Quod postea in Diluuio vniuersali sub Noacho cõtigit. Natus est autem Noachus anno à condito Mundo 1056, & ante Diluuiũ 600. ex patre Lemecho pio, & tunc annum 83. agente, Gen.5.28.

VIII. Corruptissimum vitæ genus & modus, in quo omnis caro corruperat viam suam.

CAETERUM & ante natũ Noachum (quod fuit annus 600. ante Diluuiũm, vti diximus: & pluribus adhuc post conditũ Mundum) & post eundem editum, crescebat semper, inualescebat, séque in dies magis ac magis dilatabat, amplificabat, & confirmabat inter homines omnes, & in vniuerso hoc Mundo (quàm latè incoleretur) hominum impietas in Deum, iniustitia in proximos, audacia superbiáque in ijs ipsis. Nam quum iniquitas & vitiositas à primo primi Hominis Adami peccato sese commouere primùm cœpisset, in hominum mentibus paulatim & pedetentim postea sese effudit, & creuit: & quidem clàm primùm & occultè & priuatim in singulorum hominum, qui tunc erant, actionibus tum internis, tum externis (quas tamen non commemorat Moses) semel enim impulsa peccati vis, & concepta in mente hominũ, fœda ratio & volũtas ruit semper in peius, & quotidie crescit. Deinde verò etiam palàm, manifestè, & publicè sese exeruit, & in apertum im-

impudenter eadem nequitia prodijt, primùm in fratricidio a Caino perpetrato Gen.4.8: postea in violato à Lemecho illo, qui impius fuit, coniugio Gen.4.19: tertio loco, in publica & populariter recepta tolerataque Nominis Dei profanatione Gen.4.26: quarto loco, in piorum ipsorum (qui pauci tunc in Mundo restabant) per connubia cum filiabus hominum, id est, cum impijs improbisque fœminis deprauatione Gen.6.2: quinto loco, in Gigantum & filiorum ex eo coniugio procreatorũ publica superbia, audacia, violentia, & immanitate in Deum ipsum, & reliquos homines: Sexto denique loco, in exemplo & imitatione istius Gigantum immanis vitæ, Gen.6.4. quorum facta reliqui homines secuti & imitati, si quid inter eos reliqui erat vel pudoris hominum ratione, vel verecundiæ ipsorum peccantiũ consciẽtiæ respectu, vel metus Dei, hoc omne fuit deletum, & prorsus tandem extinctum. His igitur tot machinis tãdem expugnata est per longum tempus Dei veritas & notitia, quæ in hominibus post peccatum supererat. Tot nempe gradibus sese paulatim in altũ per annos 1656 subuehens, & conscientiæ hominum iustitiaque insitas hominum mentibus à Deo scintillas, sensim cõsuetudine peccandi delens & euertens hominum nequitia impunita, publicáque. Ergo tandem illa effecit, & inuexit turpissimum, fœdissimum, corruptissimum vitæ genus inter omnes & singulos mortales, exceptis omnino paucissimis, velut vna duntaxat, vel altera familia, qualis Lemechi pij, & patris Noachi, & ipsiusmet Noachi, & eorum, quos cõmemorat Moses Gen.5. ex Setho fuisse oriundos. Denique tanta vitæ hominum impiæ, iniustæ,

& inuerecundæ licentia, támque effrenis fuit, vt omnis caro corrumperet viam suam, Gen 6.11.13, id est, vt omnes homines omnem Dei metũ abijcerent omnem hominũ pudorem amitterent, omne testimoniũ conscientiæ in se delerent: se omni sceleri & flagitio (quantũuis immani, impio, horribili) dederent, quovis modo se homines polluerent, blasphemijs in Deum, cædibus in proximos, adulterijs & scortationibus in mulieres, stupris in masculos: denique effectum tãdem est, vt essent homines inter se ἄστοργοι, ὑβρισταὶ, ὑπερήφανοι, ἀπειθεῖς γονεῦσι, θεοστυγεῖς, ἐπευρεταὶ κακῶν, καὶ πεπληρωμένοι πάσῃ ἀδικίᾳ, quales verè eos describit Paulus, Rom. 1.29.30 (ad hũc enim Mosis locum planè collimat illic Paulus, & quod Moses breuiter dixit, Paulus ipse fusiùs explicare voluit) id est, [charitatis expertes, cõtumeliosi seu violenti, superbi, parentibus immorigeri, Dei osores, inuentores malorũ, & pleni omni iniustitia,] & quales quoq; describuntur tum Psal. 58.3. & 4: tum etiã Psal. 64. Ergo tam improbum, támque nefarium vitæ genus non primo quoque die & tempore post peccatum Adami in Mundo obtinuit, ac inualuit: sed paulatim emergens, sensim prorepens, pedetentim gliscens, reliquas boni & mali ἐννοίας hominũ animis à Deo relictas suffocans creuit, donec consuetudine peccandi diutina cõfirmata nequitia illa hominum sese in apertum tandem proderet, & publice ac impunè grassari auderet: ac denique tandem regnaret. Hoc igitur malum, vt docui, per 235. annos in mente hominis, tanquam in aluo matris conceptum est, nempe à peccato hominis, ad Profanationem Nominis Dei. Deinde per annos 821 .i. vsque ad

nati-

natiuitatem Noachi à tempore profanationis nominis Dei æditũ in lucem & cõformatum omnibus suis membris, ac confirmatum est. Denique robustum effectum per annos 600. totos in Mundo regnauit, vsque nimirum ad Diluuium.

IX. Denuntiatio vniuersalis Diluuij in Mundum futuri, à Deo facta primùm Noacho.

PORRO Deus, qui est iustissimus, ac proinde scelerũ vltor grauissimus, quũ videret immanem illam hominum malitiam non modò inualuisse, & quotidie crescere: sed planè & immedicabiliter corroborari, ac regnum obtinere, adeo vt omnes omnium hominum non modò externæ actiones profanæ & improbæ essent: verũ etiam internæ quoque eorundem cogitationes, curæ, & consilia essent & scelerata in Deum, & in Proximum, .i. homines iniuria, Gen. 6. 5, nihilq; aliud homines vel iam apud se meditari, vel priuatim & publicè agere quàm nefaria quæque: quum hũc, inquam, tam miserũ, deploratum, & perditum totius Mundi statum Deus cerneret: homines in deterius semper ruentes animaduerteret, Deum ipsum, vt ita dicam, pœnituit, quòd fecisset hominem, illique animalia subiecisset, & ad vsum vitæ concessisset, eum denique tot donis & beneficijs suis ornasset, Gen. 6 6. Itaque quum hanc nequitiam hominum tantam, id est, tam latè fusam, tam impunitam, tam popularem. tam publicam in se ipsum hominũ impietatem, in alios homines iniustitiã, in illis ipsis intem-

perantiam & insolentiam tandiu, id est, penè iam per totos 821. annos tolerasset Deus, & Mundum, atque adeo terrã ipsam (quæ homines istos ferebat, alebatq;) ex tam diuturno cum sceleratis hominibus & impuris contagio videret prorsus pollutam, Gen. 6 11, & 12, vbiq; impuram (Nam propter incolarũ peccata terra ipsa, quæ ab ipsis habitabatur, Deo exosa est & polluta Psal. 107. 34, Deut. 28) quum, inquam, tam patiens, támque misericors Deus in homines, & quidem tandiu fuisset: neq; illi tamen propterea saniores, sapientioresq; fierẽt, neque vllo pacto resipiscerent, tãdem Deus mundo seu hominibus ipsis, tum eorum ipsorum, tum animalium quoque internecionem cõminatus est, eámque suam cõminationem Noacho viro pio, iusto, & integro, ipsemet, inquã, Deus reuelauit, patefecit, ac prædixit, Gen. 6. 3: nimirum vt eam ipsam hominibus istis impijs denuntiaret Noachus, eósque ad pœnitentiam, vitaque emendationem inuitaret, & reuocaret. Itaq; eadem illa benignitate, qua homines antea ad resipiscentiam exspectarat, ita eisdem spatium adhuc & tempus in futurũ ad pœnitentiã Deus dedit ac concessit, nempe annos totos centum & viginti Gen. 3. 3, quos illis præscripsit, si fortè postquam suam ruinã, imò internecionem, adeoq; etiam omnium rerum & animalium sibi ad vitam concessorum deperditionem ex Noacho illam prædicante audiuissent, resipiscerent, suámque vitam corrigerent, ac in melius mutarent.

X. Natiuitas filiorum Noachi.

INTERIM verò dum publica illa nequitia

non

non tātùm inolescit inter mortales, verumetiā impurè, furioseque grassatur: atque etiā post prædictum a Deo ad homines perdendos diluuiū, nascuntur tamen Noacho liberi, quos ex sua vxore suscipit. Numero autem tres ante Diluuiū illud vniuersale procreat Noachus, quorum nomina sunt Iaphet, Sem, & Cham, Gen.6.10 Eos verò suscipere & procreare cœpit post annum ætatis suæ quingentesimum, Gen.5 32. Inter hos autem Iaphet fuit natu maximus, & primogenitus, sicut apparet Gen.10:21: Cham minimus natu, vt est Gen.9. 24: Sem ergo fuit secundus, ac medius inter hos tres filios Noachi. Id quod consequens est. Iaphetum enim gignit Noachus anno ætatis suæ quingentesimo exacto: Semum verò anno 502, quemadmodum colligitur ex ex Genes.11.10. Porrò non solùm progeniem aliquam Noacho dare voluit Deus, etiam in media Mundi deprauatione, etiam post denunciatam hominum omnium euersionem, ad eum in tātis malis consolandum: sed etiā tres numero, & quidem masculos eum suscipere voluit, vt maior esset pijs relicta spes conseruandæ in posterum quoque Ecclesiæ, quum tot liberi in familia illa pia & sancta nascerentur. Filias verò ante Diluuium non dicitur vllas suscepisse Noachus, quòd ad instaurandum post diluuium hunc Mundum, gentesque diffundendas, fuerunt aptiores mares (nam ex masculorū, non ex fœminarum nomine familiæ vocantur) & quòd filij Noachi habuerunt quisque suam vxorem ex alijs familijs pijs. Ergo Deus Noacho liberos dedit, iam cogitās & decernens & futurum diluuium, & post illud mundum quoque renouandum. In his enim tribus Noachi filijs,

T 2

& Noacho ipso, eorumque vxoribus conseruatum est semen totius generis humani postea propagãdi & spargendi: atque etiam spes noui (qui futurus erat) Mundi hominibus implendi, quemadmodum postea factum est.

XI. Præceptum Dei de fabricanda Arca, in qua paucæ reliquiæ Mundi seruarentur, factũ Noacho, datúmq; à Deo.

SED quum homines ne quidem post eiusmodi Dei grauissimas in se minas à Noacho per plures iam annos denuntiatas emendarentur, Gen. 6.11.12.13, Math. 24.38, Luc. 17.28, Deus decreuit omnino, & quidem breui, quicquid supra terræ superficiem spirabat, delere, & aquis supra terrã immissis penitus perdere, Gen. 7.21.22. Itaque & homines, & animalia omnia, paucissimis tantùm (summâ ipsius misericordiâ) exceptis, quæ Deus ad futuram postea eiusdem rerum generis propagationem, & nouã Mundi instaurationem reseruare voluit. Ac proinde præcepit Deus Noacho, vt Arcam fabricaret, in qua ipse cum vxore, cum filijs suis tribus, & tribus nuribus suis solùm ex hominibus seruaretur in medio terrarum omnium Diluuio, quod statim secutum est, Gen 6.14, 18, & 7.13: & in qua eadem Arca ex puris animalibus septena (quæ marem & fœminam in vnoquoque eorum genere septies haberent) ex impuris autem seu immundis animalibus bina tantùm (marem & fœminam bis cõplectentia) ad tuendum semen eorum post Diluuium, & genus ipsum propagandum seruabantur, & habebantur Dei iussu, Gen. 7.3.8.

7.3.8.9, & 6.19. Sic enim intelligendæ sunt hæ voces, [Bina, marem, & fœminam eius] vt bis mas, & bis fœmina in eo genere significentur, nimirum duo paria, seu quatuor in eo genere animalium capita, duo videlicet mares, & duæ fœminæ: Item hæc verba sic sumenda [Septena, marem & fœminã eius] vt septies mas, & septies in eo genere animalium fœmina sumatur, nimirũ terna paria, & præter ea par septimũ, quæ continent in summa ex eo animalium genere quatuordecim capita: quòd animalia pura & ad sacrificandum Deo, & ad esum hominum necessaria erant. Ergo plura paria ex eo genere seruari iubentur, Gen. 8.20, & 9.3. Animalium verò impurorum nullus tunc erat ad sacra & victum vsus, neque futurus statim postea erat inter mortales. Ergo eiusmodi vas & Arcam Deus fabricari iussit, in qua paucæ omninò illæ reliquiæ mundi iam iam delendi & perituri erant, Dei voluntate, conseruandæ. Sic autem, atque hæc omnia indicata, prædicta, & præcepta sunt à Deo Noacho, Gen. 6.19.20, & 7.2.3.13.14. Sed & formam ipsam, qua fabricanda erat illa Arca, præscripsit quoque eidem Noacho Deus ipse, vt haberet Arca in altitudine 30 cubitos: in longitudine 300: in latitudine 50. Fenestras quoque, quibus à superiore parte clarum lumen hæc eadem Arca reciperet: tectũ in cubiti altitudinem assurgens: demùm ostiũ in latere. Ipsam verò Arcam seu eius internum spatium in tria tabulata, seu mãsiones tres distingui, & distribui Deus voluit, Gen. 6.14.15. Ipsam denique totam introrsum & extrorsũ sedulo pice obduci & picari iussit, & omne ciborum (quibus homines & animalia ingressura vesce-

rentur) genus collectũ in eãdem Arcam inferri à Noacho importari, coaceruariq́; Deus præcipit, Gen. 6. 21 quod satis esset ad omnium in eam intrantium victum.


XII. Diluuium vniuersale in terris à Deo immissum.

QVARE rebus omnibus sic cõmodè ad suæ primum quidem Ecclesiæ conseruationem, postea vero ad Mundi huius instaurationem, denique hominum atque animaliũ propagationem præceptis, & à Noacho præparatis, effectisque, Diluuium à Deo in vniuersæ terræ faciem immissum est, Gen. 7. 1. Nec enim homines resipuerant quãuis & per integros 120 annos minas Deĩ de eo futuro certissimas ex Noacho audyssent, & ipsã Arcam iam paratam oculis suis cernerent. Manebant igitur prorsus surdi cæciq́; ad hæc omnia spectacula, & impœnitentes omnino homines, licèt cõmoniti, excitati, expectatíque à Deo diutissimè fuissent. Imo verò quãtumuis tempus à Deo designatum illis ad pœnitentiam, & à Noacho ijsdem definitum appropinquaret, instarétque proximè, tamen securi, vt priùs, & quasi remoti procul à Dei iudicio suis ceruicibus iam iam tamen imminenti, ludebãt, ridebant, conuiuabantur, epulabãtur, nubebant fœminæ, viri vxores ducebant, Deum omnes spernebant, vt antea. Math. 24. 28, Luc 17. 28, Gen. 6 13: & alij in alios iniurij erant, 2. Pet. 2. 3. Ergo anno 601. ætatis Noachi, Gen. 7. 6, mense eius anni secundo, die decimo eiusdem mensis, nempe diebus septem antequam catarracti cœli rumperentur, imbrésque &

pluuiæ

pluuiæ illæ horribiles (quæ totam terram summerserũt, operuerúntque) è cœlo deciderent. Deus iussit Noachũ cum vxore, tribus filijs, & nuribus suis ingredi in Arcã Gen.7.4. Primus igitur Noachus & filij eius .i. Homines primi in Arcam intrarunt, Gen.7 4.7 8, vt illi animalia in Arcam proximè (Deo sic impellente) ingressura exciperent, & in suos nidos, suásque cellulas & mansiones sigillatim & cõmodè, pro cuiusque Animalis natura & specie, distribuerent, ac collocarẽt. Ergo postquàm homines illi (nimirum octo duntaxat Animæ, 1. Pet.3.20) in Arcam fuerunt Dei iussu ingressi Gen 7 1.2: intra septem dies sequentes omnia tum munda, tũ immunda animalia, quæ Deus in Arca seruari voluit, postea sunt (eodem Deo arcano motu illa ciẽte) ingreßa in Arcam ad Noachum vltrò & sponte, posita sæua, feroci, & crudeli (quæ in quibusdam feris est) natura sua, vt capi, tractari, & pasci commodè & tutò possent à Noacho in Arca, & à filijs eius per totum, quo cum ijs futuri erant, tẽporis, .i. anni spatium. Porrò exceptis ijs tum hominibus, tum animalibus, quæ in Arca tẽpore Diluuij fuerunt, reliqua omnia viuentia & spirantia, quæ tunc erant in vniuersæ terræ superficie, perierunt, velut Iumenta, feræ bestiæ, Reptilia, Volatilia, Gen.7. 22. Pisces igitur eo numero non comprehenduntur, etsi eorum plerosq; tunc mortuos fuisse ob vim illam nimiã aquarum non est incredibile. Reliqua verò viuentia omnia ab aquis suffocata sunt. Illæ enim etiam montiũ, licèt altissimorum, cacumina totis quindecim cubitis superarunt, Gen.7.20. Pluit verò per quadraginta dies continuos effusissimè & copiosissimè è cœlo: Deinde

mare ipsum per se intumuit: Catarracta cœli sese ruperunt: fontes abyssi sese aperuerunt. Vnde tandem fuit infinita & immensa vis aquarum, quæ totam terræ faciem altissimè operuerunt, Gen. 7. 11. 17 18. 19. Atq; sic Diluuium vniuersale fuit, quod viuentia omnia extinxit.



CAPVT II.

Disputata, & agitata quædam in his duodecim Historiæ capitibus.

ANTESTARI primùm omniū libet nos pleráque in quæstionem non vocaturos in hac sectione & Epoche tertia, quæ perplures tamen tum Græci, tum Latini Patres, & Ecclesiastici scriptores velut dubia proponunt, vexántque, propterea quòd illa vel ex falso annorū numero, vel ex non obseruato rerum gestarum ordine promanant, quum suum potius in eis iudicium, quàm Mosis historiam secuti fuerint Patres illi, & annorum numerum ex versione 70, non ex ipso Mose sumpserint, ac supputarint. Itaque hîc & Philo, quanuis Iudæus, in Biblic. Antiquitat. multa perturbata habet: & Augustinus quoque lib. 15. Ciuit. Dei: sed & Zonaras etiā Tomo 1. Animalium, vt alios omittam. Nos autem & seriem temporis, & annorū supputationem, quam Mo-

ſes, id eſt, ipſa veritas habet, ſequimur. Itaque pleraſq; eiuſmodi quæſtionum euitamus.

Ad I. Natiuitas Enoſchi.

Primùm igitur de Enoſchi natiuitate agamus, in qua quæritur Quid nomen [Enoſch] Hebraicè, Græcè verò, ſicut deſcripſit Lucas 3.38, ἐνώς, ſignificet, vtque à voce [Adam] differat. R. Auguſtin. lib. 15. Ciuit. Dei, cap. 17. de hac duplici quæſtione ſic ait, [Enos filius Sethi interpretatur homo, nõ ſicut Adã: Et ipſum enim nomen interpretatur Homo, ſed commune perhibetur eſſe in illa linga (id eſt, Hebræa) Maſculo, & fœminæ. Vnde non ambigitur ſic appellatam fuiſſe fœminam Euam proprio nomine, vt tamen Adam (quod interpretatur Homo) nomen eſſet amborum. Enos autem ſic interpretatur Homo, vt hoc non poſſe fœminã nuncupari periti linguæ illius aſſeuerent, tãquam filius reſurrectionis (Seth enim eſt reſurrectio) vbi non nubãt, neq; vxores ducant. Quare & hoc non in caſſum notandum arbitror, quòd in his generationibus, quæ propagantur ex illo qui appellatur Seth, quũ genuiſſe dicatur filios, filiaſque, nulla ibi genita fœmina nominatim expreſſa eſt. In his autem, quæ propagantur ex Cain, in ipſo fine, quouſque protendũtur, nouiſsima fœmina genita nominatur, vt intelligatur Ciuitatem terrenam, cuius conditor fuit Cain, & initium & finem habere terrenum.] Illius enim radix nimirum Eua nominatur. Terrenam autem Ciuitatem, (quæ in Seth deſignatur) nec generare, nec generari carnaliter. Nec enim ibi erit carnalis generatio, quum nos illuc perduxerit regeneratio. Hæc

Augustinus, quæ certè quidem sunt subtiliora, & omnino haud vera. Nam fœminæ siue vxores ab Hebræis vocantur quoque [Naschim] quasi [Enaschim] ab eodem themate, à quo & vox [Enosch] Ex quo fit, vt illa Augustini obseruatio sit parum firma, & solida. Meliùs igitur vir pientissimus, & literarum Hebraicarum callentissimus, earundemq; regius olim Lutetiæ Parisiorum Professor Ioannes Mercerus sic docuit, Nomen [Adam] ad eius ex humo formationem respicere: At [Enosch] ad conditionem infirmam, imbecillã, ærumnosam, & laboris periculiq; plenam, in quã Homo postea per peccatũ incidit, ac prolapsus est. Vnde summæ infirmitatis significatio in ea voce inest, quæ infirmitas tam ad masculos, quàm fœminas, imò ad gentes omnes, sexum, & conditionem hominum pertinet, vt est in Psal 9.12: [Sciant gentes, inquit David, quod Enosch id est homo sunt.] Et hæc sunt verissima. Nõnulli vocabulum Enosch dici putant, quòd cito homines in obliuionem adducantur. Sic Eusebius lib. 11. Præparat. Euangel. cap. 4. quanquam idem eiusdem operis lib. 7. cap. 3. vult [Enos,] (qui idem est & Enosch) significare id, quod vox [Homo] id est, mortalem, & infirmam conditionem. Alij verò Enosch deriuari putant ab ea radice Hebræa, quæ Desperare declarat. Vnde Enosch illis est desperatus, & violentus. Sic Philo lib. de Nomin. Hebraic. in Genesi. Verùm ista nutant. Ex quo apparet quanta fuerit Caini & Sethi in primogenito quisque suo nominando differentia. Nam Cainus hypocrita & malus etiam postquã à Dei facie pulsus fuerat, & ex Dei Ecclesia eiectus, filium tamen suum pri-

primogenitum appellauit [Hanoch,] id est, eruditum, bene initiatum & morigeratum. At verò Sethus vir pius & bonus vocauit primogenitũ suum [Enosch] .i. mortalem & ærumnosum. Sic fere hypocritæ speciosa omnia spectant & sequuntur, vt videantur ab hominibus: at veri fideles res ipsas ex veritate æstimãt, vt Deo seruiant. Q. Vtrum fuerit Enosch primogenitus Sethi, quum demum anno illius 105 natus dicatur: alij verò, Sethiq; posteri maturiùs liberos susceperint, velut Enosch ipse anno ætatis suæ 90. Kenan: Kenan autem Malahalaelem anno 70: Malahalael anno 65. R. Qua ratione Cainum colligimus ex Mose fuisse primogenitum Adami, quia primus refertur ex eo natus, Gen.4.1.7 eâdem & Enoschum hunc esse primogenitum Sethi dixerimus, Gen.4.26. Sicq; omnes sentiũt, maximéque Iosephus lib.1. Antiquit. Iudaic. cap. 5. & Philo in Antiquit. Biblicis. Quanquam tamen alibi Moses primo loco recenset postea natos, non primogenitos, velut Schemũ inter liberos Noachi, Gen.5. 32, & 6.10, qui post Iephethum tamen natus est ex Noacho. Porrò tradit Moses Sethum post Enoschũ genuisse filios, & filias Gen.5.7. & ex eo Iosephus lib. 1. Antiquit. cap.5. Verùm Philo in Antiquit. Biblic. & numerum, & nomina & filiorum, & filiarum Sethi addit (si quis fortassis existimet id eum scire, etiam tacente Mose, potuisse, vti Paulus expressit nomina Magorum Pharaonis, qui Mosi ipsi restiterunt, nempe 2. Tim 3.8.) Ait enim eum Enoschum postea suscepisse filios tres, & tres filias. Filiorum autem nomina hæc fuisse, Elidia, Phonna, & Matha: Filiarũ verò hæc,

Malida, & Thita, vbi procúldubio nomen vnius deest, estque locus ille mancus, vel non omnium nomina filiarũ sciuit Philo. Q. Vtrum Sethus ipse pater Enoschi sit susceptus ex Eua primus ab Adamo post eius è Paradiso eiectionem, quia quum de Sethi procreatione ageret Moses, addidit, [Genuit filiũ Adam in imagine sua Gen. 5. 3] Alij autem priores Adami filij, velut Cainus, & Abel fuerint ex eo nati in Paradiso ipso, quia de ijs nihil simile scripsit Moses, vt de Setho, tanquam illi ad veram ipsius Dei, non tantùm Adami patris imaginem nati sint, videlicet nondum per peccatum corrupta in Adamo imagine Dei. R. Quum post eiectionem Adami è Paradiso terrestri commemoret Moses Cainum, & Abelem ex eo natos, Gen. 4: dubium non est, quin ille vterq; neque in Paradiso conceptus sit, vt nonnulli tamen putant, neque etiam natus: sed extra Paradisum. Secutus enim est Moses in hac Historia sacra cõtexenda rationem, atq; seriem temporis. Quid autem hac verba [Genuit Adam ad imaginem sui Sethum] notent, & cur addita fuerint, est à nobis antea explicatum.

Ad II. Publica nominis Dei profanatio.

Iam verò ad publicã Nominis Dei Profanationem accedamus, In qua quaritur, Quid verba hac Mosis significent, [Az Huchal Liqra beschem Iehoua, Gen. 26] R. Multa sunt hîc & varia multorum sententia. David Kimki eruditissimus Hebraeorum sic interpretatur, [Tunc profanatum est, in inuocando, nomen Dei.] Alij sic, [Tunc profanata est inuocatio nominis Dei.]

Nonnulli verò, [Tunc cœptũ est profanari nomen Dei] Et hi quidem docti, peritique, siqui alij, lingua Hebrææ, quorum sententia eò redit, vt doceat Moses tunc (.i. sub tempus natiuitatis Enoschi) publicè & populariter ab hominibus, qui tunc erãt, profanatum fuisse Dei nomen, & cultum. Verùm hæc interpretatio displicuit alijs, contrariumq́; huic superiori sententiæ sensum propterea affinxêre his verbis: Sic igitur illi hæc verba Mosis explicant, [Tunc cœptum est inuocari Nomen Dei.] Alij sic, [Tunc cœptum est ad inuocãdum nomen Dei.] Denique quidam ex illis sic, [Tunc cœptum est vocari de nomine Dei,] quòd videlicet tunc cœperint homines de Dei nomine appellari, quoniã quidam Filij Dei dicti fuerint, vti Gen.6.2, quosdam vocat Moses ipse filios Dei: quasi nimirum Moses de stabilita inter homines Dei inuocatione, non autem de Nominis illius profanatione agat. Cyrillus lib.9.contra Iulian.sect.1. longè abest à sententia Mosis: Vult enim hîc ostendi à Mose Enoschum ab hominibus sui seculi vocatũ fuisse Deum, honoris & pietatis, quam præ se ferebat, ergô. Omnium verò lõgissimè Augustinus lib.15.Ciuit.Dei, cap.18. à vera huius loci mente discedit, quũ hîc prophetiam de exorituro postea populo pio contineri scribit, his verbis, [Hic Enoschus sperauit inuocare nomẽ Domini Dei. Quid sibi vult, Sperauit inuocare, nisi quia prophetia est exoriturũ populum, qui secundum electionem gratiæ inuocaret nomen Domini Dei?] Hæc Augustinus. Cæterùm ipse Dauidis Kimki sententiæ atque interpretationi subscribo, eámque sequor. Hîc enim de publica nominis, cultúsque Diuini profanatione

& contemptu (qui tunc popularis inter homines esse cœpit) agit Moses: & gradus describit, tū quibus ad tam horribile scelus peruentum est: tum etiam quibus tādem omnis caro corrupit viam suā, ac propterea diluuium illud, atque tremendum Dei iudicium in Mundum vniuersum est effusum, Gen. 6. Sunt autem hi: Primus quidem, Peccatum ipsum primum primi hominis: Secundus, Fœtura, quam in singulorū hominum animis & cordibus clàm & priuatim semel cōcepta corruptio & infusa vitiositas ex primo illo Adami peccato pariebat & proferebat: Tertius, Publicum Caini fratricidium: Quartus Stuprum, violatióque coniugij publicè à Lemecho (qui fuit vnus ex Caini posteris) inducta: Quintus, Ipsa publica iam neglectio omnis veri cultus Dei, & pro eo profanatio contemptióque nominis ipsius publica, ergo & alterius, quàm veri Dei inuocatio. Diuiniq́; cultus noua institutio ab hominibus facta est. De quibus vide Epiphanium initio lib. 1. cōtra 80. Hæreses. His enim tot gradibus ad immane istud flagitium deuentum est, vt Dei nomen ab hominibus populariter, ac publicè contemneretur, quū tot improbitatis, & quidem inultæ, publica exempla viderent homines in mundo, quum in tota Caini familia (postquā ipse à Dei facie fugisset Gen. 4. 16.) ac proinde in eius posteris iam cessasset, ac intermissus esset verus Dei cultus. Ergo qui inter istos homines, nimirū Caini posteros, supererat ex veteribus humanæ mentis & lucis reliquijs metus Dei, & illius Maiestatis sensus, honor, & tremor, ex hominum istorum animis deletus & extinctus est. Quæ fuerunt tristissima peccati primi hominis effecta: & ad sequen-

quĕtem hominū omnium (paucissimis omnino exceptis) corruptelam teterrimam, deprauationemq́ʒ fœdissimā certissimus gradus, & proclinissimus faciliimusque lapsus, denique iustæ Dei in vniuersum Mundum iræ caussa. nam in verū Deum impietas est scelerum omniū fons: contráque vera fides & religio mater, vt ait Augustinus, omnium virtutum. Quum igitur Cainini posteri (necdum enim alij in Mundo erant, nec vlla alia adhuc familia creuerat) & homicidia in domo sua, & adulteria publica, atque ab hominibus impunita cernerent: quum nulli communi ac potentiori, quàm ipsi singuli essent, Magistratui parerent: quum voluptatibus omnis generis lasciuisque cantionibus dediti essent: quū arma, prout cuiusq́ʒ ferebat audacia, tractarent: quum denique inter eos, maximéque in auita illa Caini domo (in quam omnes illius posteri oculos conijciebant) verus Dei cultus iam cessasset, quomodo in publicam nominis Dei profanationem illi ijdē homines non facilè ruerent, aut laberentur? Improbitatis enim & nequitiæ seu licentiæ hominum coërcendæ frænum ac vinculum proculdubio summum, est veri Dei metus, & cultus: qui vbi cessat, omnia in peius ruunt: vbi retinetur, virtus viget, vitiū decrescit. Præclarè enim in Agesilao Xenophon, Ὅπου γὰρ ἄνδρες θεὸν μὲν σέβοιεν, πολεμικὰ δὲ ἀσκοῖεν, πειθαρχίαν δὲ μελετῷεν, πῶς οὐκ εἰκὸς ἐνταῦθα πάντα μεστὰ ἐλπίδων ἀγαθῶν εἶναι, *id est, [Vbi enim Deum colunt homines, arma tractant, Magistratibus parent, quomodo non credibile est illic omnia bona spe plena esse?] Quod verò stabilitam tūc demum nominis Dei inuocationem nonnulli ex eo loco existimant, idque à Mose dici, fru-*

stra est. Nam & Deus antea inuocabatur, & ipse cultum suũ hominibus praescripserat, & declararat, eumq́ retinebat Adami familia. Sed ordo historiae ipsius postulabat, vt quibus de caussis Deus diluuium in terram immisisset, hominésque (quos ad sui imaginem condiderat) prorsus deleuisset, explicaretur à Mose. Id quod ille fecit: Itaque gradus, quibus sensim omnes homines ad summam primùm impietatem in Deum: deinde Iniustitiam in proximos peruenerunt ordine recitat, & proponit. Atq́ haec quidẽ est mea de hoc loco sententia.

Q. Inter quos tunc cœpit haec publica Nominis Dei profanatio? R. Quidam existimãt etiam inter Sethi posteros cœptũ esse profanari nomen Dei, propterea quod tota Caini familia iam vero Deo seruire desierat, eiúsque cultum (quum Cainus pater à facie Dei eiectus esset, & extra Ecclesiã) sequi, & retinere. Quãobrem hoc de Sethi posteris, qui nondum Dei cultum violarant, dictum malunt. Ego verò de solis Caini posteris ista sumenda iudico. Quum enim cœpit nomen Dei profanari, nulli dum erant posteri Sethi, vtpote quum illa profanatio cœperit sub tempus natiuitatis Enoschi, quemadmodum ait & quidem disertè Moses, Gen. 4. 26. Fuit autem hic Enoschus, vt antea demõstrauimus, primogenitus Sethi. Quanquàm autem Caini posteri verum Dei cultum non retinebant, publicam tamen illam nominis, cultusq́ Dei profanationem adhuc nec excogitarant, nec admiserant, quam sequenti tempore tamen, vt hîc docet Moses, sequi, & amplecti cœperunt. Itaque tũc demum manifestè publice & populariter profanari inter eos cœpit nomen, veneratioq́ veri

veri Dei, quod antea nõ fiebat. Hoc autem publicæ impietatis a Caini familia primùm introductæ, & postea in ea sola diu retentæ exercitæq́ exemplum secuti sunt postea & suo tempore posteri Sethi, nempe postquam ipsi multiplicati essent in terra, & filias hominum in vxores accepissent, non autem prius, meo iudicio, Gen. 6. 2.4. Tunc enim (exceptis omnino paucis) & illi quoque posteri Sethi pleriq́ ferè omnes defectores à Deo fuerunt, quũ antea tales non essent, sed pij essent. Ergo multis antea seculis in Caini familia ea profanatio nominis Dei cõtigit, vt ordo seriésq́ conscripta à Mose historiæ docet. Ferè enim inter hanc profanationem publicam, illiúsque inter Caini posteros initium, & eandem ad posteros Sethi deriuatam intercedunt anni 287, vt colligi potest ex Gen. cap. 5. Eam enim deriuationem colloco in tempus Iaredi, id est, nati quidem, sed non translati adhuc Chanochi. Translatus enim est a Deo, vt defectores ex Dei familia potissimũ percellerentur metu, & vt boni, qui in Dei cultu perstabant in eadem familia, confirmarentur, ac recrearentur. Atque hanc meã sententiam confirmat Epiphanius lib. 1. contra hæreses his verbis, Ἀδὰμ δὲ παῖς Σὴθ, υἱὸς δὲ τούτου Ἐνὼς καὶ κατὰ διαδοχὴν Καϊνὰν, Μαλαλεὴλ, Ἰαρέδ· ὡς δὲ ἡ παράδοσις ἡ εἰς ἡμᾶς ἐλθοῦσα ἐντεῦθεν ἤρξατο ἡ κακομηχανία ἐν κόσμῳ γίνεσθαι, *id est, Adami filius Seth, filius autem huius Enos, & per successionẽ Kainan, Malaleel, Iared. Vt verò maiorum traditio, quæ ad nos peruenit, habet, tunc cœpit illa famosa nequitia in mundo esse. Hæc Epiphanius. Verùm Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 4. videtur demum septimæ generationis Sethi tempori hoc attri-*

buere, quasi sub Mathusale patre pij Lemechi: non sub Iaredo patre pij Chanochi haec euenerint. Ego verò potius Epiphanio assentior, eumque sequor. Q. *Qualis fuerit ista nominis Dei Profanatio, & quid significet.* R. *Synecdochica est locutio in voce [Nominis] & verbo [Inuocare.] Nec enim Nomen ipsum Dei duntaxat, .i. ipsius appellatio fuit profanata, velut, Quòd Dei nomen in vanum sumeretur, per Deum temerè & iuraretur ab istis hominibus, & peieraretur, & denique sanctum illud Dei benedicti Nomen (quod priùs sacrosanctum inter homines fuerat) blasphemaretur: verùm etiam quòd Dei Potentia, maiestas, iustitia, sapientia, misericordia contemneretur, sperneretur, irrideretur, negaretur. Nec id quidem solùm, dum in publicis cœtibus aderant homines ad Deum colendum, & inuocandum (nec enim gens vlla religione aliqua caruit) verùm vbique, & quoties vel conscientia contemptores istos arguebat: vel ipsius Nominis Dei appellati, interpositi, inuocative ab alijs hominibus reuerentia, & obtestatio istis profanis proponebantur, Dei Nomen isti impudenter, & impiè profanabãt. Ergo in vniuersum Dei contemptus, præsertim in ipso Deo colendo & venerando inualuit inter illius seculi homines .i. Caini posteros, quæ postea tamen etiã ad posteros Sethi quoq; dimanauit. Ergo idola tunc pro vero Deo culta sunt, vt scribit Philo in Antiquit. & verus legitimusq; cultus Deo præstari inter eos desiit, quemadmodum ait Iosephus lib. 1. cap. 5. Antiquit. Denique Epiphanius his verbis illam Profanationem describit quibus intelligatur ipsa fuisse tristissimum peccati effectum, quòd Dei*

metum

metum omnem & verum cultum inter homines extingueret, & quæ Profanatio impietatem pro pietate, infidelitatem pro fide in Deum doceret, ac proueheret: quanquã idem Epiphanius censet post Diluuiũ demum idola & Thara temporibus introducta in mundum: hoc verò tempore nondum fuisse recepta. Contrà, Tertullianus in lib. de Idololat. ea tunc in Mundum putat inducta. Nec enim, ait idem Epiphanius, Adamus fuit idololatra, nec simulacra, vel aliud quicquam, præter verum Deum, adorauit. Imò etiam Propheta fuit Adamus, sciebátque Patrem dixisse Filio, [Faciamus hominem ad imaginem nostrã, Gen. 1] Ego Tertulliano non assentior. Atq; hæc est prima mali, quod mundũ postea inuasit, labes, nimirum impietas in Deum, quæ totius probitatis & iustitiæ postea labefactationem secum intulit mundo. Hic maximus eius rerum omnium confusionis (quæ inter homines postea fuit) impulsus, & gradus ad eum Mundi teterrimum statum, quem idem Epiphanius vocat Barbarismum lib. 1. Tom. 1. contra Hæreses.

Ad III. Propagatio familiæ Sethi.

Iam verò ad tertium Historiæ caput accedamus, in quo agitur de Propagatione piæ familiæ Sethi viri pij: In qua primùm quæritur, Cur plures gradus in recensenda Sethi progenie numerentur à Mose, quàm in posteris Caini, quum tamen hi, sicut & illi ad tempus Diluuij & generarint, & superfuerint. nam in Caini stirpe & prosapia recitanda Moses subsistit in Iubal impij Lemechi filio, qui fuit ab Adamo (eodem non compre-

henso) septimus, sic nẽpe Cainus, Chanochus, Hiradus, Mechuiael, Methusael, Lemechus, Iubal. Ergo subsistit in septimo eius gradu. In progenie verò Sethi describenda peruenit vsque ad Noachum Lemechi pij filium, qui fuit decimus ab Adamo, si ipsum Adamum in eo numero complectaris, sic nempe, Adamus, Sethus, Enoschus, Kainan, Malaleelus, Iaredus, Chanochus, Mathusael, Lemechus, Noachus, quemadmodum & Iosephus lib. 1. Antiquitat. cap. 5: & Epiphanius lib. 1 contra Hæreses: & Augustinus lib. 15. Ciuit. Dei, cap. 20 etiam scribunt: sed imprimis Moses. Dempto verò Adamo, nouem tantùm generationes Sethi recensentur. Addito verò Adamo in Caini prosapia, gradus sunt octo. Nam Patres, qui eos solùm septem faciunt, etiam coniuncto Adamo, subsistunt in Lemecho impio, ad Iubalem vsque lineam non perducunt, quod tamen fieri oportuit. R. Varia sunt variorum de hac graduum in his duabus familijs Caini, & Sethi diuersitate philosophamenta, sed imprimis Augustini. Is enim loco iam citato præcisè septenario graduũ posteritatis Caini numero inhærens, ait tres postea illi numero adijci à Mose, vnde fiãt vndecim personæ in posteris Caini, quo numero in S. Scriptura, vt idem ille vult, peccatum significatur: vti per denarium numerum virtus & obedientia Dei, quoniam Lex ipsa Dei decem præceptis continetur. [Progenies ergo Adam (inquit Augustin.) per Cain sceleratũ vndenario numero finitur, quo peccatum significatur: & ipse numerus à fœmina clauditur, à quo sexu initium factum est peccandi. Nam & ipsa filia Lemech Noema voluptas interpretatur. Per

Seth

Seth autem ab Adam vsque ad Noé denarius insinuatur legitimus numerus.] *Hæc ille subtilius, meo quidem indicio. Itaque idem eodem loco rationem aliam, & quidem probabiliorem affert, Cur Moses in recitandis Caini generationibus substiterit in Lemecho, non à numero isto septenario, vel vndenario petitam, his verbis,* [*Potuit autem viuente adhuc Lemech, atque regnante fieri Diluuium, vt ipsum cum alijs omnibus hominibus, exceptis qui in Arca fuerunt, quem perderet, inueniret. Et idcirco non vnus filius Lemech, sicut in cæteris superiùs, sed plures commemorati sunt, quia incertũ erat quis ei fuisset mortuo successurus si regnandi tempus inter ipsum Lemech, & diluuium remansisset.*] *Sic igitur piũ illud Augustini pectus, ne cuiquam, quãtumvis malitioso, relinqueret calumniandi verbũ Dei, & hanc diuersitatem, occasionem, seipsum retractauit, & veriorem illam rationem conquisiuit. Ego autem sic sentio, Plures gradus ex posteris Sethi fuisse descriptos, quòd continua successio Ecclesiæ à Mundo condito ad Diluuium vsque pijs proponenda erat, quorũ caussa hæc scribuntur: vti eiusdem successio cõtinuatióque Ecclesiæ Dei post diluuium ab eodem Mose seriatim narratur. Caini verò Genus vsque ad Diluuium continuũ non fuit enumeratum, quoniam illud à pijs sciri eatenus intererat, quatenus aliqua Dei dona, eáque egregia in eo extiterant. Quæ vsque ad Noemam filiam Lemechi durarunt. Quũ autem ea esse desyssent: neque post diluuium hoc genus hominũ superfuisset, sed in diluuio totum peryisset, desyt quoque eius meminisse Moses, & seriem illius describere, vtpote quod neq; propter dona*

Dei, neque ad cõseruationem, neque ad propagationem futuram generis humani cognitu necessarium: amplius erat: sed potius ob scelera sua execrandum. Q. *Cur nullius mulieris in huius posteritatis, .i. Sethi descriptione nomen additum est, quum & ibi quoq; filiæ sicut filij, id est, fœminæ sicut mares, fuerint: & in Caini generationibus Noema filia Lemechi nominatim & disertè cõmemorata fuerit.* R. *Nequaquam id factũ esse, quia inter filias & fœminas, quæ ex Sethi posteris natæ sunt, nulla vel verè pia fuerit (nec enim ullæ ex diluuio seruatæ à Deo fuissent) vel industria mulier, qualis illa Noema, quæ propterea de nomine appellatur: sed quia ad historiæ seriem ea res minimè pertineret. Breuitati verò studuit Moses. Noema verò illa, quam refert Moses Gen. 4 22. præter sexum fabricæ & officinæ ærariæ intenta fuisse videtur, atque vel propterea, vel ob formã, cuius abusu postea nocuit Mundo, innotuisse. Quare non in laudem, sed potius in probrum eius meminisse Moses videtur, vti Dina filia Iacobi. Porro istius rei rationem aliam profert Augustinus, libr. 15. Ciuit. Dei, cap. 17: quam apud eum legat, qui volet: suprà nos eam exposuimus.* Q. *Cur posteri Sethi homines pij acceperunt quædam nomina impiorum hominum, nempe posterorum Caini, vel saltem illis cum improbis istis communia quum Psal. 16. 4 ista nominũ communio damnari videatur. Habuerunt autem hæc nomina communia, vt apparet toto capite 5. Geneseos, nempe [Kainã, Chenoch, Mathusael, Lemech.] Porro [Tubal, Iubal, Iabal] nomina sibi accommodasse nõ leguntur filij Sethi.* R. *Non ad morum imitationem*

sum-

ſumpſerunt pij nomen impiorum: ſed ob egregiam eiuſmodi appellationum ſignificationem, vt hac ratione vel de ſorte ſua miſeriáque humana:vel de ſuo officio commonefierent pij. [Kainan] enim lamentationẽ deſignat, in quo vocabulo humana miſeria notatur. Philo tamen [Poſſeſſionem] vt in Caino, notari putat. Ego verò potius vt in Abele, luctũ, queſtũ, & lamentationem. [Chanoch] eſt eruditus, ac bona diſciplina imbutus, aut etiã, vt vult Philo, & alij, dedicatus Deo. Euſebius tamen lib.7. Præparat. Euangel. cap. 3 Gratiã interpretatur. [Mathuſael] mortis cupidus & ſepulcri, quòd conditionem homini per peccatum impoſitam refricat. [Lemech] eſt attenuatus, pauper, & deiectus, quæ ſignificatio notatióque hominis nos ad modeſtiã animi, ſenſumq́ noſtra οὐδενίας reuocat. At verò [Tubal, Iubal, & Iabal] viſa ſunt pijs nomina nimium vel ſuperba, vel infauſta. Quamobrem eadem ſibi ſumere noluerunt. [Tubal] enim eſt Orbis totius appetens, vel permiſcens ac confundens multa: quod vtrunque eſt reijciendum. [Iubal, & Iabal] eſt Perdens, ſiue deſolans: quæ ſunt infauſta nomina, quanquam Philo, & alij aliter ea interpretantur. Porrò [Iared] eſt Subiectus, & inferior: [Malaleel] Laudans Deum: [Noachus] Quietus, ſeu pacem afferens, quæ ſunt reliqua piorũ appellationes, quorum meminit Moſes ex Setho deſcendentium, Gen. 5.

Q. Quid poſteri Sethi (in quibus ſolis ante diluuiũ durauit Eccleſia Dei) habuerint melius, præſtantiúſve, quàm poſteri Caini, quũ & ipſi, ſicut Cainini, ſeſe poſtea corruperint, & diluuio, vt hi, quoque perierint, paucis exceptis nimirum octo duntaxat perſonis, 1. Pet 3.20

Gen.6.17, & 7.21.22.23. Denique quum nullius artis laus huic Sethi progeniei tribuatur: multas autē artes inuenerint posteri Caini, vti diximus, & docuit Moses. Gen 4 20.21. R. Iosephus lib. 1. Antiquit. Iudaic. cap. 4, & ex eo postea Zonaras lib. 1. Annaliū scribunt in duobus hisce posteritatem Sethi feliciorem fuisse posteris Caini: Primùm, quòd quum Sethi liberi boni fuissent, felicissimè in sua terra cum patre suo Setho vixerunt, ac cōmorati sunt absque ulla vexatione. Nihil enim, ait, crudele ijs prouenit vsque ad terminū vitæ. Deinde, quòd ijdem hi disciplinam rerum cœlestium, motúmque cœli & Astrorum repererunt, quum posteri Caini in rerum tantùm terrenarum cognitione versarentur, seque occuparent. Verùm posteri Caini, qui fuerunt improbi, hos quoque mites homines vexarunt, & Gigātes omnia cædibus, rapinis etiam in familijs Sethi impleuerunt vt non videantur magis tuti fuisse, quam reliqui mortales: & quum essent posteri Caini Agricolæ, & Pastores, disciplinámque à Patre Caino (quam ille ab Adamo, vti & Sethus, acceperat) retinerent, nequaquā verisimile est eos ignorasse res cœlestes, velut motum Solis & Lunæ, conuersionémque Astrorū, quæ ad huius vitæ corporeæ cōmoditatem maximè pertinent. Sunt enim in hisce rebus filij huius seculi prudentiores filijs lucis, Luc. 16.8. Ergo, meo quidem iudicio, nutat Iosephi sententia. In quo igitur fuit περισσὸν, *vt loquitur Paulus Rom. 3.1, id est, præstantia filiorū Sethi? nimirum in donis Dei spiritualibus, & salutaribus. Nam quemadmodū Deus dederat posteris Caini dona terrena & caduca (qui posteri sunt fuéruntque ciuitas*

uitas illa terrena & mortalis. quam confert cum cœlesti & explicat Augustinus) sic bona spiritualia & salutaria dedit filijs Sethi, in quibus erat Ecclesia vera. Ergo verus Dei cultus inter eos erat ex ipsius Dei verbo & ore descriptus, nempe Sacrificia, & Sacramenta. Inter eos erant, repetebantúrque articuli fidei: etsi non pleni, Heb. 6. Nam durabat memoria, repetitioq́; salutaris illius promissionis Dei de futuro Messia Redemptore generis humani ex semine solius Mulieris, ac proinde fides iustificans in ea sola familia erat, Gen 6.8: Inter eos erat donũ Prophetiæ de vita æterna pijs reseruata, de futuro Dei in impios cùm vniuersali iudicio, tùm etiã de diluuio certissimè in eos euẽturo, quod vtrumq́; prædixit prius Chanochus vnus ex posteris Sethi, vt testatur etiam Tertullianus in lib. de Idololatria: item & Lemechus nascente Noacho. Inter eosdem denique posteros Sethi diu disciplina morum retenta est, & detestatio impietatis in Deum, & iniustitiæ in homines, vt apparet ex vita Chanochi, Lemechi pij, & Noachi qui mores hominum sui temporis dissolutos aperte damnarunt, Gen. 6.8.9, & 7 13 & 8.1, Heb. 11.7, 1. Pet. 3.20, Iud epist. vers. 14. Euseb. lib 7. cap. 3 Præpar. Euangel. Perierunt tamen postea diluuio, vti & cæteri, id est, posteri Caini, quia sese, quemadmodum & illi, postea corruperant, paucis tamen demptis, in quibus Deus suam Ecclesiam, atque illa dona sua conseruauit. Ergo omnibus modis Sethi posteritas felicior fuit, quã Caini. Q. Vtrum tunc verbum aliquod Dei fuerit, extiteritq́; scriptum. R. Ante Chanochi pij ætatem nullum videtur fuisse verbum Dei scriptis literísque

mandatum: Chanochus autem ipse librum edidit, Iud. epist. vers. 14, in quo ira Dei grauissime in impios, & illius seculi homines continebantur: & in quo Excõmunicatio acerbissima nimirum Anathema Maranatha, vt vocat Paulus 1. Cor. 16. 22. aduersus eos fulminabatur, atque pronũtiabatur: in quo denique homines de extremo Dei Iudicio, Vita fidelium Deo credentium æterna, & Ira Dei in iniustos admonebantur. Sic enim nonnulli locum illum Pauli explicant, & cum vers. illo 14. Iudæ comparant. Videtur autem primũ Dei verbum scriptum extitisse circa annum à Mundo condito sexcentesimum octuagesimum septimum, nimirum post natum ex Chanocho Methuschelechem, & post annum ipsius Chanochi 65: A publica verò Profanatione nominis Dei, 452. Huius autem Chanochi libri meminit Tertullianus in lib. de Idololatria, & lib. Duodecim Patriarchar. Testamentum qui vocatur, citatúrque ab Origene, & Procopio, Græcis scriptoribus. Sed idem Tertullianus quoque libri Chanochi facit mentionem in lib. de Habitu Muliebri. Cæterùm, quod scribunt Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 4. & Zonaras lib. 1. Animalium, duas columnas (vnam lapideam, alteram lateritiã) iam inde ab ipsius Adami temporibus collocatas, in quibus & futurum Diluuium, & quas artes quisque reperisset, erat descriptum, ac proinde scripturam ante Chanochi ætatem fuisse, hoc ex Mose probari non potest, neque ex vllo alio S. Scripturæ loco. Credat tamen qui volet. Illarum enim columnarum (sed quas à Chaldæis positas dicit) meminit etiam M. T. Cicero lib. 1. de Diuinat. Ioannes Annius Viterb. in Berosum. Hæ

verò

verò differunt & à Saturni, & à Dionysi Bacchi Columnis, quas vocat Dionysius Alexandr. de Situ orbis: quarum illæ in freto Gaditano ad Occidentem: hæ in India ad Orientem sitæ sunt. Aliæ quoque sunt columnæ illæ binæ, quæ in Aegypto fuerunt, vt scribit Diodorus Sicul. lib. 1. cap. 2, quarum vna Isidi, altera Osiridi dedicata fuit. Q. Quomodo anni vitæ Patrum illorũ sunt supputandi, vtrum Solares, an Lunares: menstrui, an plurium mensium, quum dicantur vixisse nongentos, octingentos, septingentos, sexcentos annos, Gen. 5. R. Eusebius lib. 8. Demonstr. Euangel. cap. 2. scribit Hebræos exegisse annum suum ad cursum Lunæ, qui totis vndecim diebus est minor, quàm annus Solaris. Ergo supputationem illam annorum de Lunaribus, nõ autem de Solaribus annis vult esse intelligendam. Augustinus lib. 15. Ciuit. Dei, cap. 12. ex aliorum sententia refert annos illos fuisse decimam tantùm partem nostri anni, adeo vt nongenti illius seculi anni sint ex hac interpretatione nonaginta duntaxat anni nostri. Et certè diuersam fuisse annorum definiendorum apud diuersos populos rationem tradit Plinius lib. 7. Natur. Hist. Cẽsorinus, & Solinus Polyhistor, cap. 3. Alij enim Annũ solùm mensium trium, alij quatuor, alij sex constituunt. Diodorus Siculus lib. 1. cap. 2. scribit apud Aegyptios annum triginta tantùm diebus constitisse: atque eos annos intelligendos, quum homines nõnulli dicuntur mille, vel nongentos, vel octingentos annos vixisse. Verùm vt tota hæc controuersia placetur, & quomodo anni illi sint supputandi intelligatur, Augustinũ, eodem illo lib. 15. cap. 14. audiamus hac verè, & Dei verbo, & sententiæ

Mosis consentienter scribentem, [*Prorsus, ait, tunc dies fuit, quantus & nunc est, quem viginti & quatuor horæ diurno curriculo, nocturnoq; determinant. Tantus mensis, quantus & nunc est, quem Luna cœpta & finita concludit. Tantus annus, quãtus & nunc est, quem duodecim menses Lunares, additis propter cursum Solarẽ quinque diebus, & quadrante, consumant.*] *Hæc ille, quæ sunt verissima. Ergo anni illi sunt Solares intelligendi: nullo verò modo Lunares, quemadmodum etiam elegantissimè alij probarunt. Iosephus autem Scaliger lib. 3. de Emendat. Temp. veterem Hebræorum annũ fuisse Solarem, non Lunarem contendit: sed aliò spectãs. Vtrum verò ijdem hi anni sint Politici, an Sacri, id est, à mense Thisri, vel Nisan inchoandi, in Diluuij explicatione dicemus. Sed pergamus ad alia, & de Chanochi translatione videamus.*

Ad IIII. Translatio Chanochi in cœlum.

Q. Quomodo hic pius Chanochus sit septimus ab Adamo, quum ab eo tantùm sextus esse videatur, Iud. vers. 14. Inter eum enim & Adamum hi quinque duntaxat intercedunt, nempe Seth, Enosch, Kainan, Malaleel, Iared: tamen eum à Setho sextum facit August. lib. 15. Ciuit. Dei, cap. 19: & Iud. vti dixi, septimũ ab Adamo. R. Comprehendunt Iudas, & Augustinus omnes personas, ipsumq; met Adamum, quũ hunc Chanochum ab Adamo septimum faciunt: & ipsum Sethũ, ab hoc illum sextum: sic 1. Adamus: 2. Sethus: 3. Enoschus: 4. Kainan: 5. Malaleel: 6. Iared: 7. Chanochus: alioqui si hæ personæ (de quibus, quantum ille absit,

absit, quæritur) demãtur, erit solùm sextus ab Adamo: quintus autem à Setho atauo suo Chanochus hic pius. Hic autem, qui ex Hebraicæ scripturæ ratione [Chanochus] scribitur: ab Apostolo ad Hebr. 11.5: *Iuda in epist. vers.* 14: *Epiphanio tũ lib.* 1. *Panarij seu Capsulæ, tum etiam in Ancorato* Ἐνὼχ *euphoniæ gratiâ Græcè nominatur, ne quem nominis varietas fortasse turbet.* Q. *Quid in libro Chanochi istius pij continebatur?* R. *Et increpationes improborum, & consolationes piorũ. Nam & promissionem de vita æterna pijs à Deo, per & propter Messiam futurum, factam proponebat, ac refricabat, & acerbissima Dei in impios futura iudicia commemorabat, præsertimq; internecionem eorum proximã, quum essent iam hominum mores intolerabiles. Itaque & Idololatriam, blasphemiamq; Nominis Dei iam publicè receptam condemnabat, & sceleratorum morum corruptores, lasciuamque hominum tum marium, tum fœminarum vitam grauiter reprehendebat, vt docet Tertullianus in lib de Idololat. & in eo, quem de Habitu Muliebri scripsit. Imò verò in eos Anathema illud grauissimum, quod Maranatha vocat Paulus* 1. *Cor.* 16.22. *iaculatus est, vt versiculum illũ* 14 *apud Iudam explicant nonnulli. Huius autem libri aliquot testimonia & particulas quasdam in libro, qui dicitur Duodecim Patriarcharũ Testamentum (quem probant Origenes & Procopius) volunt extare: & extitisse. Cæterùm frustrà iam quæritur, vtrum inter Apocryphos, vel Canonicos liber ille sit recẽsendus, de quo se frustra fatigat in Tertullianum Laurent. Barræus homo (de quo affirmare non possis curiosiórne sit, an ine-*

ptior: vtrúmque enim hoc vitium summum habet, quū sit nefandi monstri G. Postelli compatriota, vt ipse loquitur, & de quo ipse gloriatur) Nam liber iste iam non extat: etsi γνήσι@, non autem interpolatus extaret, quum eius testimonio diserte velut veri Dei Prophetæ vtatur Iudas, dubitandum minimè esset, quin liber ille esset inter Canonicos reponēdus. Q. Cur a Deo trāslatus est Chanochus in tanta Mundi totius corruptela. R. Translatum quidem eum à Deo fuisse omnes affirmant: Cur autem, pauci explicant. Nam & Iosephus lib. 1 cap. 5. Antiquit. & Philo in Antiquit. Biblicis: & Zonaras lib. 1. Animal. & Hieronymus contra Iouinianū. & alij penè infiniti rem gestam agnoscūt, & id verissime, Gen. 5. Cur verò à Deo id factū sit, non docent. Certe ridicula prorsus est Hieronymi ratio, qui negat eum translatum, quia vxorem habuisset. Tam enim, vt docet Epiphanius in Ancorato, cōiugatus trāslatus est Chanochus, quàm cœlebs Helias. Imo prior Chanochus coniux: posterior autem Helias cœlebs: Sed & quis istos docuit Heliā fuisse cœlibem potius, quàm & Chanochū, & Mosem? Irenæus igitur caussam istius translationis vnam hanc affert lib. 5. contra Valentin. vt Deus in eo iustorum & piorum hominum in cœlum translationem corpore & animo futuram præmonstraret etiam præputiatorum. Id quod contra Iudæos Tertullianus & Epiphanius scribunt, vti postea in Helia eorundem piorum circuncisorum eandem fore conditionem ostendit. Hos enim duos inter se cōparat Irenæus, lib. 4. cap. 30. Tertullianus varijs in locis huius Chanochi translationis meminit, eúmque candidatum æternitatis

tatis

latis vocat, velut lib. cõtra Iudæos, & de Resurrectione carnis. Translatum autem eum a Deo in cœlũ idem Tertullianus putat etiam ob aliam causam, nempe lib. de Anima, cap. 28 vt postea in hunc Mundũ cum Helia redeat, & suo sanguine Antichristũ extinguat. Ad quod Augustinus quoq; lib. 20. Ciuit. Dei, cap. 29. caput 11. 3. Apoc. accõmodat: sed omnino frustra. Epiphanius meliùs. Nam in Ancorato translatum Chanochum scribit, vt esset pijs etiam ante diluuium viuentibus typus & exemplũ aliquod futuræ resurrectionis, & fœlicissimi carnis nostræ status. Cui sententiæ suffragatur Augustinus lib. 15. Ciuit. Dei, cap. 19. his verbis, [Huius Enoch translatio nostræ dedicationis est præfigurata dilatio, quæ quidem iam facta est in Christo capite nostro, qui sic resurrexit, vt non moriatur vlteriùs, sed etiam ipse translatus est.] Cyrillus tertiam quoque huius facti caussam affert lib. 3. contra Iulianũ, sect. 6 nempe vult eum translatum esse à Deo in cœlũ, vt Deus hoc pacto perpetuum suum in pios & sui timentes homines amorem quocunque tempore illi fuerint, demonstraret, sicque eos ad bene viuendum cohortaretur, & à mundi corruptione retraheret. Et hæc quidem tertia est verissima huius translationis caussa, nimirũ, vt pios illius seculi primùm, pòst autem etiam nascituros homines omnes confirmaret Deus in spem reseruatæ illis propter Messiam vitæ æternæ, quam & animo & corpore possessuri tandem sunt in cœlo. Consentit cum eo quod scriptum est Sapient. 4. 11. trãslatum Chanochũ, ne malitia, quæ tunc in Mundo inualuerat, immutaret eius pietatem & animum: & vt, quemadmodũ traditur

Ecclef.44.16. eſſet infidelibus exemplum pœnitentiæ.
Q. Quomodo tranſlatus eſt à Deo Chanochus, vtrū per mortem, an cum corpore: item, vtrum viſibiliter & in conſpectu omnium, an ſecretò & clanculùm. R. Epiphanius lib.2. Tomo 1. contra Hæreſes, hæreſi 64 ait Chanochum cum ſuo corpore tranſlatum fuiſſe: [*Non enim tranſlatus eſt Enochus, ait, & reliquit corpus in his terris, aut corporis partem. Si enim reliquit corpus, ergo vidit mortem. Ipſe verò cum corpore tranſlatus non vidit mortem, vt eſt Heb.11.5, Eccleſ.44.16. Sic igitur Gen.5.24. verba hæc ſunt intelligenda,* [*Et aſſumpſit eum Deus.*] *Hoc idem ante Epiphaniū ſenſerat, ſcripſeratq́ Irenæus lib.5:* [*In quo corpore, ait, placuit Deo Enoch, in eo tranſlatus eſt. Quare nequaquam ille mortuus eſt, ſeparatâ ab eius corpore animâ, ſed mutatus eſt momento temporis, & ictu oculi: ſicut plerique pij in ipſo die Reſurrectionis mutabuntur, ait Paulus 1.Cor.15.51: & Helias poſtea raptus eſt à Deo, & mutatus, 2.Reg.2. Ergo quod ſcribit Tertullianus in lib. de Reſurrect. Carnis, eum cum alijs in reſurrectione corā Chriſto appariturum, & reſurrecturum, verum eſt: quemadmodum illi quoque, qui ſunt in Mundi conſummatione mutandi, reſurgent. Quod autem idem Tertullianus addit, eum moriturum poſtea, & ante extremam reſurrectionem eſſe, id eſt, morti debitum perſoluturū, vt loquitur ipſe, & ex Tertulliano ſentit Auguſtinus, lib.9. Geneſ. ad liter. cap.6. id verò falſum eſt. Neque enim poſtea morietur Chanochus, quemadmodum neque Helias. Cæterùm quid agat, vbi ſit, & alia eiuſdem generis quærere curioſum eſt, idque*

ſalua

salua fide Christiana ignorari facilè potest, ait idē Augustinus lib. de Peccato Originali contra Celestiū. Eius tamen, vt Heliæ, status est felicissimus, quem sic describit Tertullianus: [Duo illi, ait, iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno & ab omni iniuria & cōtumelia immunitatem carnis ediscunt.] Et hæc quidē de prima parte quæstionis. De secunda verò sic est sentiendum, Eum notoriè & visibiliter, id est, in conspectu hominum, non clāculùm à Deo e terris fuisse subductum, vt res testatior etiam improbis ipsis esset, qui Deum cōtemnebant, idque ad eorum iudicium: pijs verò ad suam consolationem. Itaque postea sedulo quæsitus est ab hominibus quemadmodum & Helias: nec tamen ab ijs vsquam repertus, aut inuentus in terris.

Q. Quò raptus est Chanochus, in cœlúmne, an in his terris subsistit, ac repositus est nos latens. sicut corpus Mosis, Deut. 3.4. R. Nonnulli existimant Chanochum hunc raptum & sepositum à Deo fuisse in Paradiso terrestri: sic Thomas Aquinas in 3. p. 49. 5. 2: Heliam verò in cœlum aëreum, id est, in hunc aerem nobis superiorem. Verùm Apostolus ad Hebræos, id est ipsa veritas cap. 11. 5, ait μετετέθη Ἐνώχ *Quod si quis rectè intellexerit, fatebitur hunc ex his terris in cœlū .i. aliquem nobis superiorem locum à Deo raptū & translatum fuisse, vt etiam dicitur Eccles 49. 16. Ergo ex oculis hominum ablatus est, & ijs inspicientibus in cœlū eleuatus, vti Helias, 2. Reg. 2. 11. Itaque ait Moses Gen. 5. 24, [Deus eū assumpsit] vt de Helia 2. Reg. 2. 9. Nec eum, quem Deus relinquit in his terris dicitur assumere: sed quem ex his inferioribus locis in supe-*

riora transfert. Etsi verò Christus in cœlum post resurrectionem ascendens, in cœlum supremum & beatorum ab his terris sublevatus est; Act.1.9: nō censuerim tamen Heliam vel Chanochum in cœlum illud supremū ac beatorum siue hominum, siue Angelorū domicilium adhuc cum corpore esse receptum, in quem locū primus cum corpore ingressus est D. N. Iesus Christus, qui propterea dicitur à Paulo Primogenitus mortuorum, Colos.1.18. Q. Quando translatus est Chanochus ex his terris? R. A Mundo condito anno 987. A Profanatione nominis Dei anno 762. Ante Diluuium vniuersale anno 669. Nam ab Orbe condito ad Profanationem nominis Dei intercedunt anni 235: ab hac ad natum pium Chanochum sunt anni 387: ab eo nato ad eundem translatum 365. Hi omnes collecti faciunt summam 987, qui ab annis, quibus contigit Diluuium nempe annis 1656 subducti, relinquunt 669: quo toto temporis spatio praecessit haec translatio Diluuium. Errat igitur Laurentius iste Barraus, qui in Tertullianū scribit hanc translationem accidisse anno 1015 ab orbe condito. Verùm ille pluribus alijs in locis dormitat, aut potius caecutit. Accedamus ad quintum nostrae historiae caput.

Ad V. Deprauatio reliquorum Piorum per connubia cum impijs mulieribus.

Quaeritur, Quid voces hae, [Filij Dei, Filias hominum] significent ac notent. R. Filij, Filiaeq; nomen vel propriè sumitur, vel metaphoricè. Propriè sum-

sumptum significat eũ qui ex alterius vel tota essentia, vel semine natus est. Sic Christus est filius, & quidem solus Dei Patris, quoniã ex eius tota essentia est, Ioan. 1.1.2.3. Simõ Petrus fuit Bar .i. filius Ionæ, Math. 16.17: quoniã ex eius semine procreatus erat. Metaphoricè quis Filius appellatur varijs modis, propterea quòd & qui a nobis affectu paterno alitur, ac diligitur, etiam non adoptatus: & qui ab alio adoptatus est in locum filij: & qui sese ad nostros mores imitandos totum comparat, [Filius noster] tropicè appellatur. Sic Epiphanius lib.3.Tom.3.Hæres.73.distinguit. Sic Basilius contra Eunomium. Sic vsus linguarum omnium. Ergo dum Deo paremus, nosque ad illius voluntatem cõformamus, [Filij Dei] metaphoricè vocamur, Ioan. 1.12, 1.Ioan.3.1.10. Qui verò ad Diaboli voluntatẽ sese componunt exprimendam ij quoque dicuntur Filij Diaboli, Ioan.8.44. Sic qui hominum (quatenus eorum voluntas Dei voluntati repugnat) nutum, affectus, mores, vitam improbam probãt, sequuntur, & imitantur, ij dicuntur hoc loco filij hominum. Quemadmodũ contrà Filij Dei nominantur hîc à Mose, qui Deum tunc piè colebant, eius præceptis obtemperabãt, & à vitiosa hominũ vita sese segregabant. Ergo homines verè pij sunt ij, quos Dei Filios vocat Gen.6.2. Impiorum autem hominũ filiæ & ipsæ quoque impiæ sunt eæ, quas idem ibidem appellat Filias hominũ. Nec verò me latet, Iob.1.6, Angelos vocari Filios Dei: & alio quoq; sensu homines etiam improbos dici à Deo genitos, & alitos, Isa.1.2. Verùm hoc loco sumuntur Filij Dei, & Filiæ hominum eo sensu, quo dixi. Nostram sententiam

confirmat Augustinus lib.15.Ciuit.Dei cap.22: Cyrillus lib.9.contra Iullian.sect.1: Zonaras lib.1.Annal. his verbis, [Vocat autem Dei Filios Scriptura Sethi posteros ob studium,& cultum virtutis,quo pacto etiã filios Altissimi vocat eos,qui sunt virtute præditi. Hominum verò filias nominat oriundas ex Caini posteris.] Q., Vtrum Angeli quoque cum filiabus hominum tunc concubuerint. R. Augustinus lib.15. Ciuit.Dei, cap.23. ait esse impudentis hominis negare malignos spiritus,quales sunt Dæmones mali,(qui proculdubio sunt Angeli) posse,& solere mulieribus misceri,earumq; immunditiam attentare,& libidinem peragere. Nam & Fauni,& Syluani,& Incubi Dæmones, & Dusii,quos Galli vocãt,id efficiunt. Ex quo factum est,vt Patrum pleriq; existimauerint,dixerintque hîc quoque intelligendum malignos illos,& immundos Spiritus cum fœminis coitũ habuisse, ex quo coitu nati sint Gigantes, Gen.6.4. Sic Iosephus lib.1. Antiquit.Iudaic.cap.5, licèt eum excuset Zonaras. Philo Iudæus in Antiquit.Bibl. Tertullianus lib.5.cõtra Marcion. & de Habitu Muliebri: Imò etiam idem vult eas fœminas (quas isti Angeli iniuerint) fuisse virgines,non viduas:atque etiam Angelos istos fuisse non adulteros,sed maritos huiusmodi filiarũ & mulierum, in lib. de Velandis Virginibus. Quæ opinio ex eo etiam confirmata est,quod Ethnici (vt scribit Varro apud Augustin.lib. 3.Ciuit.Dei,cap.4) censuerũt omnes egregios viros ex Dijs natos:quæ res eos cõmendabat. Denique hoc quoq; ipsum Lactantius lib.2.cap.14 sentit,secutus Tertullianum. Verùm refellitur hæc sententia & ratione,&

ex fine

ex fine Mosis. Itaque sine circuitione vocatur falsa ab Isidoro lib.1. Etymologic. & à Cyrillo, loco, quem iam demonstrauimus. Consentit cum his Augustinus libro Quæst. in Genes. cap. 3. Ac quidē ratione confutatur, quòd ex Animalium diuersæ speciei cōmixtione & coitu nihil gigni potest. Dixit enim Dominus, iussitque vt res vnaquæque produceret sibi simile, & secundum speciem suam Gen. 1. 21. 24 Iac. 3. 12. Itaque in vnoquoq; Animantium genere Masculum & fœminam creauit Deus. At verò ex isto filiorū Dei & filiarum hominū concubitu nati sunt Gigantes, id est, homines Gen. 6. 4. Ergo ex hominis Maris & fœminæ coitu concubitúque isti nati sunt: non autem Angeli cum homine fœmina coierunt, quæ sunt duo, diuersaq; rerum genera, ex quibus nihil procrearetur. Nam quod videtur obyci posse de Minotauro (qui, vt est in fabulis, ex Pasiphaë fœmina homine, & Tauro animali bruto, natus est) facilè conuellitur. Istud enim est cōmentum poëticum falsum & fabulòsum. Deinde hoc ipsum aliter interpretatur Palæphatus in lib. de Fabul. Narration. Ait enim illum, cum quo Pasiphaë scortata est, fuisse Minois regis secretarium, qui Taurus nominabatur: non autem Taurum animal brutū. Et hæc quidem est prima superioris sententiæ cōfutandæ ratio. Altera verò hæc, Quòd planè pugnat cum scopo Mosis, Agere de Angelis hoc loco, quum totius huius historiæ finis sit demonstrare, non quid Angeli: sed quid homines in his terris versantes inter se perpetrarint, ac egerint, per quod Dei iudicium in sese prouocarunt. Q. Cur damnentur Filij Dei seu impij homines, quòd filias hominum, id est, im-

pias in vxores propter formam sibi duxerint, Gen 6.2: quum forma pulchritudóque sit Dei donum, vt scribit Augustinus lib.15.Ciuit.Dei,cap.22. R. Forma quidem pulchritudoq́ corporis est Dei donum,quæ etiã in Rachele laudatur, Gen.29.17: & laudandum, & optandũ:vt & Homerus lib.3.Iliad. & Plato in dial. de Pulcro fatentur: tamen huiusmodi donum est,vt illi pietas,metus,cultusque Dei sit præferendus. Rectè enim Augustinus ait, [Sic corporis pulcritudo à Deo quidem factum,sed temporale, carnale, infimum bonũ malè amatur,postposito Deo æterno, interno,sempiterno bono. Ergo filij Dei filiarum hominum amore sunt capti:atque vt eis fruerentur,in amorem societatis terrigenæ defluxerunt,deserta pietate, quam in sancta societate seruabãt.] Ergo nihil in istis mulieribus spectabant viri isti præter solam corporis formã,ac venustatem:non autem earum bonos mores & pietatem. Quãobrem,hæc duo mala inde promanarunt: Vnum, quòd ipsimet pij qui priùs erant, per eiusmodi connubia tanquam mali cõtagia euaserunt mali:(Corrumpunt enim bonos mores colloquia conuersationesque prauæ) & idololatræ,& impij & improbi. Id quod & Esauo postea propter suum cum improbis fœminis coniugium euenit, vt esset profanus, Gen.26.34. Heb.12.16: & Solomoni sapientissimo Regi, 1.Reg.11. Itaq́ meritò semper damnatũ est velut Exo.34 16,Deut.7.3.Nehe. 13. 2 Cor.16.14. Iudic.3.5.6, tale coniugium. Alterum malum fuit, quòd qui liberi ex eo coniugio nascebantur,impiè à matribus educabantur, quarum mores potius imitãtur filij,fiebantque & ipsi postea impij.Cu-

ius

*ius rei exemplum est Nehem.*13.24. *Q. Vnde ista filiorum Dei cum filiabus hominum, imò cum ipsis hominibus, id est, impijs coniunctio, copulatio, affinitásque primũ nata est. R. Philo scribit in Antiquit. Biblic. hãc affinitatem à filijs Caini primùm ambitam, ac quæsitam fuisse. Chanochum enim Caini filium coniugium sibi in domo Sethi quæsiÿsse, & ex eius filiabus vxorem sibi sumpsisse. Itaque misceri per cõiugia alios cum alijs ex eo tẽpore cœpisse, nempe pios cum impijs. Verum non potuit, nisi admodũ iam senex & penè decrepitus, Chanochus impius, id est Caini filius ducere in vxorem filiã vllam Sethi, qui eodem illo iam grãdæuo natus est. Ego verò sentio, Primùm pios ab impijs, id est, filios Sethi à filijs Caini familia, conuersatione familiari, & conuictu, imo etiã sedibus distinctos separatósque fuisse: idq́ diu durasse, donec multũ multiplicaretur genus humanum ipsæque adeo familiæ ex Setho natæ in varios ramos & loca diffusæ dispersæq́ essent. Ex quo factũ est, vt tum propter paulatim in posteris etiam Sethi labascentem pietatem (facilè enim tepescere pietatis æstus inter homines solet) tũ propter vitæ huius necessitatem, Sethi posteri cõmercium cum posteris Caini hominibus industrijs frequẽtiùs, quàm antea haberent. Erãt enim, vti suprà demonstratũ est, filij Caini homines industrij, quorum ingenium admirarentur, quorúmque opera & artificijs egerent Sethiani. Sic consilio Iethronis soceri sui, licèt hominis infidelis, eguit, ac vsus est Moses seruus Dei, eúmque secum in castris Israelitarum habuit Exod.*18.17. *Præterea, vt ait Paulus* 1.*Cor.*5.10. *omnino nobis ex hoc Mundo esset exeundũ, si cum nullo*

huius mundi homine improbo cōgredi vellemus. Quandam enim cum ijs cōmunicationem exigit ipsa humanæ vitæ necessitas. Denique Homo est naturâ animal gregabile, vt ait Tullius libr. 1 *.Offic. Quare primùm pij cum impijs cōmercia propter eam caussam exercuerūt, illisque familiares sunt effecti: tum denique instigante libidine, & formâ illa filiarum impiarū egregia & venusta eosdem vrente & rapiente, coniugia cum illis contraxerunt, seq; ita paulatim omnino corruperunt. Ergo nobis sedulo cauendum hodie quoque est, ne huiusmodi conuersatione & consuetudine deprauemur primùm: post autem penitus corrumpamur. Q. Vtrum illæ hominū filiæ, id est mulieres impiæ, sed formosæ ex solis Caini posteris fuerint, an iam etiam quædam tales extiterint ex filijs ipsius Sethi. R. Philo in Antiquit. putat promiscuè tales ex vtróque genere, nempe Caini, & Sethi, extitisse. Cyrillus lib. 9. contra Iulian. tales ex solis Caini posteris fuisse. Moses autem, Gen 6.2. sic scribit, & quidem generaliter, [Videntes filij Dei filias hominum bonâ formâ esse, acceperunt sibi mulieres (id est vxores) ex omnibus, quas eligebant.] Ex quibus verbis videtur colligi iam tum quoque ex Sethanis nonnullas mulieres formosas quidem fuisse, sed impias, quas tamen viri Dei & pij potius sibi cōiuges esse malebāt, quàm pias & deformes fœminas. Sic pulcritudo pietati, venustas sanctitati, color cordi vbiq; ab istis in coniugijs quærendis præferebatur. At nos in Domino coniugia quærere oportet, quemadmodū docetur* 1.*Cor.* 7.39. *Q. Quando ista piorum deprauatio per cōnubia cum impijs contigerit. R. Quoniam hoc pro*

certo

certo statuimus, Mosen in texenda scribendaq; hac historia rationem temporis secutum, & quæ prius euenerunt, priore quoque loco recitasse, sentimus hanc deprauationem contigisse post translatum Chanochum illum pium interiecto temporis spatio, antequã tota humani generis corruptio euenisset. Ergo hac facta sũt sub Mathuselacho & Lamecho, quũ iam illud exemplum munerata & beandæ in Chanocho translato hominum pietatis obsoleuisset, & ex hominũ memoria penè perijsset. Contigerit igitur hæc deprauatio piorum circiter annũ à Mundo condito 1100: post translatum Chanochum, annis 120: ante Diluuium, annis 550. Verùm ad Gigantum procreationem, qui ex isto cõiugio nati sunt, veniamus.

Ad VI. Gigantum Procreatio.

Quæritur, Quid vox Nephilim apud Mosen Gen. 6.4. significet. R. Nonnulli hãc vocem conuertunt [Defectores, seu Apostatæ] nempe qui à Dei cultu publicè ac palàm deficiunt, vel defecerãt, vti Iere. 37.13. Alij vertunt, [Angeli] vt veterum Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum multi, qui hîc de Angelis, non de hominibus agi putant. Tertij denique accipiunt hãc vocem aliter, conuertúntque [Gigantes:] quorum sententiã & nos quoque hoc loco sequimur. Nam sic quoq; Numer. 13.34 sumitur: & in nostrã sententiam transeunt Iosephus lib. 1. cap. 5. Antiquit. Augustinus lib. 3 Ciuit. Dei, cap. 4. Cyrillus lib. 9. contra Iulian. sect. 1. Isidorus lib. 11. Ethymolog. Zonaras lib. 1. Annal. hũc Mosis locum interpretãtes. Philo verò Iudæus in An-

tiquit. Biblic. hanc vocem non explicat. Sed imprimis nostram interpretationem confirmat Moses ipse, qui hos Nephilim ait fuisse homines mortalium omnium, qui vnquam vixerunt, robustissimos, maximéque propterea apud posteros omnes celebres, & formidolosos. Et certè conuenit huic rei vocis huius etymon & ratio. Gigantes enim ab Hebræis multis nominibus appellantur, velut [Nephilim,] quòd ad illorum aspectum cæteri homines tremore cadant, tantæ nimirū, tam magnæ sunt statura, atq; formidabilis aspectus. Vnde iidem illi etiam [Aemim] ab iisdem Hebræis dicuntur, id est, cæterorum hominū terror. Cyrillus loco iam citato [Fuerunt (inquit) Gigātes potentes quidem & fortissimi, sed aspectu valde deformi. Mos autē S. Scripturæ est Gigantes vocare agrestes, & feroces, & robustos. Vnde vniuersorum Deus de Persis & Medis Iudæam deuastaturis dicit, Gigantes venient, vt impleant furorem meum, Isa.13. Non tamen secundum Græcos nos tātos illos fuisse dicimus, vt insulas ex medio mari raperent, & in cœlum proiicerent: sed fœdos aspectu, & monstrosos, & temerarios homines.] Hæc Cyrillus, quæ maximè locum hunc Mosis illustrant. Vocātur autem iidem Gigantes ab Hebræis [Hanaquim] vel à Torque, quem pro insigni gestabant, vel à nomine celeberrimi cuiusdā Gigantis, qui [Hanaq] vocabatur. Dicuntur etiam [Rephaïm] quòd ad eorum conspectum languesceret, & velut deficerent, & obstupesceret homines præ metu. Denique nominātur quoque [Zanzummim,] vel quòd ingenio solertes essent, vel astuti, vel fraudulenti, sceleratissimi, atque abominabiles, Deut.2.19. Gigantes

autem

autem Γηγενεῖς, Græcè, id est, è terra ipsa velut adhuc fœcunda & principio Mundi geniti. [Terrigenæ] Latinè, quod eos, vt ait Isidorus lib. 11. Etymolog. terra ipsa parens immensa mole corporis genuerit & profuderit. Et hæc de voce Nephilim, & Gigantibus. Q. An isti Gigantes ante Mundi diluuiũ vniuersale nati, ij fuerint, quos postea sequens ætas, profanaq; vetustas. i. idololatræ homines Saturnos, Ioues, Mercurios, alijsq; nominibus, vt ait Moses Gen. 6.4. vocarunt, & velut Deos postea coluerũt, Auerruncatores, & Ἀποτροπαίους. R. Etsi multa, quæ de istis Dijs suis Idololatræ narrant, ante natos homines istos Gigantes facta sunt, vti antea docuimus: tamen illa ipsa postea fuerunt & his quoque ipsis attributa ab idololatris, & superstitiosis hominibus posteris, tum quòd quo tempore illa (quæ facta ac inuenta fuisse audiebãt) contigissent, ignorabant: itaque ad homines suæ ætati viciniores, & sibi notiores ea retulerunt: tum vt maiorem eorum colendorum rationem, iustiorémque habere viderentur, quum propter vel tot inuenta ab ijs, vel gesta, vt putabant, eos crederent habere numen ferè diuinum. Fuit igitur hæc astutissima & robustissima Diaboli seu dæmonum fraus, vt tradit Lactant. lib. 2. cap. 14 15. & 16, nempe vt sub istorum hominum (qui tot benefici à generi humano tribuisse videbãtur, quod fecerunt Caini posteri filij impij Lemechi, vel qui tam formidabiles alijs hominibus vixisse noscebantur, quales Gigantes isti fuerant) sub istorum, inquam, hominũ nominibus & numinibus ipsimet Dæmones colerentur. In summa, & textus Mosis, hoc loco, Gen. 6.4: & Iosephi verba, lib. 1. cap. 5. docent,

Hos fuisse, quos Idololatræ homines postea Saturni, Iouis, Mercurij, Vulcani, &c. Adami, Caini, Iabalis, Tubalcaini, mutato nomine venerati sunt, his Gigantibus, eorum nempe filijs & posteris tribuêtes ea ipsa, quæ Adamus, Cainus, Iabal, Tubalcainus fecerant, vel repererãt. Ergo istiusmodi primorum parentum suorum, & primorum Mundi hominum vocabulis, sed interpolatis, sanciti, adorati, & celebres facti sunt hi Gigantes, videlicet eorum successores & posteri, quòd longa ætas nomen Adami, Caini, Iabalis ex hominũ memoria iam deleuerat: vel quòd magno astu Satan (ne rerũ veritas posthac agnosceretur) eam obscurauerat, immutaratq; illas veteres appellationes & voces in nouas. **Q.** *Cur homines isti & corpore tam robusti fuerint, quum ex prauis fœminis nascerentur, nec tam robustos homines natura, quãuis adhuc recẽs, protulisset: & moribus tam praui, quũ ex filijs Dei essent procreati, quemadmodũ scribit Moses, Gen. 6.2.* **R.** *Robusti, magni, procerique corpore præ cæteris etiã sui seculi hominibus fuerunt Gigantes, etsi ex fœminis nihilo, quàm cæteræ, maioribus, grandioribus, & fortioribus nascerentur, quòd Deus illi semini piorum maritorum insigniter, præterquàm reliquorũ hominum, benedixerat. Deinde, quòd Deus ostendere ante diluuium vellet in quam maximã corporis magnitudinem homines excrescere possunt, vt quum eos tam magnos validósque homines destrueret, maior ipsius gloria potentiaq; agnosceretur, atque etiãnum à nobis hodiè agnoscatur, nimirũ ne viribus corporis nostri cõfisi putemus nos Deo resistere posse. Quale exemplum Deus in euertendis Chananæis & filijs Ena-*

cim postea quoq; adere voluit, Deut. 1.28, & 9.2. Denique, quòd quum filij Dei seu pij homines illas fœminas propter egregiam earum formã duxissent, ac ducerent, maiore vi libidinis & æstu cum ijs rem habebant, & in eas irruebant. Itaque vis caloris naturalis (qui erat in virorum semine) maior erat, ac proinde magis materiã fœtus, id est, semen muliebre extendebat. Id quod ex verbis Mosis colligi posse videtur, si conferatur series narrationis Gen. 6.2 & 8.4. Nam antea etsi erat recens hominum natura, tãtos tamen homines non producebat, nec pij tales anteà suscipiebãt. Fuerunt nihilominus ijdem isti Gigantes moribus corruptissimis, primùm propterea quod eò studiosiùs à matribus impijs ad omnem nequitiam liberi isti ambitiosè informabantur, & fingebãtur, quò ex pijs nati erant patribus, ne quam nimirũ paternæ pietatis scintillã retinerent, sed vt omnem probitatem exuerent. Ergo matrum ipsarũ, auorumq; maternorum similes potius fuerunt, quam Patrum suorum. Deinde hoc fiebat, sic colluctante Satana cũ Deo, eiúsque regnum in illis familijs (vbi aliqua pietatis vestigia restabant) fortiùs expugnante, vt in his tandem penitus ipse Satan dominatum obtineret, regnum Dei extingueret, Math. 12.25.43, Luc. 11.22.26: metuẽs ne Deus ex ijsdem familijs sese eyceret, suúmque in homines ius & regnũ reciperet & recuperaret. Prætereà quòd homines illi dono Dei tam egregio .i. robore corporis ad quoduis scelus perpetrandũ absq; vllius metu abuterentur. Quare nequiores & sceleratiores cæteris euaserunt. Denique quòd impietatis, quàm pietatis vis post peccatum fortior ac efficacior in animis hominum

semper fuit, plusq; etiamnum hodie valet, ac perficit. Porro Gigātum (ne semel, aut vno duntaxat æuo, id est post diluuium in Mundo extitisse credantur) facta est mentio etiam post diluuium, vixeruntque eiusmodi homines, etsi non ex istis (nam isti in diluuio extincti sunt omnes) nati, quemadmodum apparet Deut. 1.28, & 2 10.19, & 3.11, *Ios.* 14.15, 1.*Sam.* 17.4. *Sed hæc hactenus. Nunc ad Noachi viri pijssimi natiuitatem, quæ est caput septimum huius historiæ, accedamus.*

Ad VII. Noachi natiuitas, & Lemechi de eo Prophetia.

Quæritur, Quid [Noachus] vox [Noach] Hebrais significet. R. Philo quietem interpretatur: alij cessationem. Ratio nominis est Gen. 5.29: *nempe quòd ira Dei in mundum sub eo .i. illius tempore cessauit, ac quieuit post diluuiū: nam dicitur Deus odoratus gratum odorem vtpote sacrificium à Noacho post diluuiū oblatum, atque ita Mundo placatus est Deus, Gen.* 8. 21. *Ergo Deus postquam hominum nequitiam aquis diluuij castigasset, & purgasset, Mundo placatus apparuit postea, subsidentibus ysdem aquis, Gen.* 8.1.2, 2. *Pet.* 2.5. *Græcè autem Apostoli ipsi cōuerterunt* Νῶε, *Math.* 24.37, 1.*Pet.* 3 20. *Q. Quomodo Lemechus pius pater Noachi de eo statim nato dixit, [Hic recreabit nos ab omni opere nostro] Vtrum extraordinaria aliqua reuelatione à Deo accepta, an ex prudenti tantùm coniectura, quòd pius ille vir Deum tandiu minimè passurum impunitam tam effrenem hominum improbi-*

probitatem prudenter perspiceret: an ex libro potius Chanochi pij, qui Dei iudicia, & Diluuium hoc ipsum hominibus sceleratis prædixisset, quasi Lemechus denuntiaret hoc ætate Noachi futurum. R. *Concurrerunt hæc omnia: Primùm coniectura Lemechi pia & prudens, Deum nempe, qui iustus est, tam iniustam hominum vitam nequaquam semper toleraturum esse, sed eam vindicaturū, & grauissime tādem ulturum. Deinde legebatur liber Chanochi pij, eiusque minæ in mundū extabāt scriptæ, vel potius piorū memoriæ inhærebant. Denique Spiritu verè Prophetico (quod donum Deus dederat Ecclesiæ suæ) præuidit, sciuitque Lemechus hic pius Noachum filium esse eum, sub quo improba illa deploratáque hominum vita castigaretur a Deo, piorúmque labores in colluctando cum ista impietate subleuarentur. Itaque ipsi recrearentur ab illis suis laboribus, & inimicitijs, quas pro retinendo Dei cultu cum impijs exercebant.* Q. *Quid verba hæc significent, Gen. 5.29 [Recreabit nos ab omni opere nostro] vtrū indicent cessaturos postea homines ab omni opere, velut à colenda terra.* R. *Verba hæc [Opere nostro] mœrorem animi significāt, quem pij ex Dei contemptu sentiebant. Nam vt de Lotho scriptum est 2 Pet 2.8. sic de istis pijs verum est, Illos, quum essent iusti, & habitarent inter impios istos in hoc mundo, in dies magis ac magis excruciasse animam suam videndo, & audiendo iniqua Gigantū, & aliorum hominum nefandaq; facta. Non pertinet autem ad laborem manuū hæc sententia, quasi sub Noacho & postea homines absque labore, & opere victuri essent. Illa enim Dei in peccatum homini*

sententia, [In sudore vultus tui comedes panem tuũ] manet quouis tempore immota, Gen. 3. 19, 2. Thes. 3. 10. Quamobrem Noachus ipse & ante, & post Diluuium dicitur arasse terrã atq; fuisse agricola, Gen. 9. 20. Q. Quando natus est Noachus. R. In historia iam dictum est. Natus enim est post mortuum Adamum primum hominem annis 120: post publicam profanationem, annis 821: ante Diluuium annis 600: à Mundo condito, annis 1056. Pergamus autem ad corruptissimum illud vitæ hominum genus, & modum, in quo omnis caro viam suam corruperat.

Ad VIII. Omnis Caro viam suam corruperat.

Q. Quid vox Carnis significet hoc loco, Gen. 6. 12. R. Carnis vox est πολύσημος. Nam primùm significat eam substantiam à Deo creatã, quæ sanguine & ossibus constat, siue ea prædita sit anima λογικῇ, siue ἀλόγῳ: siue etiam anima ex eadem excesserit, Gen. 6. 19, & 7. 21. Sic volucres, sic animalia bruta sic pisces, vt ait Paulus, carnem habent, 1. Cor. 15. 39. Secundo loco Carnis significatio restringitur ad hominem Psal. 78. 39, vti etiam Creaturæ nomen, Marc. 16. 15. idque κατ' ἐξοχὴν. Denique Caro μετωνυμικῶς pro corruptione, & vitio, quod carni inhæret sumitur. Sic Caro dicitur pugnare aduersus Spiritũ Gal. 5. 17. opera carnis esse mortificãda: & similes phrases inde profecta Rom. 8. 12. Hoc verò loco [Caro] pro solis hominibus accipitur siue masculis, siue fœminis. De ijs enim solis loquitur Moses, quum ait, [Et Omnis caro corruperat viam

viam suam. Nec enim peccatum in pecudes (quum careant ratione) cadit, nec illa Deum offendunt, nec ab instituto praeceptoq; Dei recedunt: sed homines soli sunt coram Deo rei peccati, & propter eos solos Diluuium in mundum immissum est, Rom. 8. 20, quod tamen pecudes extinxit. Quod quàm iustum fuerit fieri, postea suo loco demonstrabimus. Q. Quid hac verba significent, [Corruperat viam suam, Gen 6. 12.] R. Via hac non est via pedum, quanquam additum est, [viam suam super terram:] sed via morũ vti & alibi sapè [Via, iter, semita] sumitur pro moribus, ac vita ratione in S. Scriptura. Sic Isa. 40. 3, Math. 3. 3 Ioã. 1. 23. Quum sit enim vita hac nostra velut quadã peregrinatio, vti est 1 Pet. 2. 11, rectè nostra in ea actiones dicuntur [Via.] imo ipsamet tota vita nostra rectè Via nominatur. Quamobrem & nostrum erga Deum officium, & erga proximos, Via dicitur: quod vtrunq; homines illius seculi prorsus deprauauerant, non modò illud negligentes, verumetiam omnia cõtra suum officiũ impunè & palàm perpetrantes. Ergo hîc [Via] vitam & officiũ significat. Q. Quid sibi vult Moses, quũ ait, [Omnis caro corruperat viam suam coram IEHOVA] Vtrum Hypocritas tantùm eos appellat? R. Illius tempestatis homines non tãtùm hypocritas, & occultè malos, palàm autem & in speciem viros bonos fuisse significat Moses: sed etiam manifestè, & absq; vllo pudore (quem proiecerant) & vllo vel Dei vel hominũ metu impios, & improbos fuisse declarat. Addit enim ibidẽ eosdẽ violentos, & iniuriosos inter se fuisse. Nam Dei quidem metus omnis post publicam nominis

ipſius Profanationem ex hominũ mentibus abſceſſerat: Hominum autem timorem, & talionis metum (ſi quis reliquus poſt illã profanationem inter homines fuerat) excuſſerat ex eorundẽ animis, Exemplum, & Audacia Gigãtum, quos alij quoque homines imitari, & probare iam pridem cœperant. Quãobrem etſi hæc verba [Coram Iehoua] ſæpè hominum hypocriſi & occultæ malitiæ opponuntur (qui externis operibus nihilominus apparent ſancti) veluti Luc. 1.6: hîc tamen quoduis genus improbitatis tum occultæ, tum manifeſtæ (quam Deus condemnat) declarat. Tales enim & tam improbi fuerunt homines iſti, de quibus agit Moſes, vt neque in externis, neque in internis operibus iam à Deo tolerari poſſent. Sic paſſim hæc phraſis ſumitur pro Manifeſtè quidpiam agere, 1. Reg. 8.62, & 9.3.4. Q. Ecquæ fuerit iſta hominum & morũ corruptio tanta, propter quam Deus in vniuerſum mundum diluuium immiſerit, Gen. 6.3.13, & propter quam Deus tam grauiter omnibus hominibus, imo rebus iratus fuit, qui tamen eſt patientiſſimus. R. Nonnulli hanc hominum corruptionem ad ſolam violentiam, .i. vim & iniuriã, quam homines alij alijs armis inferebãt, reſtringunt & referunt, propter verſiculũ vndecimum cap. 6 Geneſ. Philo in Biblic. Antiquit. ad ſcortationem publicã refert, quã exemplo impij Lamechi exercebant homines, ait. Alij ad fœdiſſimum illum concubitum maſculorum cum maſculis, & fœminarum cum fœminis, qui contra naturã eſt, vocatúrque Sodomia. Epiphanius videtur reuocare ad Magiã, & veneficia, quæ tunc exercebantur. Sic ſcribit in Panario: nec ab eo abludit Lactantius

tius lib.2.cap.16. Verùm alij, & quidem meliùs, aliter, latiusq́; hanc corruptionem interpretantur: Et primùm quidem Philo Iudæus lib.1. Antiquit.cap.5. tum de publica & omnimoda hominum in Deum impietate: tum de publica & impunita aliorum in alios iniustitia summa corruptionẽ istam accipit, his verbis, [Deinde, ait, tempore procedente de paternis pietatis studijs ad mala progressi sunt filij, neq́; legitimos honores vlteriùs præbentes Deo: neque circa homines iustitiæ verba facientes: sed Zelum virtutis, quem priùs habuerant, in duplam malitiam conuertentes, eámque per ea, quæ agebant, demõstrantes.] Cyprianus in lib. de Spiritu S. de illius ætatis moribus sic scribit, [Bestiali petulantia effrenes erãt homines: nec diuinos, nec humanos aspectus in flagitijs verebantur.] Gregorius Turonensis lib.1. Histor. Addo Viennensis in prima Mundi ætate cum eo vtriq́; consentiunt. Et generaliter Tertullianus lib. de Monogamia ait, [Iniquitates diluuium prouocauerunt.] Et certè vera est hæc sententia confirmatúrq́; verbo Dei. Primùm enim illius seculi homines manifestæ impietatis damnantur, & impij appellãtur, 2. Pet. 2.5: imò Mundus ille totus, dicitur Mundus impiorũ. Deinde vocãtur ἀπειθεῖς Immorigeri & rebelles Deo, 1. Pet.3.20, id est, in omnibus illius præcepta spernentes: Præterea iniurij & violenti alij in alios Gen.6.11. Denique dissolutissimi omni modo & vitæ genere, & intẽperantissimi fuerunt, vt à Christo ipso pronuntiatur, Math.24.37. In summa, fuerunt ij istorum omnium (paucissimis exceptis) hominũ tunc mores, quos Paulus eleganter describit, Rom.1. his verbis ad eam maximè

ætatem respiciens, [Vt qui veritatem, ait, mutarunt in mendaciũ, ac seruierint rebus creatis, præterito creatore, qui est benedictus in secula. Itaque eos tradidit Deus fœdis affectibus. Nam & fœminæ illorum mutarũt vsum naturalem in eum, qui est præter naturam: similitérque etiã masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt sua libidine alius in aliũ, masculi in masculos fœda perpetrantes, oppleti omni iniustitia, scortatione, improbitate, auaritia, malitia, pleni inuidia, cæde, contentione, dolo, malignitate, susurrones, obtrectatores, Dei osores, contumeliosi, superbi, gloriosi, inuentores malorũ, parentibus immorigeri, desipientes, fœdifragi, charitatis expertes, implacabiles, immisericordes.] Quod vitæ sceleratissimæ genus postea Sodomitæ repræsentarũt, & effinxerunt: & post eos Gabaonitæ, Gen. 19, 2. Pet. 2. 6, Iudæ vers. 7, Iudic. 19: inter quos fuit effrenis peccãdi licentia. In summa, omnis impietas, iniustitia, & intemperantia inter eos locum habuit: quæ vitia inter pios exulãt, Tit. 2 12, vt mirũ non sit postea tantam fuisse iram Dei in genus humanum vniuersum.

Q. Quibus tandem gradibus tanta hominũ nequitia irrepserit, & obtinuerit. R. Iam quidem ex parte fuit a nobis explicatũ. Nec enim cœpit illa tam nefaria hominũ vita demũ centum duntaxat viginti annis ante Diluuium, vt nonnulli tamen existimant ex Gen. 6. 3. sed perperàm. Quid ergo? Longè antea, & statim post peccatum primum primi hominis illa mali labes cœpit, & serpsit. Ergo malum hoc tam fœdum concipitur in corde hominũ, velut in aluo, ab illo, vti dixi, primo primi hominis peccato vsque ad publicã nominis Dei profana-

fanationem, Primùm per fratricidium Caini: Deinde per stuprum Lemechi: præterea per posterorum Caini audaciam & superbiam, vsque ad publicã nominis Dei profanationem per annos 135. conceptum iam hoc malum omnibus suis membris corruptissimis & fœdissimis postea formatur, & augetur in hominum corde, & voluntate, tanquam in aluo prægnante, nimirum à Profanatione illa nominis Dei vsque ad tempora natiuitatis Gigantum, & ad piorum ipsorum deprauationem per cõnubia cum impijs mulieribus per annos 872. Æditur in lucem, & per opera, omnis generis hominum externa apparente & erumpente, cœpit post Gigantes natos annis circiter 120: Et ante natũ Noachum ex pio Lemecho, annis quoque 127. Videtur enim Deus tot annos nempe 120 dedisse hominibus ad resipiscentiam, quotannis corruptissimum illud vitæ genus cœpit manifestè in mundum introduci, & edi ab hominibus, atque inualescere, maximè verò in omnes mundi partes exundauit, sparsus, confirmatus, immedicabiliterque corroboratus est hic publicus morbus post natiuitatẽ Noachi, & ante susceptos ab eo liberos. Regnat igitur & grassatur in mundo ab ista æditione sua hoc malũ vsque ad Diluuiũ à Deo immissum penè per totos annos 727 ab ista cõfirmatione 500 annos, per quos Deus illos homines manifestè sceleratissimos patientissimè tolerauit. Et hæc quidem mea est sententia de gradibus, quibus hoc malũ obtinuit. Tertullianus autem lib. Monogam. sic eos explicat, vt fratricidium Caini esse velit primũ gradum ad Diluuium, & iram Dei in mundum prouocandã. Deinde scortationem, siue violationem coniugij,

quæ à Lamecho impio facta est. Demum vltimũ gradum fuisse reliquas mundi iniquitates. Epiphanius lib. 1. contra hæres. hos gradus recitat, & enumerat, Τοῦ Ἀδὰμ παῖς Σὴθ, υἱὸς δὲ τούτου Ἐνώς· καὶ κατὰ διαδοχὴν Καϊνὰν, Μαλαλεὴλ, Ἰαρέδ· ὡς δὲ ἡ παράδοσις ἡ εἰς ἡμᾶς ἐλθοῦσα ἐντεῦθεν ἤρξατο ἡ κακομηχανία ἐν κόσμῳ γίνεσθαι, καὶ ἀπ᾽ ἀρχῆς μὲν διὰ τῆς τοῦ Ἀδὰμ παρακοῆς· ἔπειτα δὲ διὰ τῆς τοῦ Καϊν ἀδελφοκτονίας· νῦν δὲ ἐν χρόνοις τοῦ Ἰαρέδ, καὶ ἐπέκεινα φαρμακεία, καὶ Μαγεία, Ἀσέλγεια, Μοιχεία τε, καὶ ἀδικία. Οὐ γνώμη τὶς ἑτέρα, οὐ δόξα μετηλλαγμένη, ἀλλὰ μία γλῶσσα καὶ γένος ἓν ἐπὶ γῆς κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ ἐσπαρμένον, *id est [Adami filius Seth, filius autem huius Enos, & per successionem Kainan, Malaleel, Iared. Quemadmodum autem veterũ traditio habet, quæ ad nos vsq; peruenit, ex eo tempore cœpit in mundo esse malorum omnium inuentio, quæ quidem ab Adami peccato primũ orta fuerat, postea verò per fratricidiũ Caini: nunc autem temporibus nempe Iared & postea viguit Veneficiũ, Magia, lasciuia, scortatio, & iniustitia. Nec enim tunc sententiæ hominum diuersæ erant, non erant variæ opiniones: sed vna omnium lingua erat, vnum genus hominum in terris tunc erat sparsum.] Ex quo apparet eo ipso homines sese faciliùs corrupisse exemplis, & conuersatione cum alijs, quòd omnes tunc essent vnius labij (vti loquitur Scriptura) & linguæ, & alij alios scelera docerent: & oratione, vti & vita sua, ad malum alij alios inducerent. Ado Viennensis denique in prima ætate sic scribit, [In Cain, & Abel duorum populorum esse figuram Iudæorum, & Christianorum, vbi sacrificiũ maioris respuitur, & minoris placitum consumitur: electorum*

rum multitudinem ad veram & æternã dedicationem transferendam, & homicida filios viæ suæ ordinem corrumpentes, & iusto & manifesto iudicio omnipotentis Dei intercipiendos.] Q. *Vtrum hoc vitæ tam corruptæ ac dissolutæ genus ab Epiphan.lib.1.hæres.rectè* Βαρβαρισμὸς *appelletur potiùs, quàm* Σκυθισμός. R. *Quum pius ille pater ex loco Pauli, Colos.3.11.totam ætatem Mundi, quæ à prima eius creatione ad Christi Domini nostri resurrectionem præcessit in quatuor* ἐποχὰς, *& partes diuidere instituisset, vocauit Barbarismum totum illud seculum, quod à mundo condito fluxit ad Diluuium. Scythismum, à Diluuio ad Phalecum vsque, & Tharam patrem Abrahami. Hellenismũ seu Græcismũ, à Tharæ ætate vsque ad Legem à Deo Mosi datam in monte Horeb. Deinde Iudaismum, à Lege data ad Christum. Ergo Barbarismũ ea de causa totũ hoc tempus nominat, [quòd (vt ait idem) homines toto illo seculo neque vnum quendam Principem & caput haberent, neq; consensum Lege vlla firmatũ: sed quivis sibi præscribebat, & lex erat pro animi sui arbitratu.] Quod barbarorũ hominum proprium est.* Q. *Vtrũ Deus in hoc tam corrupto vitæ genere inter homines & liberè, atq; impunè grassante, mundum diuinâ sua prouidentia & sapientia rexerit.* R. *Regebat etiam tunc Mundum Deus & sapientiâ, & prouidentiâ sua: sed homines illos incredibili quadam patientia tolerabat, & expectabat, si fortè resipiscerent, vt est 1.Pet.3. 20 2.Pet.2.5, Rom.2.4: nimirũ vt hac ratione redderet eos inexcusabiles. Fuit igitur summa Dei potentia potuisse Mundi huius statum aduersus tantum sce-*

lerum in dies crescentium impetum conseruare tamen firmum, & in tanta hominũ aliorum in alios violentia efficere, vt & multiplicarentur, & superessent homines. Fuit summa eiusdem Dei Sapientia tot hominũ conatibus impijs & iniustis obuiam ire, eorúmque effecta sistere, ne omnia subuerterent. Fuit summa misericordia Dei tam prauos & immorigeros homines tamen in his terris alere, & Solis, Lunæ, ac Terræ vsum illis relinquere, ac largiri. Fuit denique summa eiusdem iustitia ad eos per sua ipsorum peccata coërcendos tradere eos ipsos suis cupiditatibus, & diu toleratos semel postea funditus delere. Ergo Mundus tunc quoque Dei prouidentia regebatur, vti & nunc. Sed veniamus ad denuntiationem primam futuri Diluuij Noacho a Deo factam. Historia temporis ordine sequitur.

Ad IX. Denuntiatio prima futuri Diluuij à Deo facta Noacho.

Quæritur, Vtrum Noacho nati sint filij, quos commemorat Moses ante primam hanc Denunciationem futuri Diluuij disertè à Deo illi factã, Gen 6.3. R. Nequaquam. Nam præcessit hæc Denuntiatio prima futuri Diluuij, quæ à Deo facta est Noacho, natiuitatem triũ Noachi liberorũ, quos recenset Moses Gen.5. 32, & 6.10. Facta est enim hæc prædictio Noacho anno ætatis 480, annis nimirũ 120 ante diluuium Gen.6 3. Nati verò sunt Noacho primũ liberi anno eius 500 vt apparet Gen.5.32. Ergo intercedunt anni 20. toti inter vtrumq́; tempus. Q. Quomodo sunt intelligendi

gendi illi 120 anni, quos fore dies hominis prenuntiat Deus in illa Denunciatione futuri Diluuij, Gen.6.3.
R. Plerią; sic eos annos acceperũt, quasi hominũ vita esset in posterum atque in ætates sequentes tantùm 120 annorum futura, eámque metam Deus futurorum hominum vitæ præscripsisset, & præfixisset, quoniã illi ob superiorem longæuitatem peiores deterioresque effecti fuissent. Nam illi sese antea putabant ob diuturnũ vitæ tẽpus futuros hîc immortales. Sic Iosephus lib.1. Antiquit.cap.5. Philo lib.1. Antiq. Biblic. Lactantius lib.2.cap.13. Instit. Christ. Zonaras lib.1. Annal. & plerią; alij. Verùm Augustinus, & ante eum Hieronymus aliter. Sic enim ille lib.15. Ciuitat. Dei, cap.24, [Erunt dies eorum centum & viginti anni, nõ sic accipiendum est, quasi prænuntiatum sit posthac homines 120 annos viuendo non transgredi, quum & post Diluuium 500 excessisse annos inueniamus.] Quid igitur? Hos annos 120 dedit illi seculo, quantumvis corrupto, Deus concessitą; ad resipiscendum, si fortè homines illi cor haberent. In quo apparet incredibilis Dei in malis tolerandis patientia: ob quam magis illi reddebãtur inexcusabiles, nempe tot annis à Deo expectati & sollicitati, 1.Pet.3.20. Hæc autem est Prima Denuntiatio Diluuij, quæ Noacho à Deo facta fuit, nimirum anno 480. maturè, vt suum exitium impij & præscirent, nisi resipiscerent: & cauerent tam seriò à Deo moniti. Sed Moses ἀνθρωποπαθικῶς narrat Deum apud se de Hominũ improbitate stomachatũ: deinde quid propterea facturus esset, Noacho denuntiasse, Gen.6.3. Q. Vtrum eam pœnam futuram annuntiarit improbis homi-

nibus Noachus, an siluerit. R. *Eam pœnam, iustitiámque Dei futuram Noachus publicè palámque hominibus illis impijs & iniustis intrepidè, liberè, & constãter denuntiauit, & quidem sæpè sæpius, & per totos illos* 120 *annos. Itaque dicitur Præco iustitiæ Dei,* 2. *Pet.* 2 8. *Deus immorigeris illis per Noachum seruũ suum fidelissimum iam tunc dicitur prædicasse,* 1. *Pet.* 3.19.20. *Dicitur denique Noachus mundum & concionando de futura Dei ira, & Arcam ædificando condemnasse, Heb.* 11.7. *Ergo in sinu tacitus illam denũtiationem sibi à Deo factam non tenuit, non occultauit metu mortis: sed vt Propheta summi Dei constantissimus, vt Athleta Dei inuictus eã euulgauit, & homines per tantum tempus ad pœnitentiã inuitauit, ipse fidem habens Deo de ijs rebus, quæ nondum, vel spe quidem tenuissima, apparebãt, Heb.* 11.7. Q. *uare Noachus inter præstantissimos Dei seruos & Prophetas ab Ezechiele recensetur, cap.* 14.14 20, *Eccles* 44.17.18.

Q. *Vtrum illius sæculi homines resipuerint ad eam Noachi prædicationem.* R. *Minimè verò. Imo cõtum ociores etiam facti videntur, quũ illa Dei iudicia sibi denuntiata statim euenire neque cernerent neq; Dei duram illam manum experirentur homines illi superbi Math.* 24 37.38, *Luc.* 17 17, 1. *Pet.* 3 20. *Itaque liberè vitijs suis, vt antea, indulgebant.* Q. *Vtrum, quũ non emendarentur homines, Noachus ex ea terra, & ab ijs hominibus cum liberis suis fugerit, cum quibus priùs erat, quibusque prædicauerat, ob mortis metum, quemadmodũ scribit Iosephus lib.* 1. *Antiquit. cap.* 5. R. *Nusquam hoc in Dei verbo extat, estq; Rabbi-*

nicum

nicum commentum, vt pleráque alia apud eundem autorem. Præterea facit ea sententia summam vero Dei Prophetæ Noacho iniuriã, quem fingit timidum. Denique quum omnis caro corrupisset vbique viam suam, & tota terra, vniuersaq; Orbis partes plenæ essent violentia, vt est Genes.6.11 & 12, quò fugisset, quóve se recepisset Noachus, vbi eadem nõ timeret, nempe mortem ab improbis, qui supra totius terræ faciem sparsi, & immanes erãt, & violenti? Nusquam enim tutus ab ijs futurus erat. Q. Quomodo Deus pœnitere dicatur, Gen.6.7. R. Ἀνθρωποπαθικῶς, *& phrasi ex hominum moribus sumpta, quomodo & Irasci, & Videre dicitur, Augustinus lib.15.Ciuit.Dei, cap.25. Q. Cur Deus minatur se animalia bruta perditurum quoque in diluuio Gen.6.7, & 17, quod & postea euenit Gen.7.21, 22, quum illa minimè peccassent, sed homines soli Gen 6.13. R. Augustinus lib.15.Ciuit. Dei, cap.25 ait, [Quòd autem etiã interitum omniũ animalium terrenorum, volatiliúmque denuntiat, magnitudinem futuræ cladis effatur. Nam animantibus rationis expertibus (tanquam & ipsa peccauerint) minatur exitium.] Iustè verò & Animantia terrena, & Volatilia propter hominum peccatum extinxit Deus, quòd eæ res essent hominis, & hominum vel alendorum, vel delectandorum, vel adiuuandorum gratiâ conditæ à Deo. Ergo quemadmodũ in crimine læsæ maiestatis humanæ non ipse duntaxat autor sceleris: sed etiam eiũs res omnes bonáque meritò ad tanti criminis fœditatem demonstrandã puniuntur, ac perduntur: sic, & quidem multò æquiùs, in crimine læsæ maiestatis diuinæ: in quod*

flagitium inciderant illius seculi homines omnes. Q. Q. Cur Terra ipsa, in qua homines illi habitabant, etiam & ipsa polluta quoque dicitur Gen.6.11: quum sit Terra brutũ & sensu carens elementum. R. Quũ hominibus destinata sit à Deo terra, velut eorũ domicilium, Psal.115.16, certè prout homines ipsi terræ cuiusque incolæ sunt aut puri, aut impuri: aut sancti, aut polluti: sic terra quoque ipsa in qua sunt, pura vel impura, sancta vel polluta est, & à Deo benedicitur vel maledicitur, vt est Psal.107 34, Deut.28, Leuit.18 25.28. Sed iam ad X. historiæ nostræ caput, quod est de natiuitate & serie filiorum Noachi, accedamus.

Ad X. Natiuitas filiorum Noachi.

Quæritur. Quid vox [Genuit] significat, quũ Gen. 5.32 dicitur, [Postquam autem natus fuit Noachus 500 annos, genuit Semum, Chamum, & Iaphetum.] Vtrum omnes istos vno & eodem anno susceperit ex vxore sua Noachus. R. Nequaquam, vti ex Gen. 11.10, & 10.21 apparet. Ergo Genuit, id est, Gignere cœpit, vti sumitur Gen.11.26. Id quod Franciscus Iunius in annotat. suis in Genes. primus obseruauit. Q. Ecquis inter tres istos Noachi filios fuerit primogenitus, & quo quisque eorum ordine natus sit Noacho, quemadmodum ex Mose colligi potest. R. Matheus Beroaldus in Chronicis vir diligentissimus primus id annotauit lib.3.cap.2. probatque Iaphetum fuisse liberorum Noachi natu maximum, vti dicitur Gen.10 21, qui natus sit anno ætatis Noachi 501: Semum verò secundum natũ esse, vtpote qui natus sit anno

Noachi 502, Gen 11.10: Chamum denique natu minimum ex istis tribus fuisse. Id quod diserte scribit idem Moses Gen 9.24. Itaque filij Iaphethi velut primogeniti recensentur primo loco, Gen. 10.1.2.3, quos nẽpe suscepit post diluuium Iaphetus. Q. Cur igitur Semus semper prior nominatur Gen. 5 32, 6.10, 10 1. R. Non propter prærogatiuam ætatis, quũ eo maior annis esset Iaphetus: sed propter prærogatiuã dignitatis & electionis Diuinæ. Ille enim nempe Semus fuit Electorum, & Ecclesiæ Dei post diluuium parens, Gen. 10 10, & deinceps. Sic Abrahamus inter filios Tharæ primus non ratione ætatis, sed dignitatis in eum à Deo collatæ recensetur, Gen. 11.26. Nachor enim primogenitus fuit inter filios Tharæ, Gen. 12.1. Q. Cur nomen vxoris Noachi non additur, ex qua homines restituti sunt, vti Euæ nomen supra commemoratum fuit .i. eius mulieris, ex qua primùm genus humanum satũ fuit: quum ex hac vxore Noachi, & ex Noacho ipso perinde omnes homines propagati fuerint, vti ex Eua & Adamo primùm progeniti erant. R. Propterea quòd non ex sola fœmina & Noacho totũ genus humanum propagatum fuit, vt ex solo Adamo & Eua: sed etiam ex nuribus & filijs ipsius. Idcirco idem priuilegium, eandemque prærogatiuam (vt vel hæc nominaretur, vel etiam illæ filiorũ Noachi vxores) non obtinuit, neque nurus ipsius quoque. Ergo prætermissa sunt à Mose omniũ earum nomina: neque etiã ea habet Philo Iudæus. Verũ Epiphanius hæres. 26 putat nomen eius fuisse Barthenos: At Gnostici Noriã vocant: alij verò Pyrrham. Apud Berosum tamen sic nominantur, Ty-

thea magna Pandora, Noela, & Noegla, quatuor illæ. Cæterùm his expositis, ad caput vndecimum huius historiæ veniamus. Est autem Præceptum Dei de fabricanda Arca, propter iam iam instans diluuium.

Ad XI. Præceptum Dei de fabricanda Arca Noacho factum.

Quæritur, Quando Deus Noacho præcepit, vt Arcam fabricaretur, vtrum totis centum viginti annis ante diluuium, an sub finem duntaxat illorum 120 annorum? R. Videtur nonnullis ex Hebr.11.7, Arca cœpta primùm ædificari à Noacho anno 120 ante Diluuium, & per totum illud tempus cõtinuata, tandemq́; perfecta. Augustinus lib.12.contra Faust.cap.18.censet per cẽtum totos annos fuisse fabricatam à Noacho. At series historiæ à Mose conscriptæ videtur id refutare, quum aliud tempus disertè statuatur primæ Diluuij denunciationis à Deo factæ, & Præcepti de Arca construenda æditi, Gen.6.7.13. Illud enim lõgè prius, hoc posterius fuit. Imò verò ex Berosi cuiusdam fragmentis apparet Arcam hanc annis tantùm 78 ante diluuium ædificari cœptam. Verùm dixerim ego, quemadmodum ex ipsis textus verbis colligitur vers.13, tũ demum Noachũ iussum de Arca ædificanda accepisse, quum instaret finis omnis carnis .i. quum propinquum iam esset diluuium, paucis nimirum omnino annis antequam pluuiæ illæ è cœlo deciderent. Sic quoque Philo in Antiquit. Bibl. Nec enim Deus hoc opus tandiu languere & trahi voluit. Antea tamen Noachus & mundum

dum condemnabat, & de futuro Diluuio concionabatur palàm, & publicè prout à Deo ipso iussus fuerat. Porrò, Vtrum tres tantùm filij cum patre Noacho hanc Arcam ædificarint, incertum est. Verisimile est adhibitos quoque ab ijs fuisse alios operarios, & coadiutores etsi dictū est Noacho ipsi, [Fac tibi] Gen.6.14, quicquid disputet Augustinus libr. Quæst. in Genes. cap. 5. Sed operarij illi in Arcam tamen non intrauerunt, quoniam minas istas Dei veras esse non crediderunt. Ergo fide caruerunt, quam Noachus & filij eius habuerunt.

Q. Cur eiusmodi vas & ædificiū tantū Arca, Thebat Hebraicè, Græcè λάρναξ *vocatur: nō autem Nauis, vel nauigium, quū in aquis versaretur, & nauigādi gratiâ constructum esses, paratúmque. R. Iosephus lib.1. Antiquit. cap. 5. eam generaliter vocat* μηχανὴν *& arte cōfectam structuram asserum & camerarum. Sacra verò Scriptura in nouo Testamento vbique* κιβωτὸν, *.i. Arcam, vti Heb.11.7, 1.Pet.3.20. Epiphanius in Ancorato [Aron] Hebraicè dici putat, eamq́ vocem ipse conuertit Græcè* λάρνακα. *Verùm Hebræi vocant [Thebat] quam vocem à nomine [Aron] differre scribunt. Nam Aron significat generaliter Arcam, & tectam vndique structuram quamvis, qualis fuit Arca Sanctuarij. Thebat autem eam Arcam tātùm seu structuram, cuius vsus est in aquis. Sic Exo.2.3. Alij igitur hoc nomen vertunt Tectum nauigium, à forma. Ex lignis autē Gopher exstructa est Arca, id est, cedrinis, vt interpretatur Philo, quæ putrescere non solent in aquis: sed in illis robur suum integrum seruāt. Albinus Præceptor Caroli Magni in Quæst. in Genes. ait, [Li-*

gna leuigata, de quibus Arca præcipitur fieri fuerunt fortia, & indissolubilia: denique quadrata, ne Arca vi ventorum, aut aquarum impetu solueretur. Bitumine quoque illini iubetur, quod est feruentissimum & violentissimũ gluten, cuius hæc est virtus, vt ligna eo oblita nec vermibus exedi, nec Solis ardore, nec fluctibus ventorum, nec aquarum possint inundatione dissolui.] Cur autem hoc tectum ædificium non appellatur Nauis ratio est, ne videretur Deus Noachum, eiusque familiã in ea Arca seruare velle ordinario modo, & quo solent homines in nauibus velo, & remis instructis incolumes per medias aquas euadere. At hoc vas & ædificiũ nihil tale habuit, non vela, non remos, non remiges, non rudentes, aut vllos funes nauticos, non anchoram, qua regeretur: sed his omnibus destitutus Noachus in medijs tamen aquis & tempestatibus illis magnis per annũ saluus & incolumis à Deo miraculosè, & extraordinariè seruatus est. Ergo non iubet Deus nauem ædificari, quæ media & instrumenta nauigationi apta haberet: sed ædificium quoddam, & illud quidem in imo seu fundo planum, quod omnium nauium extructioni repugnat. Habent enim naues fundum desinens in angustum: in lateribus diffunduntur. Arcam verò eã appellauit Deus à forma & vsu, quòd in ea, velut capsula & sepulcro tutus tamen lateret, ac versaretur Noachus. Q. Cur has dimensiones, quas cõmemorat Moses, Arca habuit, videlicet 300 cubitos in lõgitudine: 50 in latitudine: 30 in altitudine? R. De harum dimensionum significatione Patres anxiè quæsiuerunt, & cur easdem hac proportione habuerit: imprimis autem Origenes.

Tan-

Tandem verò Augustinus lib. 15. Ciuit. Dei, cap. 26. sic eas exposuit, [Arca (inquit) in quam Noachus ingressus est, proculdubiò figura est perigrinãtis in hoc seculo ciuitatis Dei, hoc est, Ecclesiæ, quæ fit salua per lignum, in quo pependit Mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus. Nam & mensuræ ipsæ longitudinis, altitudinis, latitudinisque eius significant corpus humanũ, in cuius veritate ad homines prænuntiatus est venturus, & venit. Humani quippe corporis longitudo à vertice vsque ad vestigia sexies tãtùm habet, quàm latitudo, quæ est ab vno latere ad alterũ latus: & decies tantum, quàm altitudo, cuius altitudinis mensura in latere à dorso ad ventrem: velut si iacentẽ hominem metiaris supinum, seu pronum, sexies tantùm longus est à capite ad pedes, quàm latus à dextra in sinistram: & decies quàm altus à terra. Vnde facta est Arca trecentorum in longitudine cubitorum, & quinquaginta in latitudine, & triginta in altitudine. Et quod ostiũ in latere accepit, profectò illud est vulnus, quãdo latus crucifixi lancea perforatum est. Hàc quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur. Et quod de lignis quadratis fieri iubetur, vndique stabilem vitam Sanctorum significat. Quacunque enim verteris, quadratum stabit. Et cætera, quæ in eiusdem Arcæ cõstructione dicuntur, Ecclesiasticarum signa sunt rerum,] quemadmodum idem Augustinus explicat lib. 12. contra Manich. cap. 14. 15. 16. 17. 18. Cæterùm vt, quod ipse sentio, pronuntiem, & aperiam, sic dico, Rectè quidem Arcam cum Ecclesia Dei conferri, vt apparet ex 1. Pet. 3. 20

Tertulliano, Cypriano, Hieronymo, Augustino, Gregorio, & omnibus Patribus. Illas verò dimensiones argutè nimium & subtiliter cum corpore humano (quasi illius essent figura) comparari. Sequatur tamen id, qui volet. Verùm Gregorius Magnus Homil.16 in Ezech. aliter easdem interpretatur. Ego verò illas à Deo additas & præscriptas puto, quòd ædificium, & nauigiũ eiusmodi magnitudinis, id est, latitudinis, altitudinis, & longitudinis satis esse viderit, cognoueritque Deus fore capax ad numerum eum & animalium, & Hominum cõmodè capiendum, quantum Deus in Diluuio seruare decreuerat. Gregor. Magnus, [Ipsa ratio exigit, ait, vt credamus, quòd in illa latitudine omnes bestiæ, cunctaq; quadrupedia, atque reptilia in inferioribus fuerunt: Homo verò, atque volatilia nimirũ in superioribus.] Nec enim in ea Arca Deus Noachum tanquam in palatio collocauit, vbi haberet diuersas cœnationes, alias æstiuas, alias hybernas, item deambulationes latas, & spatiosa quædam cubicula spatiandi vel animi caussa, & aulas ad mutandũ hospitium diuersas. sed in ea Arca tanquam in sepulcro Noachum esse & iacere, id est, versari angusto in loco voluit Deus. Ergo eas tantùm cameras, eosq; nidos seu cubicula habuit, quæ & homines, & animalia à Deo seruanda commodè quidem, sed angustè & arctè continere possent. Porro nauium multarum longè maioris, quàm hæc Arca fuerit, magnitudinis exempla extãt apud Athenæum lib.5. Dipnosoph. & apud Plutarchũ in vita Demetrij, qualis nauis Hieronis regis Syracusarum, & Ptolomæi Philopatoris fuit. Ecquis autẽ Cubitus sit hîc intelligendus,

vtrum

vtrum communis, & qualem homines illius seculi habuêre: an verò alius quidam eo maior, qualis est Geometricus, qui tantum capit, quãtum sex nostri, seu hominum illius ætatis cubiti continent, anxiè quæsitum est. Origenes, vt tradit Augustinus lib. 15 Ciuit. Dei, cap. 27 de Geometrico cubito hunc interpretatur. Ioannes Buteo de communi, qualem illius æui homines habuere, cui potius equidem assentior. Q. Quot contignationes seu concamerationes tota illa Arca habuit? R. Iosephus scribit eas in Arca fuisse quatuor lib. 1. cap. 5 Antiquitatum. Albinus in Quæst. in Genes. quinque: nempe infimam Stercorariam: secundam Apothecariã vbi cibi fuerunt repositi: Tertiam feris animãtibus destinatã: Quartam, mansuetis: Quintam & supremã, hominibus ipsis. Augustinus lib. quæst. in Genes. cap 6. tres solùm cõtignationes in ea agnoscit. [In prima enim habitatione, ait, id est, in inferioribus semel camerata erat Arca: In secunda habitatione etiam supra inferiorem camerata erat, ergo iam bicamerata: ac per hoc in tertia supra secundam tricamerata erat.] Hæc sententia vera est, & cõfirmatur Gen 6. 16. Porro supra tres illas contignationes erat tectum Arcæ, quod totam eam cooperiebat, & cõtignationes à pluuia, & reliquis iniurijs cœli defendebat. In singulis quoque concamerationibus seu contignationibus erant plures cameræ, stabula, seu nidi asseribus inter se distincti ac separati, intra quos vniuscuiusque generis animantia collectim .i. simul & vnâ (quæ erãt vnius generis) asseruabantur: In alio nido animalia alterius generis: sic, vt genus quodq; animalium ab alio diuersum peculiariter quoque & si-

gillatim in vna aliqua cõtignatione suũ nidum, & caulam ab alio distinctam haberet. Q. Cur fuerint in Arca tres tantùm contignationes, præter tectum, nõ autem plures: quũ eorum tamen (quæ in Arca seruari debebant) animaliũ, præter homines, videãtur fuisse quatuor ad minus genera, nempe Bestiæ seu feræ animãtia, Iumenta, Reptibilia, & Volatilia, & quidem hæc ipsa secundũ species suas, vti docet Moses Gen. 6.20, & 7.14. R. Homines eãdem cum iumentis seu cicuribus animãtibus terrenis habitationem habuisse, atque occupasse omnino verisimile est. Ergo vtrúmque hoc genus vnam tantùm habitationem (siue ea media, siue supremã fuit) id est, Iumenta, & Homines vnam duntaxat cõtignationem in varias cameras diuisam possederunt. Reptilia verò velut serpentes bestijs seu feris animantibus accensebantur. Ergo & hæc duo quoque animaliũ terrenorum minimè cicurum genera vnam solùm contignationem in varios nidos separatam obtinebãt queq́; quæ videtur fuisse infima concameratio. Volatilia denique omnia vnam quoque habitationem (quæ suprema videtur fuisse) in varios nidos partitã habebant. Itaq́; quanuis eorum, quæ in arca fuerunt, animalium genera quinque distingui possint, videlicet Homines, Iumenta seu cicura animantia, Bestiæ seu feræ animalia, Reptilia, & Volatilia, tres tamen concamerationes seu contignationes ad hæc omnia capiẽda in illa Arca satis erãt. Q. Quomodo tantulum seu ædificium seu nauigiũ tot animantium species (quot & Deus creauerat, & tunc viuebant) capere quiuerit, & illa in Arca tam parũa contineri potuerint, Gen. 6.19, & 7.14. R. Augustinus

ſtinus de hoc ipſo dubitat lib.1.in Geneſ.cap.6:ſed tãdem recurrit ad cubitum geometricum, quem intelligẽdum putat in Arca fabricanda. Is autem quum ſit maximus (ſinguli enim cubiti Geometrici valent ſenos noſtros) maximæ quoque capacitatis, ait, Arca ſeu ædificium illud fuit. Verùm idem hanc ſolutionem nequaquam ſatis firmã eſſe animaduertens, decurrit ad aliã, nempe lib.15.Ciuit.Dei,cap.27. Negat enim omnia animalium genera in Arca iſta fuiſſe. Nam in ea vel in aquis viuunt,inquit,vel non. Quæ viuunt in aquis,vti Piſces,& alia quædam animãtia,non fuerunt in Arca. Eorũ verò,quæ duntaxat extra aquas degunt,alia ſine concubitu maris & fœminæ naſcuntur,vti locuſtæ,apes, pulices,mures,& quædam aliæ minutæ beſtiolæ, quæ ex quibuſuis rebus & ſordibus naſcũtur.Hæc quoque animantia non fuerunt in Arca. Sed & quæ ex coitu quidem maris & fœminæ generãtur,ſed nõ eiuſdem generis (quoniam etſi ſexum habent, non habent tamen fœtum, velut Mulæ) nec ea quoq; in Arca collocat,quales ſunt Muli, qui ex Aſina & Equo gignuntur, Gen.35.24. Auguſtinus lib.3.Geneſi ad liter.cap.12 & 14.Verũ Ioannes Buteo melius,quo modo tot animantium terrenorum & volatilium genera ſecundum ſuas ſpecies in Arca diſtinctè cõſtitui & manere potuerint,docet: Primùm feras beſtias ſeu ſuper ventrem repentes, ſeu gradientes pedibus ſuis in ſuas ſpecies diſtribuit, quas vix quindecim,vel ad ſummum ſexdecim numero reperies. Ergo in prima ſeu infima contignatione collocentur hæ ſpecies omnes animaliũ numero ſexdecim. Iumenta ſeu manſueta animalia(quod eſt ſecundũ genus terrenorũ)

in suas species quoque diuidito: Has vix quindecim inueneris. Hæ verò in sua .i. in secunda seu media contignatione unà cũ Noacho & filijs eius ponantur. Quanquam Gregorius Magnus Homil. 16 in Ezechiel. Volatilia & Hominem in superioribus collocat. Volatilia denique in suas similiter species tribuito, quas vix effeceris viginti numero diuersas. His sua pariter contignatio nempe suprema destinata est, quæ eadẽ contignatio, præter omnes auium species, vnà cibos ad animaliũ & hominum victum coaceruatos inuectosq; in Arcam, certis cellulis distinctis, habebit. Iam verò facile in vnaquaq; contignatione cellulæ seu stabula ædificari potuerunt, alia quidem ampliora, alia verò minora pro ratione animaliũ quæ ijs contineri, & concludi debebãt. Maius enim stabulum Elephantis, quàm Lupis in infima concameratione fuit ædificãdum: item latius Leonibus & Leænis, quàm Vulpibus & Stellionibus. Eodẽ modo de mãsuetorum animalium cellulis, quæ in medio tabulato fuerunt, sentiendum, Eas maiores vel minores à Noacho viro prudentissimo constitutas pro magnitudine vel numero bestiarum in ijs cellulis collocãdarum, ac recipiendarum. Iam verò vnaquæq; contignatio habuit 300 cubitos, id est, ad minus 450 pedes in longitudine, qui si in quindecim species seu cellulas diuidãtur, habebit vnaquæq; cellula pedes 30 in longitudine. Latitudo Arcæ continebat 50 cubitos, qui vel minimùm efficiunt iustos pedes 75. Hæc latitudo, si in quindecim partes & cellulas diuidatur, habebit vnaquaque cellula vel stabulum pedes 5. in latitudine: ex quibus iam apparet quàm facilè omnia animantia illa in Arca contineri

tineri potuerunt. Nam ex minoribus cellulis est detrahendũ quod maioribus addas, vt omnia cõmode animalia in illis collocentur. Q. Quomodo cum tot animalibus, eorúmque fœtore & sordibus versans tanto tempore & in eodem ædificio Noachus & filij, tamen nec ipse, nec filij eius illic cõputruerunt, neque mortui sunt? R. Certissimum quidem est neque ex animalibus, neq; ex hominibus, qui in Arcam ingressi sunt, vllum in ea mortuum esse. Nam Moses disertè docet omnia viuentia, quæ in eam intrauerant ante Diluuium, etiã ex eadem post Diluuiũ exijsse nihilóq; perijsse. Gen.7.15, & 8.16.17.18.19. Nam Deus ea singula conseruauit, vti fuerat pollicitus. Non computruit igitur in Arca vel Noachus, vel filij eius, vel vxor, vel nurus: neque tetro sordium ex tot animalibus collectarum odore extincti sunt homines illi: imò nec alia animalia vlla, quoniam ea Deus sustentauit, & superesse diluuio voluit. Fuit quidem miserũ, sanctos illos homines cum tot brutis animantibus esse: Nam in Arca velut in sepulcro inter medias feras, in medijs earum sordibus, in aquis & mortis horrore perpetuo oculis obuersãte versati sunt: verùm hoc sepulcrum Deus ijsdẽ parauerat, in quo eos ex morte conseruaret, & ex medijs aquis eriperet. Feræ verò bestiæ tunc ferociam suam ad tempus deposuerãt, Deo sic eas subigente, & metu mortis earum sæuitiam domante, denique incusso eisdem feris quantumuis trucibus terrore à Deo. Quantum verò ad sordes, etsi peculiariter qua ratione purgarẽtur ex arca, non describit Moses: aliquo tamẽ pacto, & ex aliqua Arcæ parte velut per fenestram eiectas nonnunquã fuisse indico, ne

nimius earum fœtor hominibus noceret. Certè si in Arca per tantum tempus retentæ fuerunt eæ sordes, iacuerúntve, quantum diluuium fuit, quantúmque animalia fuerunt ac manserunt in Arca, Deus temperauit, cohibuitque istum putorem ac fœtorem, ne homines, ipsáve animalia læderet. Ergo fuit Noachi conseruatio extraordinarium Dei opus. Q. *Cur Deus animalia quædam ex ijs, quæ cum impijs illis hominibus fuerant, & in primo illo impuro Mundo vixerant, reseruauit: quũ omnia immundorũ hominum sint immunda, Tit. 1. 15: & Deus alia noua in nouo & repurgato post Diluuium mundo denuo, vt in prima Mundi origine, creare potuerit: denique quum infantes impiorum seruare noluerit, sed eos aquis perdiderit?* R. *Ne vilesceret miraculũ illud primæ rerum Creationis, Deus vel animalia, vel homines denuò creare noluit ex nihilo, vel etiam ex terra, quemadmodũ primùm fecerat. Verùm vt verbi & præcepti sui semel rebus creatis dati vis & robur intelligeretur perpetuũ, nempe [Crescite, & multiplicamini] voluit in futuro post diluuium seu repurgato mundo & animalia, & homines ex ijs, quæ iam a se creata erant, illudque præceptũ acceperant, propagari, & oriri. Sic enim maior verbi diuini efficacitas animaduersa est, & Lex à Deo semel naturæ data firmior intellecta. Sic post diluuium idem Deus ordinem naturalem à se antea constitutum denuò sanxit, & durare voluit, Gen. 8. 22. Porrò illa Animalia, quæ seruauit in Arca Deus, nequaquam fuerunt vel per se, vel ex eo polluta, quòd in eodem cũ impijs illis hominibus mundo & eodem tempore vixissent. Nam quũ ratione careãt,*

pec-

peccatum in ea non cadit. Quòd tamen quædã animalia iam tùm immunda dicebantur, aliò pertinet, vt mox exponetur. Cur denique impiorũ nullos infantes ex isto diluuio eripuerit Deus, quum tamen animalia quædã ex eodem exemerit, in sequenti historiæ capite declarabitur. Q. *Cur quædã animalia bruta iam tum vocabantur immunda, Gen.7.2: quædam verò munda, quum omnis caro corrupisset viam suam? Gen.6.12.* R. *Suprà demonstratum est, quod dicitur, [Omnis caro corruperat viam suam supra terram] de solis hominibus intelligendum esse. Via enim illa est via morũ, non via pedũ. Ergo quædam animãtia, imo verò omnia bruta ratione ea, qua peccatum cadit in hominem, fuerunt munda: nam omnia peccato carẽt, quum & voluntate & intelligentia sint spoliata, minimèque prædita. Quamobrem ἄλογα nominantur. Quædam tamen ex brutis istis animantibus appellantur Immunda, duplici nomine nempe tùm sacrificiorum, quæ vero Deo fiebãt: tùm etiam ipsorum hominum vsus gratiâ, nempe quòd eiusmodi animaliũ genera neque tunc ad diuina sacrificia adhiberentur, neq; ad esum hominum. Hæc autem genera postea Lege sua Ceremoniali declarauit Deus, etsi fortassis ea in Lege sua postea amplificauit, & plures eorũ species per Mosem constituit, Leuit.11, Deut. 14.4.5, & deinceps.* Q. *Cur plura mundorũ, quàm immundorũ animaliũ genera seruat Deus?* R. *Apparet ex Gen.7.2. septena marem & fœminam ex animalibus mũdis iussu Dei sumpta fuisse, id est quatuordecim capita, septem nimirum ex eo genere Mares, & septem fœminas: At ex immundis bina tantũ, Marem,*

& fœminam .i. quatuor duntaxat ex eo genere capita videlicet duos mares, & duas fœminas Ergo mundorum fuerunt paria septem: Immundorũ autem paria solùm duo. Falluntur enim qui ex Gen. 6.19 putat ex omnibus animalibus brutis bina tantùm, nẽpe marem & fœminam, ingressa fuisse Arcam: ex quouis nimirum eorũ genere, non plura. Nam vt scribit Augustin lib. quæst. in Genes. cap. 8, locus ille non definit numerum recipiẽdorum animaliũ, sed ostendit paria & coniugia in omnibus recipiẽdis siue mundis, siue immundis esse oportere, nẽpe marem & fœminã. Ergo longè maiorem mundorũ, quàm immundorum animalium numerũ Deus in Arca seruari voluit, ex quo singula eorum genera postea propagaret, quod & ad sacrificia diuina, & ad victũ hominum vsus erat futurus mundorum animalium, Gen. 8.20, & 9 3. Nullus autem ad vtrumq; immundorũ vsus. Cæterùm ad terna mundorum paria septimũ adijcit Deus, vt post diluuium ex eo septimo pari sibi sacrificium à Noacho posset offerri, quemadmodũ obseruauit Ioan. Caluinus idque postea factũ est, Gen. 8.20 Q. Quomodo intelligẽda sunt hæc verba Mosis [Bina, & septena, Marem, & fœminam] vti extat disertè Gen. 7.2. R. [Bina, Marem & fœminam] denotãt bis marem, & bis fœminam ex eo animantiũ genere sumenda: ergo quatuor capita, duos mares, & duas fœminas. Septena marem & fœminã significant septies marem, & septies fœminam ex ea specie animalium capi debere: ergo quatuordecim capita. septem mares & septem fœminas. Sic Philo. & Epiphanius. Q. Cur Deus animalia quædam immunda in futurum post diluuium

luuium ſeculũ reſtare & reſeruari voluit, qui Mundũ propter immunditiem delebat? R. Quum Deus animalia immunda ſeruari præcipit, vt poſt Diluuium genus quoque eorum propagaretur, non propterea vult aut probat Deus peccatum & nequitiam propagari, propter quam priorem illum Mundum perdebat: (nec enim Immunda dicuntur illa animalia, quòd peccatum perpetrarent) ſed ſpecies omnes rerũ à ſe in prima mundi origine creatarũ ſeruari voluit Deus. Nam inquit Epiphanius lib.1.contra hæreſ. περὶ σύςασιν πάλιν τῆς ἐν κόσμῳ πάντων ὑποςάσεως, *ea cuſtidiuit in arca Deus, ne mundus poſt diluuiũ eſſet imperfectior, aut in eo minus Dei ſapientia, bonitas, potentia ad ſe agnoſcendum eluceret, quã in primo illo & deleto, Rom.1.20. Qua verò ratione primùm Deus Immunda animalia creauit, eâdem illa retinere in mundo & conſeruare voluit, iuſſitque etiam poſt diluuium eſſe. Q. Ecquis cibus ad victum animalium in Arcam cõportatus fuit, quod ſcribitur Gen.6.21: quum non omnia animalia eſca eadem vtãtur, & alantur, vt Leones, & Equi. R. De hoc ipſo quærit Auguſtinus lib.quæſt.in Gen. cap.71. Verùm quũ ſic disertè præſcripſerit Deus, [Accipe tibi de omni cibo, qui comeditur, & collige penes te, vt ſit tibi & illis ad comedendum:] & quum Gen.7.7 dicatur Noachus feciſſe ſecundũ omnia, quæ præceperat Deus, mihi dubium nõ eſt, quin ex omni cibo Noachus tanquam bonus Paterfamiliâs promus & condus collegerit, ex quo animaliũ tot ſpecies paſci ſolent, & poſſunt commodè, eaſque eſcas certis in cellulis & apothecis in Arca repoſuerit, velut in ſuprema contignatione, quale*

est frumentum, fœnum, herbæ: quos cibos in tanta tamen aerij pluuij humiditate Deus conseruauit, ne putrescerent in eadem Arca. Q. Vtrum in Arca plures, quàm vnica fenestra, fuerint, Gen 6.16. R. Quicquid alij sentiant, ego Francisci Iunij viri eruditissimi, atque optimi Theologi sententiæ subscribo, qui sic locum illum Genesis interpretatur, [Clarum lumen adhibeto Arcæ] additq; postea colum distinguens. tum sequitur, [ad cubiti altitudinem consummato eã arcam à superiore parte.] Itaq; plures vnâ fenestras in Arca fuisse existimo, vt clarum lumẽ in eam reciperetur, quo opus erat. Illa verò cubiti altitudo, de qua illic agitur eodem illo vers. 16. non ad fenestram Arcæ pertinet, sed ad spatium definiendum, quo tectum Arcæ à suprema eius contignatione seu tabulato attollebatur. Erat enim tectum Arcæ in fastigium desinens, non autem in planum, quales postea domus inter Iudæos, & in Iudæa ædificari à Deo ipso præceptæ sunt, Deut. 22.8. Et hæc quidem hactenus. Iam ad Diluuium ipsum, à Deo in vniuersam terræ superficiem immissum, accedamus.

Ad XII. Diluuium in terras immissum.

Quæritur, Quum Moses scribit Gen. 7.11 [Anno sexcentesimo vitæ Noachi, mense secundo,] fontes abyssi sese rupisse, & cataractas cœli sese aperuisse, id est Diluuium à Deo in terras immissum, Quomodo annus ille, & reliqui (quorũ ab eodem Mose in annis vitæ Adami, Sethi, Enoschi, ac cæterorũ recensendis fit mẽtio) sint numerandi, Vtrum à conditu & origine Mundi, ac proinde à mense Tisri: an à mense Nisan. In summa,

ma, Vtrum annus ille ciuilis sit, an sacer. ℟. *Vt hæc quæstio intelligatur, sciendum est Iudæos post exitum suũ ex Aegypto habuisse duo capita anni dinumerandi: Vnum, quo semper vsi antea fuerant, à mense Tisri, vel Ethamin, qui nostro Septembri respondet: Alterum à mense Nisan, qui in nostrũ Martium mensem incurrit. Annus qui inchoabat à Tisri mense vocabatur Annus Ciuilis, quo in contractibus, iudicijs, negotijsq́; suis omnibus Politicis tum priuatis, tum publicis vtebantur Iudæi, ac numerabãt. Itaque huius anni caput erat in Libra, quemadmodum eruditissimè docet Iosephus Scaliger lib. 3. Emend. Temp. cap. De Anno priscorũ Hebr. Math. Beroaldus lib. 1. Chron. cap. 7. Ioan. Lalamãtius, cap. de Anni Hebr. ratione. G. Stuckius lib. 1. Cõuiual. Quæst. cap. 33: & ante hos Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 5. Annus verò, qui à mense Nisan incipiebat, dicebatur Sacer, quem in ceremonijs, rebusq́; sacris & Ecclesiasticis tractãdis sequebantur ex Dei præscripto, quum ex Aegypto exirẽt, Exod. 12. 2. Huius autem anni & capitis epocha erat in Ariete signo Zodiaci. Iam verò quo Anno vsus sit Moses in annis vitæ Patrum & Noachi, ac proinde Diluuij immissi supputãdis, quæritur, Vtrum Ciuili, qui à Tisri: an Sacro, qui à Nisan incipit (inter hæc autem initia duo anni mẽses sex toti intercedunt, quod est magnum ac notabile spatium). ℟espondent nonnulli Mosen anno sacro hæc interualla metiri, quòd hæc post exitum populi ex Aegypto literis ac monumentis tradiderit. Cuius sentẽtiæ videtur esse Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 5. Sed aliorũ mihi videtur magis probanda sententia, qui hos Annos*

& vitæ Patrum à conditu Mundi inchoant & à mense Tisri, & Ciuiles esse contendunt. Ergo quod vulgo dicitur Diluuiū anno Noachi 600 contigisse, & anno mūdi 1656 intelligendum est à mundo condito, etsi annum à Tisri vel Ethanim .i. Septembri incipias: non autem à mense Nisan. Sic Philo Iudæus in Antiquit. Biblic. Sic Scaliger lib. 5 .de Emend. Temp. cap. De Diluuio. Math. Beroaldus, & alij. Q. Ecquod fuerit illius mensis secundi nomen, cuius die 17. fractæ sunt cataractæ cœli, & fontes abyssi rupti, vt aquæ vndique crescerent, & pluerent. R. Iosephus lib. 1. cap. 5. vocat [Marachat] quæ vox est nihili, & qua nullus Hebræorum mensis nominatus est. Ergo apud Iosephum verū illius mensis nomen est restituendū, nempe [Maresuan] vel, vt alij scribunt, [Marcheschuan.] Id quod Lalamantius primus obseruauit. Is respondet mensi Macedonum, qui Dius appellatur: & nostro Octobri, cuius die 17 Pluuia illa immensa, & imbres cœperunt. Nonnulli verò mensem hunc Maresuan cōferunt cum dimidio Nouembri. Q. Quomodo animalia venerunt ad Noachum in Arcam, præsertim quum ex ijs multa fuerint fera, & truculenta, Gen. 7. 15: & nondū plueret. Pluit enim demum post dies septem, quàm Noachus fuit in Arca, & illa ad se recipere cœpit, vti colligitur ex Gen. 7. 4, si cōiungatur cū vers. 16. R. Nōnulli existimāt pecudes naturali quodam instinctu magnos imbres præsentire, eosq; euitare, si quà possunt. Est enim earum rerum, id est, tempestatum præsaga quorūdam brutorum animalium natura, quemadmodū tradunt & Aratus, & Plinius lib. 18. Hist. Natur. cap. 35.

35. *Cuius rei rationem etiam affert Virgilius lib.1. Georgic hanc nempe,*

[Haud equidem credo, quia sit diuinitùs illis
Ingenium aut rerum fato prudentia maior.
Verùm vbi tempestas, & cœli mobilis humor
Mutauêre vias, & Iuppiter humidus Austris
Densat, erāt quæ rara modò: & quæ densa, relaxat:
Vertuntur species animorum, & pectora motus
Nunc alios (alios dum nubila ventus agebat)
Concipiunt. Hinc ille auium concentus in agris,
Et lætæ pecudes: & ouantes gutture Corui.
Námque Deum ire per omnes,] (ait idem)
[Terrásque tractúsq; maris, cœlúmq; profundum.]

Deum igitur hunc sensum inseuisse quibusdam animalibus brutis aiunt, vt naturaliter tempestates, ac mutationem aëris antè percipiant, atque propterea latebras quærant. Sed cur vnā Noachi Arcam illa petiuissent, quum tunc haberent lustra sua & cauernas, & nondum vehementes maximiq; illi imbres è cœlo caderēt ac ruerent. Ergo non naturali, sed supranaturali, imò diuino instinctu (id est, Deo Opt. Max. qui ea seruare volebat, sic impellente) quæ Bruta animantia venerunt in Arcā, eò decurrerunt. Et quæ fera ac truculenta erāt, ferociam illam suam (Deo sic ea domāte, ac subigente) posuerunt ad tempus adeo vt tunc & manu tractari à Noacho filijsq; eius potuerint, & cum alijs animātibus versari. Siue autem ista animalia ipsa per se siue Angelis bonis abigentibus venerint in Arcam perinde est. Sic enim Deus voluit ea se sistere corā Noacho, vt seruarentur: quemadmodum prius Adamo homini primo

illa sese sisterant, vt ab eo proprijs nominibus appellarentur. Porrò quod nonnulli huius Diluuij caussam tribuunt magnæ cuidam syderum cõiunctioni, falsissimum esse docet Picus Mirandula. Probat enim tunc neq; vllam esse potuisse eiusmodi syderum coniunctionem: neq; si qua fuisset, eam aquas, sed ignem fuisse in Mundum inducturam. Vide Plesseium in lib. de Relig. Christ. cap. 26. Insumma, propter hominum peccaca: non ex conuersione sydeṽ contigit in terris hoc vniuersale diluuium. Q. Cur homines ipsi primi velut Noachus, & filij eius in Arcam iussu Dei sunt ingressi, Gen. 7. 1. 7. 8: quum in creatione prima rerum Homo postremus conditus à Deo fuerit, id est, post animãtia è terra nata in hunc mundũ introductus, vt homini omnia inseruire intelligeretur. Q. Quũ conseruanda duntaxat animalia Deus in Arcã introire vellet, eisq; secundũ suas species, nidos, & stabula à Noacho cõfici iussisset, necesse fuit, vt Noachus eiusq; filij primi in illã Arcam ingrederentur, animaliaq; accedẽtia exciperent, eáque in stabula ijs à se præparata deducerent, ac distribuerent. Nec enim ipsa animalia per se quæ sibi suæq; speciei destinatæ cameræ erãt, quæ verò alijs designatæ, dignoscere per sese, inquã, poterãt. Quare sic ea per singula stabula diuidi à Noacho prius introgresso oportuit. Quod verò Adamus postremus omnium, velut Dominus, in mundum à Deo introductus fuit, honoris ipsius gratiã factum est. Quæ nunc geruntur salutis caussa, & ordinis fiũt: cui solos homines præesse oportuit. Q. Vtrũ Pisces nulli in Diluuio perierint, an etiam aliqui. R. Hoc præclarè docet Augustinus lib. 15. Ciuitate Dei cap. 27.

cap.27. Ea quæ possunt in aquis viuere, nō solùm mersa, sicut Pisces: sed etiam supernatantia, sicut quædam aues vel Halcyones, non fuisse necesse seruari in Arca. Verùm, Vtrū ex ijs ipsis Animalibus aquatilibus quædam in Diluuio perierint, ac imprimis Pisces, non definit S. Scriptura. De ijs tātùm loqui videtur, quæ super terræ faciem, non etiam in aquis degebant, Gen. 7.22. [Quicquid, ait Moses, in cuius naribus est halitus spirationis vitæ, ex vniuersis quæ degunt in sicco, mortuum est.] Verba autem hæc, [In quibus est spiritus vitæ] non tantùm ad homines pertinēt, sed etiam ad pecudes, vt docet Augustinus in Gen. quæst. 9. Nonnulli tamen existimant etiam multos Pisces tunc propter nimiam aquarum copiam periisse: quòd ab ea abriperentur natantes, & suffocarentur. Cur autem tunc pisces nō perdiderit Deus, vt terrena animantia, ratio est, Non ea, quam nonnulli proferunt, Quòd pisces tunc homini in cibum non erant, vti postea fuêre .i. post Diluuium destinati, Gen. 9.2.3. Præterea Deus animalia immunda & fera perdidit in Diluuio, quæ nec ipsa tamen hominibus in cibū erant. Verùm ratio est, quia quū nondū mare tentassent homines, & pisces in diuerso prorsus ab hominibus illis improbis elemento habitarent, in quo Deus ab ijs offensus fuerat. Idcirco ea duntaxat animalia perdidit, ac cōsumpsit Deus, quæ erāt in terra .i. in elemento, vbi peccata ab hominibus fuerāt perpetrata, Psal. 107.34: non autem deleuit animalia, quæ in aquis adhuc ab ista nequitie hominum puris erant. Q. Cur pueri ipsi, quamuis improborū hominum, tamen adhuc infantes extincti sunt in diluuio omnes: quū

Aa

tamen Deus quædam bruta animantia ex eo Diluuio conseruarit. R. *Propterea quòd Infantes illi fuerũt & ipsi coram Deo rei propter peccatũ originale, cuius labe fuerunt infecti à momento conceptionis. Ergo & hi quoq; iustè perierunt. Animalia verò bruta caruerunt peccato.* Q. *Quando diluuiũ fuerit, id est, quo anno ab origine & conditu Mundi.* R. *Epiphanius lib. 1 cõtra hæres. & Augustinus lib. 15. Ciuit. Dei, cap. 20 ex Græcis codicibus volunt Diluuium contigisse anno à mundo condito 2262. Eusebius, & Beda, anno 2242. Philo, anno 1652. Verùm hi omnes errant. Euenit enim anno vitæ Noachi 600 iam peracto, qui incidit in annum à conditu Mundi 1656, Gen. 7. 6. Eo autem ipso anno Mathusael pius, cõtra quàm vult Augustinus Quæst. 4. in Genesim, mortuus est ante Diluuium immissum. Neque enim piorum quisquam in Diluuio perijt, etsi dubitat Augustinus lib. 15 de Ciuitate Dei, cap. 11.* Q. *Vtrum hic Mundus igne sit perituſrus, quandoquidem primus aqua interijt.* R. *Mundum hunc igne soluendum esse testatur apertè S. Scriptura. Ait enim Petrus 2. Epist. cap. 3 ver. 10, & 12* Στοιχεῖα καυσόμενα, καὶ οὐρανοὶ πυρούμενοι λυθήσονται. *Cur verò non explicat. Certè quia consumendus est, igne peribit. Prior verò Mundus erat duntaxat purgandus: Ergo aquam, non ignem immisit Deus. Nondum enim eum euertere & soluere volebat. Et hæc quidem satis.*

CAP.

CAPVT III.

¶ Vestigia superioris historiæ, & veritatis.

VESTIGIA superioris veritatis inuestigaturus videor mihi iure illud Platonis ex ipsius Timæo meritò vsurpare posse, Ὦ Σόλων, Σόλων, Ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστε, γέρων δ' Ἕλλην οὐκ ἔστι, [O Solon, Solon, Græci semper pueri estis, Senex Græcorum est nullus.] Ita enim tum ipsi Græci, tum, qui ex eorum fontibus & monumentis hausêre, omnia magna ambitione confuderunt (dum vetustissima quæque ad suam vnam gentem reuocare studuerunt) vel tenebris inuoluerunt (dum vetera nomina immutarũt in sua quædã, & sibi nota) vt paucas omnino antiquissimæ istius, quam proximè declarauimus, historiæ, & tamen veræ reliquias in illorum scriptis propterea reperiamus. Bene tamen est, quòd summâ Dei Opt. Max. prouidentia (ad refutandos ἀθέους homines, & obstinatos quosdam solis duntaxat Ethnicorum scriptis fidem habentes cõuincendos) factum est, vt in eorũ libris nõnullæ etiam illius velut tristissimi naufragij tabulæ & fragmenta hodie extent post tot tenebras, & veritatis interpolationes. Præclare enim Plato in eodem illo Dialogo docet non omnem rerum ante diluuium gestarum memoriam in Diluuio ipso fuisse deletam: sed partim memoria, partim literis quarundam gentium

fuisse conseruatam. Ergo ecquæ sint illæ reliquiæ superstites expendamus. Ac primùm quidem quod de Natiuitate Enoschi, & publica nominis Dei profanatione, quæ sub eo cõtigit, scribit Moses, est eiusmodi, vt ex solis sacris literis repeti debeat. Nam vetusta illa piorũ appellationes, velut [Enoschi, Chanochi, Mathusaleelis, Lemechi,] partim nouis nominibus repertis obliterata sunt (quia recentia vocabula magis placuerunt) partim vetustate ipsa, velut litura quadam, obsoleuerunt, & obscuriora facta sunt. Profanatio verò illa publica nominis Dei & cultus idcirco ab iisdem Ethnicis obseruari non potuit, propterea quòd semper eandem profanationem inter se vsurpatam viderunt: verũ autem Dei cultum nũquam habuerunt. Nati enim ortiq; sunt & Græci, & Romani præsertim: sed & aliæ quoq; gẽtes in terris dissеminatæ & distinctæ sunt post linguarum confusionem, quæ in extruenda turre Babylonica accidit, corrupto iã vero Dei cultu, vt apparet Genesi.

Ad II. Publica nominis Dei profanatio.

QVOD si tamen quædam huius Publicæ Profanationis vestigia quærũtur, illud esse poterit, quod scribit, canitq; primùm Hesiodus lib. 1. Opera & Dies his versibus:

Δεύτερον αὖτε γένος πολὺ χειρότερον μετόπισθεν
Ἀργύρεον ποίησαν ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες·
Ἀλλ' ὅταν ἡβήσκε, καὶ ἥβης μέτρον ἵκοιτο.
-- ὕβριν γὰρ ἀτάσθαλον οὐκ ἐδύναντο
Ἀλλήλων ἀπέχειν· οὐδ' ἀθανάτους θεραπεύειν
Ἤθελον, οὐδ' ἔρδειν μακάρων ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς,

Ἣ θέμις ἀνθρώποισι κατ᾽ ἤθεα. Τοὺς μὲν ἔπειτα
Ζεὺς Κρονίδης ἔκρυψε χολούμενος οὕνεκα τιμὰς
Οὐκ ἐδίδουν μακάρεσσι θεοῖς οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι.

[Sed mortale genus successit proinde secundum,
Quod simile Argenteo superi fecere potentes.
Hoc, postquam ætatem potuit pertingere adultam,
Peruersè vixit. Nec enim abstinuisse nefandis
Inter se damnis potuit, quæ iniuria profert.
Nec verò coluisse Deos, aut munera sacris
Imposuisse aris, quæ ius pietásque iubebat,
Curauêre vnquam miseri. Quos Iuppiter atris
Immersit tenebris iratus crimine tanto,
Tanto diuorum contemptu cunctipotentum.]

Huic consentit quod in Politico tradit ex vetustissima fama diuinus ille Plato, postquam homines ipsi sese, & Mundum ipsum regere cœpere, & malè concupiuêre (quod post prima mundi initia contigit) tantã in ijs intemperiem, tantã insolentiam, tantam denique & tam fœdam libidinem tãdem extitisse, vt Deus curã mundi prorsus abiecisse videretur, & res humanæ susq; déque temerè ferri censerentur, quòd inter homines summa licentia scelerum omnium, & maximè impietatis, impunitas tunc obtineret. Quod illius Publicæ nominis Dei profanationis proculdubio non obscurum vestigium est, quia in animis hominum ex veteri traditione remansit insculptũ. Nec absimile huic est, quod lib. 2. Hist. scribit Herodotus, multis homines vixisse seculis, quibus deos absq; humana forma ac idololatria colerẽt: postea verò eosdem sub specie hominis Deos adorare cœpisse: Vnde Profanatio horribilis & nefanda Nominis

Dei sit exorta, & contemptus Dei (quemadmodũ Augustino teste scribit Varro) in hunc mundum inductus. Quòd si Berosi istius (cuius fragmenta quædam extãt, nec enim iste Chaldæus esse putatur, cuius & Iosephus, & Plinius sæpe meminerunt) sed si, vti dixi, testimoniũ illius à quopiã admittitur, certe idem tradit de neglecta statim à primi mundi temporibus Dei religione, ac proinde de Profanatione nominis Dei ante Diluuium, initio libri sui. Verùm pergamus, & ad tertium Historiæ sacræ caput accedamus.

Ad III. Propagatio familię Sethi.

Hic de Setho Adami filio viro pio agitur, & de familia eius propagatione, seu illius posteris, qui fuerunt vsque ad Diluuium admodum lõgæui, si cum nobis, nostrisque annis comparentur. Certè quidem, quemadmodum antea monuimus, antiqua illa Patrum, & posterorum Sethi nomina (velut Cainam, Enosch, Chanoch, Mathusael, & reliqua) vel malitia hominũ, vel quòd alia pro ijs gratiora substituta fuerint, inter Ethnicos obsoleuerunt. Ipsum verò Sethi nomen venerãdum, & celebre, & notũ semper inter homines perdurauit. Inde enim voces hæ & appellationes propriæ tum Regum, tum Sacerdotum inter eos mansere, velut nomen Setho & rex Aegypti & sacerdos apud eos Vulcani seu Tubalcaini, de quo Herodot. scribit lib. 2. & cuius statuã lapideam in Aegypto à se visam esse affirmat. Qualis itẽ ille alius Setho Aegyptius, filius regis Amenophis, vt ipsa Aegyptiorum historia testantur: & ex ijs Iosephus lib. 1. contra Appionem Grammat. Fuit autem

Ame-

Amenophis Pharao ille, sub quo Israëlitæ ex Aegypto, Mose duce, sunt egressi, vt ex collatione historiæ sacræ, & Aegyptiacæ facilè colligi potest. Ex eodem Sethi nomine est & nomen Seuthes (quod habuere multi & præclari reges Thracum, sicut testatur Xenophō in Expeditione Cyri) & Sethas, qui idem & Typhon ab Aegyptijs dictus est, vt docet Plutarchus in Iside, & ab ijs tanquā Deus vetustissimus, & ex primis vnus ex antiqua traditione colebatur. Vnde apud eosdē Aegyptios νόμος Σεθείτης seu Σεθρείτης, id est, Præfectura seu pars Aegypti Setheïtica, vel (vt alij describūt) Sethreïtica dicta, in venerationē primi illius Sethi, qui fuit Adami filius, & ab Aegyptijs (qui ista nomina a Chamo primo parente suo filio Noachi, à quo & ipsi, & Pater Noachus oriundi erant, didicerāt, fideliúsque quàm Græci, conseruarant integra. & propter cognationem cū lingua Hebraica maiorem illibata) summa laude cultus. De hac autē Aegypti Præfectura Setheïtica scribit Strabo lib. 17. Hist. Deniq; & Seta seu Setha, & Sethia vrbes dictæ sunt: hæc in Italia, illa in Bithynia, de quibus Plinius lib. 4, & Stephanus lib. de Vrbib. Quæ omnia sunt certissima nominis Sethi, & viri ipsius pij, & Noachi filij amplissimáque vestigia, ac testimonia. Nunc de longæuitate vitæ priscorum illorum hominum etiam reliquias (quales quidem extant apud eosdē Ethnicos) perquiramus. Ac primùm quidem hominum alij sunt longioris vitæ, quàm alij, etiam in eadem gente, etiam in eadem familia, nedum in diuersis nationibus. Cuius rei rationem afferunt cùm Medici ex temperamento vel ipsorum hominum, vel aëris & alimentorum, quibus

vescuntur: tum imprimis Aristoteles in libro illo aureo de Longitudine, & Breuitate vitæ. Nec ea vitæ diuersitas solum in hominibus animaduertitur: verùm etiam in alijs animantium generibus. Nam non solùm Cerui sunt reliquis animantibus terrenis viuaciores: & Corui ac Corniculæ reliquis auibus, quemadmodum & experientia monstrat, & omnis ætatis historia docet, & epigramma Ausonij ex Hesiodo sumptum, vt Plinius lib. 7. cap. 48. tradit, testatur:

[Ter binos deciesque nouem super exit in annos
Iusta senescentum, quos implet vita virorum.
Hos nouies superat viuendo garrula Cornix.
Et quater egreditur Cornicis secula Ceruus:
Alipedem Ceruum ter vincit Coruus.] *Verùm etiam inter ipsas muscas, vt scribit Cicero, aliæ sunt magis longeuæ. Quædam enim ad Hypanin fluuiũ Indiæ quam longissime viuunt: quædam vnum tantùm diem viuunt. Ergo ex hominum etiam genere aliæ nationes sunt longæuiores alijs, velut Hyperborei reliquis Scythis Septentrionalibus vt refert Plinius lib. 4. Natur. Hist. cap. 12. Taprobanenses alijs Indis Orientalibus insulanis & maritimis: Idẽ lib. 7. cap. 2. Seres alijs Indis mediterraneis, vt scribit Strabo lib. 15. Geograph. quanquam tamen Indi omnes sunt cæteris mortalibus diuturniores: Aethiopes autẽ reliquis Africæ populis, vt vult Herodotus lib. 3. Qui in Macarorum insulis (quas Canaridas hodie vocant) habitãt, ij omnibus Occidentalibus nationibus viuaciores cẽsentur ex Homeri & Hesiodi testimonio. Verùm inter ipsos eiusdem nationis homines alij longiùs, quàm alij, viuunt. Nestor*

apud

Homerum trecentos annos, & tres hominũ ætates im-plesse dicitur inter reliquos Græcos: quod nunc si fieret pro miraculo crederetur, & à nonnullis ἀδύνατον iudi-caretur. Sibylla plusquã trecentis annis vixerit, si vna duntaxat fuit, quod plerique existimant. Endymion in Asia Minore fuit longæuus admodum: Masinissa rex Numidiæ, & Arganthonius Rex Tartessiorũ, vt scri-bunt Historici. Quid verò etiam nonnullos, ipsorum Ethnicorum testimonio, vixisse quingentos & nõgentos annos accepimus, velut Dãdonem quendam in Illyrico quingentos: Maritimorum regem, sexcentos: eius filiũ, octingentos, teste Xenophonte in Periplo. Arcadum re-ges plerosque, annos trecentos exegisse scribit Ephorus: Aetholos nonnullos in Epiro ducentos annos, testatur Hellanicus: Aegyptiorum reges multos, etiã penè mille totos annos singulos vixisse tradit Diodor. Sicul. lib. 1. cap. 2. Bibliothec. Quæ si vera non putat vir exigui pectoris, & Epicureæ sectæ professor C. Plinius lib. 7. cap. 48. sequitúrne ea propterea falsa esse, & tot alio-quin probatissimos autores fuisse mentitos? Neutiquã certè. Præclara igitur est hæc Iosephi lib. 1. Antiquit. cap. 8 sententia: [Nullus, ait, ad vitam modernam, & annorũ breuitatem quibus nunc viuimus, vitam cõ-parans antiquorum, putes falsa, quæ de illis sunt dicta: Illi námque quum essent religiosi, & ab ipso Deo facti, quúmque eis victus opportunior ad maius tempus esset, tantorum annorũ curriculos viuebant. Deinde propter virtute & laude plenas vtilitates, quas iugiter perscru-tabãtur, id est, Astrologiam, & Geometriam, Deus eis ampliora viuendi spatia cõdonauit, quas artes ediscere

non potuissent, nisi sexcentis annis viuerent. Per tot enim curricula magnus annus impletur. Testes autē mei dicti sunt omnes, qui antiquitatē apud Græcos & Barbaros conscripserunt. Nam & Manethon, qui descriptionem fecit Aegyptiorū, & Berosus, qui Chaldaica deflorauit, & Mochus, & Estius, adhæc & Hieronymus Aegyptius, qui Phœnicia disposuerunt, concordāt cum meis dictis. Isidorus quoq;, & Hecatæus, & Hellanicus, & inter hos Ephorus, & Nicolaus in historijs suis mentionem faciunt Antiquorum annis mille viuentium.] Hæc ille. Atque hæc sunt veritatis nostræ de Longæuitate Patrum vestigia. Pergamus ad reliqua.

Ad IIII. Translatio visibilis Chanochi.

ET quidem quod ad translationē Enoschi vel Chanochi in cœlum, illa vel neglecta, vel omnino intellecta ab ijs non fuit, nō autem non audita (quū fateantur primis Mundi temporibus homines cum Deo sæpè collocutos) propterea quòd distinctionem illam veræ pietatis à falsa Ethnici homines neque intellexerunt, neque retinuerunt, vtpote qui toti tenebris falsæ religionis erant immersi, & aliam, quàm Idololatriam, nō putarent esse veram religionem vllam. Ergo hanc veterem traditionem non conseruarunt illi: Et quum esset etiā hoc singulare quiddam, quòd in vno solum, nō autem in pluribus hominibus contigisset, eius singularis facti memoria facilè fuit ex hominū animis postea obliterata, amissáue. Quare vel nulla, vel omnino obscura huius Chanochi pij translationis vestigia extant, quæ quidē reperire potuerim, nisi fortasse istud, Quòd Ethnici fatentur homines

mines

mines pios, & bene de genere humano meritos in cœlum translatos, & in deorum numerum ascriptos. Id quod proculdubio est istius Chanochi translationis, & ἀποθεώσεως visibiliter & in conspectu hominum factæ vestigium, ac velut lineamentum quoddā, quanuis tenue, superstes tamen. Inde est illud M.T. Ciceronis lib. 2. de Legibus, [Diuos & eos, qui cœlestes semper habiti, colunto, & ollos, quos in cœlum merita vocauerunt, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem.] Quos Hesiodus post publicā nominis Dei profanationē suprà à nobis descriptā (quam ille Argenteam ætatem appellat, cōparans eam cum sequentibus ætatibus mundi) extitisse scribit, & ἥρωας, atque ἡμιθέους .i. heròas, & semideos appellat, qualem fuisse volunt illum Herculem qui Ἀλεξίκακος dictus est (nec enim omnes Hercules tales fuerunt, vt apparet ex Homeri lib. 11 *&* 21 *Odyssea) De quo Diodor. Sicul lib.* 5. *cap.* 2. *Inde illud quoq; Platonis Heròas colendos esse, vtpote ex Dijs natos, & in cœlum receptos, itaque ijs sacrificandū esse, lib* 4 *de Leg. Extat apud Augustin lib.* 3. *Ciuit. Dei cap* 4. *dictum Varronis vtile esse ciuitatibus, vt se viri fortes, etsi falsum est, Dijs genitos putent, vt hac stirpis diuinæ fiducia res magnas gerant, & in cœlum se postea recipiendos existiment. Denique istius Canochi ex his terris in cœlum visibilis migrationis testimoniū & vestigium est, quod Ethnici scribunt iustitiam, id est, maximè iustum quempiam vltimum ex his terris in cœlū ad Deos euolasse. Ouidius lib.* 2. *Metamor. [Vltima cœlestum terras Astræa reliquit.] Nec enim Iustitia ipsa, quæ est Res abstracta: sed Iustus aliquis, qui vlti-*

mus inter corruptissimi seculi homines vixit, translatus est à Deo, propter suam illam iustitiam è terris in cœlum, idque cõspicuè. Id quod posteritas ad ipsam Iustitiam transtulit, dixitque [Vltima de superis illa reliquit humũ.] Ergo hæ sunt memoriæ illius antiquissimæ de Translatione Chanochi, reliquiæ nobis, velut vetustissimi cuiusdam naufragij tabulæ salue, & certè quidẽ colendæ. Quod autem de piorũ hominum cõnubio cum impijs mulieribus tradit Moses, minimè fuit ab Ethnicis obseruatum, quoniã ipsi omnes impij erant, nec alios, quàm se, pios censebant. Verùm quod sequitur de Gigãtibus, eorúmque procreatione (fuerunt enim illius infausti coniugij effecta & fructus) factis, & moribus, velut sæuitia in homines, impietate in Deum, crudeli audacia, & lasciua procacitate ac turpitudine in mulieres, illud manifesta apud Ethnicos testimonia, & infinita penè vestigia habet, quæ extant in eorum scriptis.

Ad VI. Gigantes, & eorum Procreatio, ac Mores.

AC primùm huiusmodi quosdam homines olim fuisse probant & scripta, & nomina, quæ certis locis & regionibus diu manserunt, & inter Israëlitas, & inter Ethnicos. Inter Israëlitas quidem, quòd vallis quædam vicina Hierosolymis ad tempora vsque Flauij Iosephi dicta est Vallis Gigantum. Is autem vixit sub Vespasiano Imperatore Romano, idq; scribit lib. 7. Antiquit. Iudaic. cap. 4. Inter Ethnicos autem, quòd Arcadia, ipsa Peloponnesi regio dicta fuit olim Gigantis, vti & Ste-

Stephanus in lib. de Vrbibus, & Eustathius in Dionysij Alexandr. lib. de Situ Orbis. Sic & Creta regio dicta quondam. Ergo quod nõnulli totam hanc histariã velut fabulosam repudiant, ineptum est, quemadmodũ docet Augustinus lib. 15. Ciuit. Dei, cap. 23, [quasi verò, inquit, corpora hominum modum nostrũ longè excedentia (quod etiam suprà cõmemoraui) non etiam nostris temporibus nata sunt. Nónne ante paucos annos, quũ Romanæ vrbis, quod à Gothis factum est, appropinquaret excidiũ, Roma fuit fœmina cum suo patre, & sua matre, quæ corpore quodammodo Giganteo longè cæteris præemineret? Ad quam visendã mirabilis fiebat vndiq; concursus.] Tertullianus quoque lib. de resurrect. Carnis, [Nec Gigantum, ait, antiquissima corpora deuorata constabit, quorũ crates adhuc viuunt. Sed & proximè in ista ciuitate, quũ eo die fundamenta tot veterũ sepulturarũ sacrilega cõlocarentur, quingentorum ferè annorum ossa adhuc succida, &c.] Plinius lib. 7. cap. 16. scribit in Creta insula terræ motu inuentũ esse Gigantis cuiusdã (siue is Orestes, siue Hercules, siue alius fuerit) corpus 47 cubitorum. Herculis corpus ex Olympico stadio in Achaia longè maximũ, & nostra superare reperit Pythagoras, vt tradit A. Gellius lib. 1. Noct. Attic. cap. 1. Plutarchus, & Strabo idẽ. A Sertorio Romanorũ duce Antei Gigantis corpus in sepulcro retectũ narrat Fulgosius, & ante eum Solinus, quòd sexaginta cubitos haberet. Typhœi Gigantis corpus iacens nouẽ iugera terræ continuisse scribit Virgilius, lib. 6. Aeneid. Hominis mortui sola ossa genuũ magno disco similia viderũt Græci, teste Pausania lib. 8. Iosephi

ætate corpora immẽsa magnitudine visa scribit ipse lib. 5. Antiquit. cap. 5. Sub Henrico II. Germano Imperatore, Pallantis corpus effossum est, quod vrbis Romæ muros æquabat altitudine, anno Domini 1171. Hominis solum caput in eadem Creta repertum, anno 1480, dolij magnitudine commemorat Sabellicus. In Anglia, corpus, cuius lõgitudo erat 50 pedum, Lycosthenes: In Drepano vrbe Siciliæ corpus Erycis effossũ, quod 200 cubitorum fuisse cõijciebatur, Ioan. Boccatius. Deniq; in Gallia sub Carolo VII. Gallorũ rege aliud visum, quod pedes 30 æquaret. Atque hæc omnia non Poëtæ mendaces, qui omnia in maius tollunt: sed veraces Historici scriptis & literis prodiderunt partim à se visa: partim ab ijs, qui viderant, accepta. Quamobrem olim Gigantes fuisse, & eos monstrosa, & immensa corporis statura, si cum nostra conferatur, dubitari non potest, nisi quis ea duntaxat credẽda putet, quæ ipse vidit. Verùm Poëtæ, præsertim Græci, multas fabulas isti veritati admiscuerunt: & quæ vetustissima erant, ea quasi recentia, & paulò ante suã ætatem gesta descripserunt. Vnde factum est, vt quicquid de Gigantibus narratur, falsum, fabulosum, ac tralatitium à plerisq; censeatur. Porrò Gigantes illos, qui populariter, & magno in his terris numero erant, antiquissimos fuisse fatentur ijdem illi Ethnici: Eos enim Terræ filios esse dixerunt. Quicquid autem antiquissimum, & primo statim mundi seculo natum est, posterior ætas è Terra ortum, vel Terræ filium, si homo erat, appellarunt, & esse censuerunt. Quamobrem eosdem Græci γηγενεῖς, id est è terra genitos: Latini verò Gigantes appellarunt, quos eosdem à pri-

primis parētibus & Titanas, & Aloidas quoque nominarunt, vti Virgil. lib. 6. Aeneid. Ergo Gigas terrigena .i. è terra genitus dicitur, vt ait Isidor. lib. 11. Ethimolog. Vnde Hesiodus in Theogonia eos vixisse primo mundi ano canit, & terræ filios fuisse, his versibus:

Πάσας δέξατο Γαῖα, περιπλομένων δ' ἐνιαυτῶν
Γεῖνατ' Εριννῦς τε κρατερὰς, μεγάλους τε Γίγαντας
Τεύχεσι λαμπομένους, δολίχ' ἔγχεα χερσὶν ἔχοντας, .I.

Omnes guttas sāguinis excepit Terra, & cōpletis annis
Genuit postea Erinnyes fortes, magnósque Gigantes
Armis lucentes, & manibus longa hastilia habentes.

Idem Diodor. Sicul. lib. 1. Biblioth. tradit, & in idem tempus collocat. Berosus quoque lib. 1. sect. 2. Imo verò etiam Ethnici ipsi in eo cū Mose consentiunt, quod scribit eos ex Dei filijs natos. Nam quum fabulæ Poeticæ tradidissent Gigantes ex serpentum dentibus satis extitisse, hanc fabulā Palæphatus lib. de Fabul. Narrat. refutauit Nam eos ex hominibus præstantissimis natos esse dixerunt. Pausanias lib. 8, [In Odyssea verò Homerus scripsit, ait, Lestrygonas impetum in Vlyssis nauem fecisse Gigantibus, non viris similes. Item Phæacensium rex apud eundem Homerum loquitur, aitque Phæacēses, sicut & Cyclopes, & Gigantū vulgus, propè ad Deos accedere. His itaque locis declarat, non ex Deorū genere, sed mortales esse Gigantes: Id quod inde clarius intelligitur,

Rexit is immanes elata mente Gigantes,
Perdidit & stultum populum: pòst occidit ipse.]

Quamobrem rectè à Cyrillo reprehensus est Iulianus Imperator lib. 9. Operis aduersus eum editi, sect. 1. qui

Gigantes ex ipsis Dæmonibus .i. Dijs, eorumq́ semine procreatos putat: Neq́ enim ex Dys ipsis nati sunt, qui nullũ semen emittunt: sed ex hominibus heroibus. Porrò eosdem extitisse & in Deum impios, & in homines sui seculi iniuriosos, ex ipsorum quoque Ethnicorum scriptis apparet. Scribunt enim illos contra deos pugnasse, eisq́ honorem ac cultũ omnem inter homines ademisse: Vnde Gigantomachia, & Theomachia nominata, quã Plato penitus ex hominum memoria delendam (ne tãtum scelus alij mortales imitentur) existimat lib. 2. de Rep. Et quod nonnulli locum huius pugnæ definiunt, volúntque fuisse montes Peliam, Ossam, & Olympum in Thessalia: alij Phlegræos cãpos, vt Pomp. Mela lib. 2. cap. 3: alij Palenem in Macedonia, velut Eustathius in Dionysium Alexandrinum, leue est. Futilitas enim ista est hominum Græcorum, quam Poëtæ Latini postea sunt secuti. Verùm hoc ex omnium Ethnicorum scriptorum sententia manet immotum, Gigãtes fuisse absq́ cõtrouersia aduersus Deum ipsum impios, & blasphemos. Vnde dicuntur in cœlum coniurasse. De hac pugna sic in Aetna Cornelius Seuerus,

[Tentauêre (nefas) olim detrudere Mundo
Sidera, captiuiq́ Iouis transferre Gigantes
Imperium, & victo leges imponere cœlo.] *Hanc eandem descripsit Claudianus, vti & alij pleriq́. Caterùm, eosdẽ in homines quoque fuisse iniuriosos, apparet ex eorundem scriptis. Berosus lib. 1. sect. 2. ait, [Scribũt illis temporibus circa Libanum fuisse Enos vrbem maximam Gigantum, qui vniuerso orbi dominabantur ab occasu Solis ad ortum. Hi vastitate corporis, ac robore*

bore confisi, inuentis armis omnes opprimebãt, libidinẽq; inseruientes inuenere papiliones, & instrumenta Musica, & omnes delitias. Manducabant homines, & procurabant abortus, in edulĩúmque præparabant, & commiscebantur matribus, filiabus, sororibus, & masculis, brutis: & nihil erat sceleris, quod non admitterent contemptores religionis, & Deorum.] *Eusebius lib. 1. Ecclesiast. Hist. cap. 1, Nefarijs, ait, sceleribus hominis inter seipsos agentes sese corruperunt, & interemerunt, vsquequò procedente immanitate etiam inuicem alter alterum deuorarunt. Hinc illæ, quæ mundo sceleris fabulas reliquerunt, Theomachiæ, & Gigantomachia exortæ sunt. Idem quoque Eusebius lib. 2 Præpar. Euãg. cap. 9 penè repetit, & lib. 7 cap. 3. eiusdem operis. Inde quoq; illud est, quod ijdem illi Gigãtes ex sanguine nati scribuntur ab ijsdem Ethnicis, velut Hesiodo in Theogonia, & Ouidio lib. 1. Metamorph. qui sua ex Hesiodo sumpsit, quoniã erant homines truculenti: Item quod ijdem serpentinis pedibus fuisse dicuntur, quia dolosi, veteratores, fraudulentiq; homines erãt. Propter eorũ scelera denique Sol, & Luna, & reliqua sidera sese loco mouisse feruntur, quòd tãta eorum scelera etiam astra ipsa abhorrerẽt, vti scribit Plutarchus lib. 8. Sympos. quæst. 9. In summa, Gigantium mortuorum pœna in inferis tristissima, & acerbissima describitur à Virgilio, lib. 6. Aeneidos. Et hæc quidem ostendunt magna esse nostra de Gigãtibus, eorumq; turpissimis moribus inter Ethnicos vestigia. Quæ quum dixerimus, ad reliqua quoq; pergamus, velut ad Noachũ, & eius liberos, qui ante Diluuiũ illi nati sunt, nempe Iaphet, Sem, Cham.*

Ad VII, & X. De Noacho, & eius filijs tribus.

AC primùm quidem quod ad Noachum, dubitari non potest certissima de illo vestigia etiã inter Ethnicos extare, non tantùm quatenus Diluuiũ illud vniuersale omnes penè fuisse agnoscunt, & vnum quendã hominem ex eo, summa Dei benignitate, fuisse seruatũ, qui postea genus humanũ in Mundo propagarit (quem & Noam quoque nonnulli eorum appellant, quemadmodũ à nobis suo loco docebitur) verùm etiam quatenus Noachi & nomen, & inuentum seu beneficium in genus humanum agnouerũt, ac retinuerunt, nẽpe Vitis sationem, & vini vsum, quem illi vni acceptũ ferunt. Et certè clarissima totius veritatis istius seu nostræ testimonia superfuerunt inter omnes mortales, priusquam Græci homines partim vani hanc veritatem suis fabulis inuoluissent, partim ambitiosi omnia (quæ sunt egregia) sibi, suæque genti, falsò tamen, tribuissẽt, atque alijs populis detraxissent, id est, omnia corrupissent, vti docet Lactantius lib. 1. cap. 13. Ergo Noachi nomen velut vetus & augustum ab Ethnicis retentum est. Extat enim & Noa ciuitas in sinu Troglodytico in Mari rubro, cuius meminit Plinius lib. 6. Nat. Hist. & Noæ in Sicilia insula, vti scribit Stephanus lib. de Vrbibus. Sed & Noas quoque fluuius Thraciæ, sicut ait Herodot. lib. 4. Hinc fit & Noarus nomen, quod est attributum Sordiscorũ flumini, teste Strabone lib. 7, & viro quoq;. Sunt enim nonnulli Noari dicti, vti & Soemi, seu Semi, vt docet Iosephus lib. 2. cap. 20. de Bello Iudaico. Vnde verò?

Nisi ex priscis illis Noas & Sem nominibus, quæ Græci imperitè, vel ad sui idiomatis formã Noarum & Soëmũ finxerunt. Id quod mecũ sentit Iosephus lib.1. Ant. cap. 12. [Aliter enim, ait, vltimas nominum syllabas declinant, & ad legentiũ delectationem mutant Græci.] Pulcherrimus verò est in nostræ veritatis confirmationem ex Beroso lib. 1. Antiquit. locus, vbi ille sic scribit, [Vnus inter Gigantes erat, qui Deorum venerãtior & prudentior cunctis reliquus ex probis erat in Syria. Huic nomen erat Noa cum tribus filijs, Samo, Iapeto, Chem, & vxoribus Tythea magna, Pandora, Noela, Noegla.] Et lib. 3. [Chem semper magicæ & veneficæ studiosus, Zoroast nomen consecutus est. Is patrem Noam odio habebat. Itaque nactus opportunitatem, quũ pater Noa madidus iaceret, illius virilia cõprehendens, tacitéq; submurmurans carmine magico patri illusit.] Consentit cum eo, quòd, vt Mnaseas Phœnix, & Hieronymus Aegyptius tradunt, locus ille, in quẽ primùm in Armenia descendit ex Arca Noachus, dictus est ab incolis [Saleh Noah] id est, Egressus Noæ, Græcè verò Ἀποβατήρια, quemadmodum ait Flauius Iosephus. Et hæc quidem de nomine ipso [Noachus] vestigia Ethnicorum supersunt. De re verò ista quoq; restant. Nam hic Noachus est is, qui primus vitem plantauit, viniq; vsum hominibus monstrauit, Gen. 9. 20. Ergo & Boachus primùm quasi Noachus: & per aphæresin vnius literæ postea Bachus ab Ethnicis dictus est primus vitis, ac vini inter mortales repertor & sator: Vnde & Lenæus genialis cõsitor vuæ cognominatus est, vt scribit Ouidius lib. 4. Metamorphos. Nec

verò dubium mihi est, quin Bachi vox & nomen non à sono bacchantiũ, vt nonnulli putãt: sed à veteri Noachi appellatione sit deductum, & inde primùm [Boachus, N, mutata in B,] deinde [Bachus] formatũ, quod duplicata litera C, postea Bacchus ab ignaris huius etymologiæ hominibus sit pronuntiatum. Id quod ante me verè & acutè G. Stuckius vir eruditissimus obseruauit in lib. Conuiualibus. Itaq; cum canthar o Bacchus pingebatur, vt ait Arnobius lib. 6. contra Gentes: & vetustissimus Deorum censebatur, etiam ante Liberum & Vranium natus, quemadmodum lib. 2 cap 2 cõmemorat Lactantius. Denique huius veritatis ignoratione multæ de hoc antiquissimo Baccho fabulæ & allegoriæ ineptæ sunt ac cõmenta, vt tradit ac cõqueritur Diod. Siculus lib. 4 Biblioth. cap. 5. Nec verò Bacchus iste est ille Dionysius Græcorum recens & Thebanus: sed vetus ille & Nysius ex Nysa monte Indiæ, de quo etiã meminit Arnobius lib. 5. Verùm Græci vetustissimum illum sua laude spoliarunt, vt ea hũc suum sacrilegè exornarent, ac cõmendarent. Nec verò Noachus, Boachus, & Bacchus solum: sed & Oenotrius quoque, Οἰνότειος Græcè, ἀπὸ τ̃ οἴνȣ, appellatus est. Multis enim modis posteritas hoc tantum Noachi beneficium celebrare voluit. Itaque varijs nominibus eum appellauit. Idem enim est qui antiquissimus οἰνότειος ϰ̀ Βάκχος, .i. [Oenotrius & Bacchus] & vinifer appellatur. Is autẽ Oenotrius, à quo Italiæ pars quædam primùm: postea tota Italia Oenotria dicta est (quemadmodùm ex Virgilio Marone, Strabone lib. 5 & 6. Geograph. Dionysio Halicarnass. lib. 1, & 2 Ἀρχαιολογίας seu de Origine

Roma-

Romanorum. & Stephano de Vrbibus apparet) Is inquam, Oenotrius est recentior, & Arcas. qui postea nomen, & inuentũ vetustissimi illius Oenotrij, nẽpe Noachi, falsò sibi & arroganter attribuit, vtpote vir Græcus & vanus, & pro primo illo haberi, colíque voluit: de quo & Fabius Pictor in Fragmentis, & Myrsilus, quicunque tãdem is scriptor sit. Cæterùm, quem Græci & Latini Bacchum & Oenotrium vocant, eundem illũ Syri, & Aramei omnes (qui lingua hebræa vel illi cognata vtuntur) appellant Ianum à voce [Iain] quæ vinũ significat, qui est Vitis ab eo vtpote Noacho sata fructus, & eiusdem in homines beneficiũ. Ex quo apparet Noachum dictum quoque esse Iainum, & postea Ianũ: ac proinde eundem esse, qui & Noachus, & Ianus ille vetustissimus sit. Nam Iani quoque plures fuere, & recentiores omnes antiquo, qui tamen illius inuentum & nomen ambitiosè sibi vendicarunt. De hoc antiquissimo Iano ac proinde Noacho Latini scriptores omnes Ethnici, ac vetustissimi quique meminerunt. Hic & Iane quoq; in libris ritualibus Saliorũ dictus est, teste Tertulliano in Apologet. cap. 11, qui ante & Vranũ, & Saturnũ, & Iouem extitisse, quemadmodũ dixi, ab omnibus conceditur, cuiq; propterea priùs, quàm alij cuiquã Deo sacrificabatur. De quo allegoriæ multæ, vti monui, cõfictæ fuere, quas omnes irridet Augustinus lib. 7. Ciuit. Dei, cap. 7 & 8. Sunt qui Ianum, tanquã Eanum (quòd eat & redeat) dictum volunt, velut Cicero, propterea̓que eum Annum esse existimant: vel Ianum nomen Latinũ, non Syrum esse somniant à Ianua deductum, vt Ouidius lib. 1. Fast. sed ij certè quidem omnes

hallucinantur toto cœlo. Ianus enim à Iain, id est, vino, deriuatur, estque nomen antiquissimum & Arameum, ante Latinos nedum Romanos natum. Cuius nominis vsus vel nullus, vel rarus semper fuit apud Græcos vetustatis contemptores, nisi quòd [Ianassa] extat apud Higinũ ex Græcis autoribus, & [Ianiscus] apud Pausaniam lib. 21: multus verò apud Latinos, qui fuerunt religiosiores, quàm Græci: de quo Virgilius, & Ouid. toto lib. 1. Fastor. & Plutarchus in Quæst. Rom. & Varro, & Macrobius: imo loquuntur omnes. Mecum facit Ouidius lib. 1. Fastorum:

[Quem tamen esse deum te dicam, Iane biformis?
Nam tibi par nullum Græcia numen habet.]

Verùm Fabij Pictoris, Albrici. & Athenæi tantùm testimonia proferã: Fabius Pictor in fragmentis, quæ extant, ait. [Iam ætate nulla erat Monarchia, quia mortalibus pectoribus nondum hæserat ulla regnandi cupiditas. Principes, quia iusti erat & religionibus dediti, iure habiti Dij, & dicti. Vinum & far primus populos docuit Ianus ad sacrificia & religionẽ magis, quàm ad esum & potum. Primus etiam aras, & pomœria, & sacra docuit, & ob id illi in omni sacrificio perpetua præfatio præmittitur, farq; illi & vinum primo prælibatur.] Albricus de Deorum Imaginibus, [Ianus, inquit, in Deorum numerum acceptus est, cui omnis rei initium & finem tribuebãt. Taliter figurabatur, Erat Rex homo sedens in throno fulgenti radijs: duas facies habebat, quarum vna ante se, altera post se respiciebat. In manu dextra habebat clauem: In sinistra verò habebat baculum, quo saxum percutere, & ex illo aquã producere

ducere videbatur.] quamuis aliter Ouid.lib.1.Fast.

[Ille tenens baculum dextra, clauémque sinistra.]
Athenæus denique lib.15. Dipnosoph.ex Dracone Corcyræo in lib.de Lapidib. ait, [Ianum fama est bifrontem fuisse, altera facie posteriore, altera anteriore. Ianũ flumen, Ianumq́ montem ab eo fuisse nominatum, quòd in eo monte habitauerit (nimirum in Oriente & in India, vnde fortasse insulæ illæ duæ in mari Indico vocatæ nimirũ Iana seu Ianna maior, & Iana minor) coronas illum reperisse, nauigia, rates: numum æreum ab eo primùm signatum: qua ratione ciuitates in Græcia multæ, Italia & Sicilia monetam cudunt impressa bifronti facie & bicipiti: & ex altera parte vel rate, vel nauigio, vel corona. Sororem Camesen duxit.] Ergo bifrons tantùm erat, & quidem primus non autẽ quadrifrons, quemadmodũ sequens ætas imperitè finxit, eumq́ pinxit, quoniam vtrumq́ Mundum, nempe primum (qui per Diluuium à Deo deletus est) & hunc secundum, in quo post Diluuium viuimus, vidit, vti Arnobius lib 6 contra Gentes sentit. Nam quod Ouidius duas illas Iano facies ideo datas interpretatur, quòd

[Omnis habet geminas hinc, atq́ hinc Ianua frontes:
E quibus hæc populum spectat, at illa Larem]

puerile est: sed quòd duplicem illum mundum, vti dixi, viderit, bifrons fuit. Ratis ei tribuebatur, & quadrãs moneta, qui illius ratem ex vna parte: ex altera bifrontem eiusdem Iani faciem habebat. Is quadrãs quadrãs [ratitus] à rate vocabatur, vt loquitur Ennius. Quare vera est de vno Iano hæc sententia eiusdem Ouidij,

[Solus de superis, qui tua terga vides.]

Atq; hæc ratio est, Cur Noachus ex vetustissimæ illius nostræ veritatis vestigijs ab Ethnicis & Ianus dictus sit & pingeretur bifrons, & ratis ei tribueretur. Quòd si quis eum à Ianua dictum quoque velit, is fortasse suã sententiam posset tueri, quod, vt Cyrillus lib. 1. contra Iulian. ex Abydeno vetere scriptore tradit, Noachus Xisuthus quoque à veteribus dictus est. Xisuthus autẽ est à [Zuz] hebræo, per geminationem & epanalepsin primæ literæ z, sic [Zizuz] vnde Xisuthus nomen à Græcis factum. Est autem Zuz Hebræis, postis, porta, limen. Noachus igitur sic à dignitate fuerit olim appellatus. Porrò idem videtur quoq; nominatus ab ijsdẽ nonnunquã [Ogyges] lingua Aramea, vt Berosus vult: Græca verò, [Ogygus] vt conuertere hãc vocem Strabo lib. 8. Geographiæ, & Pausanias lib. 1. Sic Berosus lib. 2 [Primum, ait, dixerunt Noam Ogygisan Sagã, id est, Illustrem sacrorum Pontificem, & Disir.] Xenophon quidã in lib. de Aequiuocis, [Fuit verò, inquit, priscus Ogyges in prima inundatione terrarum: Alter verò Atticus, in tertia.] Idem tradit quoque Metasthenes. Certe [Sagan] vox principem Hebræis significat idem Assyrijs, vt volunt, vocabulum [Ogyges] & Aegyptijs [Osiris] notat. Vnde pulcherrimo, ac maximè honorifico nomine vocatum fuisse veterem illum seu primum Noachũ vel Ianum Ogygen apparet. Sed posteri eius quidam se quoque ex prisci illius nomine appellarunt Ogyges, qualis is, de quo Eusebius lib. 10. cap. 3. Præparat. Euangel. & de quo Augustinus lib. 18. Ciuit. Dei, cap. 8, qui quando fuerit, ac Diluuium Ogygis ex eo dictum, ignoratur: qualis item ille alter O-

gyges

gyges Thebanus, à quo Thebarũ vrbis porta vna Ogygia nominata est, quemadmodũ scribit Pausanias lib. 9: Imò tota ipsa Græcia Ogygia, honoris ergò sic olim vocata. Stephanus in lib. de Vrbibus. Sed isti Ogyges sunt recentiores: noster verò, qui idem & Noachus, & Bachus, & Ianus, vetustissimus est & primus. Hinc Ogygia quoque Insula ab Homero celebrata, sicque appellata propter vetustatẽ, Maris Ionici. Quicquid enim olim vetustũ erat, idem dicebatur, cõmendationis ergò, Ogygium, tanquã ex mundi totius concussione, & ruina (qualis in diluuio accidit) superstes, & saluum. [Gasgasch] enim Hebræis mouere & concutere significat. Vnde Gyghes, & per epenthesin literæ Hebrææ h, Hogyges formatum est: vnde postea Ogyges, id est, saluus ex Mundi excidio dictus, quicunque vetustissimus inter mortales censebatur: sic vocari fuit honorificũ. Cæterùm, vt hoc ipsum quoque obiter dicam, Ogygia illa insula Homerica ponitur à Plinio lib. 3. cap. 10. in Mari Ionico, ex aduerso Locrorum Italicorũ: à Strabone lib. 6. in Mari Aegeo. At verò à Plutarcho lib. De facie Lunæ in Oceano magno, & supra Britãniam, quæ nũc Anglia, & fortassis est Mona insula, vbi primi dij fuerint. In summa, [Ogyges, & Ogygius] sunt voces, quibus antiquitas cõmendatur. Porro idem quoq; hic Noachus Xisuthus dictus, scribitur ex Alexãdro Polyhistore à Cyrillo lib. 1. contra Iulianũ, & Iosepho lib. 1. contra Appionem. Et hæc quidem de Noacho, & ijs, quæ inter Ethnicos extiterũt, illius vestigijs, licèt propter varietatem & immutationem nominum obscuris. Hic enim semper fuit astus Satanæ, vt rebus veris-

ſimis & iam notis magnas tamen tenebras ex nominum, quibus primùm appellabantur, mutatione vel interpolatione offunderet. Id quod diligenter obſeruãdum eſt. Iam verò ad Noachi filios accedamus, qui & tres tũc, id eſt, ante Diluuium fuiſſe dicuntur: & quorũ nomina hæc recitat Moſes: Iaphet, Sem, & Cam vel Cham: vtroq; enim modo ab Ethnicis ſcribitur. Hac veritate quid ipſis adeo Ethnicis fuit notius, qui eadem dicunt? Tres enim Noachi filios fuiſſe nouerunt, ſcripſerũtve, & iiſdem eos nominibus appellãt. Ac primùm quidem volunt, vti tres fuerũt primi, & præcipui Noachi filij: ſic vniuerſum mundum ſeu Orbem terrarum poſt diluuium à Noacho in tres partes diuiſum fuiſſe, quarum Aſia Semo fuerit aſſignata: Africa, Camo: Europa, Iapeto. Sic Beroſus ille, quem iam citaui lib.4. [Deſignauit, inquit, illis Noachus tres partes Orbis, Aſiam, Africam, & Europam, ſingulis his principibus partes, ad quas irent, partitus.] Verùm hæc ſententia nequaquam ſatis firma mihi videtur, refutatúrque primùm ex Dei verbo Gen.10. vbi poſteri Iapeti etiam in Aſia multas prouincias occupaſſe, & habitaſſe colliguntur. Deinde à Ioſepho lib.1. Antiquit. Iudaic. cap. 11. Scribit enim ſic, [Iaphet filius Noë habuit filios ſeptem, & habitarunt regionem à Tauro & Amano montibus incipientem, & pertingentem in Aſiam vſque ad flumẽ Tanaim.] Quæ tota regio in Aſia maiori & Septentrionem verſus ſita eſt, nequaquam autem in Europa. Ioſepho ſuccinit Cedrenus lib.1. Hiſt. Docet enim pleraſque Ponti Polemoniaci prouincias, quæ ſunt in Aſia, primùm à Iapeto, eiuſq; filijs habitatas fuiſſe. Nec certè

ab

ab hisce dissentit Philo Iudæus in Antiquit. Biblicis. Ado Viennensis in Aetate secunda scribit demum sub Heber, & longis post Diluuium seculis totum terrarũ Orbem in tres quasdam partes, diuisum linguarum sibi cognitarum diuisionem, partitum fuisse, quia tres erant Noæ filij. Huic nẽpe ternario numero, & memoriæ filiorum Noachi tantam reuerentiam posteri tribuerunt. Prima pars, ait, à Perside, Bactris, & India vsque ad Rhoincoruras (quæ vrbs Palæstinam ab Aegypto separat) extenditur, habuitque linguas 27 sibi similes: Prouincias autem & regiones 46. Hæc fuit Semi: & est in Asia Maiore, ac Orientali. Secunda pars à Rhinocoruris vrbe ad Gadilah, Garamãtas, & Aethiopas (quæ tota regio seu terræ tractus est Africa) cõtinebat autem linguas 22. Regiones autem 393. Hæc fuit Cam. Tertia pars Orbis pertingit à Gadilah ad Mediã vsque, habuitq; linguas 24, regiones penè mille. hæc fuit Iaphet. Pertinet autem etiam hæc ipsa ad Asiam quoque. Verùm postea pro his partibus orbis posteritas Asiam, Africam, & Europam substituit, retinereque maluit. Sic autem has tres continentes terras, & orbis partes primi Cares homines maritimi, quique ad eos accedebãt, nominauêre, mortuis iãpridem tribus illis Noachi filijs, quemadmodum ex Strabonis lib. 1. Geograph. sub finem facile colligi potest. [Cares enim, ait, & Græci non ad vniuersum terrarum orbem respicientes, sed ad suam duntaxat terram, & contra se positam Cariam, in qua nunc & Iones, & alij Græci habitant, appellarunt Asiã, ab Asia palude, eam regionem, quam ipsi tunc incolebant.] Asiæ verò paludis (quæ in

eo tractu est .i. in Asia minore à Græcis habitata) meminit Virgil. lib. 1. Georg. & imprimis lib. 7. Aeneid.

[& longa canoros
Dant per colla modos, sonat amnis, & Asia circùm
Pulsa palus.]

Ergo Asia non a muliere, ut putat Isidorus: sed ab ista palude Græcis hominibus, & Caribus tunc mare frequentantibus nota dicta est: & primùm quidem solùm ea regio, in qua ipsi Græci habitabant, id est, Asia minor: deinde verò tota reliqua continens, illique adiuncta terra, ut scribit Strabo lib. 2. quæ Asia Maior propterea cognominata est, ex comparatione ad Minorem illam. Europa autem ab iisdem Caribus, & Asianis Græcis appellata est ea regio, quæ ipsis Asiam minorem incolentibus erat obiecta, & in quam latè liberéque ex suis littoribus prospiciebant, nimirum aperto Mari in ea mundi & Asiæ parte. Ergo Εὐρώπα *dicta est tanquam* ἀπὸ τοῦ εὐρὺ ὦπος, *vel* ὠπτεύειν, *id est, à lato liberóque in eam partem & terrã ex Asia minore prospectu, non autẽ ab Europa nescioqua sorore Cadmi, quemadmodum nonnulli existimãt. Iustinus historicus Europam ab Europo rege Macedoniæ & Thraciæ vetustissimo nominatã esse vult, qui cõsederit in ea Thraciæ regione, quæ Asiæ opposita est. Sed verior est superior nominis ratio, ac notatio. Denique Africa ab iisdẽ Græcis Asianis dicta est ea regio, ex qua ad se ii, qui Afros sese vocabãt, veniebãt, & ex qua orbis parte mare agitatũ maximè, erat procellosum, ac spumabat.* Ἀφρὸν *enim Græcis spuma est. Ergo sic Cares primi. Verùm postea eadem hæc nomina & vocabula ab aliis gentibus retenta sunt: nam ab istis Græcis Asianis in mari versanti-*

santi-

ſantibus cõmunicata alijs ſunt populis, poſtquã longiùs progreſſi eſſent, & nauigando plures terræ regiones & Orbis partes adijſſent ac peragraſſent. Ex quo tandem effectum eſt, vt vniuerſus terrarum Orbis in iſtas tantum tres partes, non in plures à Græcis primum, poſt autem ab alijs Ethnicis hominibus diuideretur, nimirũ in Aſiam, Europam, & Africam. Id quod ab illis nequaquam factum eſt vel in memoriam, vel in reſpectũ trium illorum Noachi filiorũ, Iapheti videlicet, Semi, & Cami: ſed quòd iſta nomina tria Terrarũ à Caribus & Græcis Aſianis didiciſſent, & accepiſſent. Et tamen tolerabilior eſt iſta in numero trium Noachi liberorũ ſubtilitas ac philoſophia, quàm illa prorſus allegorica, & certè quidem inepta Auguſtini Rhetoricatio (pace tanti viri dictum ſit) lib. 16. Ciuit. Dei, cap. 2, qui hũc ternarium filiorum Noachi numerum refert ad Chriſtum, fideles, & impios. Quòd ſi quis ſignificationem iſtorum nominum Hebræorũ quærat (ex qua tantopere philoſophatur Auguſtinus) hæc eſt: [Iaphet] dictus eſt quaſi pulcher facie, vel latis humeris eſſet. Sic à Græcis Plato appellatur. [Sem] vocatus videtur quaſi famâ celebris memorabilis futurus, vel poſitus à Deo, electúſve: Sic Cleones Græcè dicti. [Cham] autem vel Cami (nam ſic promiſcuè à Latinis ſcribitur) nomen accepit quaſi temperamento calidus, & niger eſſet colore. Sic Nigri multi à Latinis, & Melæ Græcis, dicti. Quas ego nominũ interpretationes ſequi, quàm inepta quædã philoſophamenta malo. Cæterũ de Iapeto ſeu Iapheto primogenito Noachi filio extant plurima apud Ethnicos veſtigia. Is enim eſt, quem ipſi Hebræam vocem ad

sua lingua normam ac suauitatem inflectentes vocant Iapetum priscum. Nam plures postea eodē hoc nomine sunt appellati. Priscus verò iste Iapetus terræ & cœli filius ab ijs fuisse dicitur .i. hominum, post renouatum & receptū ex aquis hunc mundū, antiquissimus. Quos enim homines olim vetustissimos esse censebāt, eos terræ & cœli, velut primorū Mundi elementorum, filios vocabāt. Ergo hic & ab Hesiod. in Theogon. & à Virgil. lib.1. Georgic. è terra ipsa natus scribitur, & ab Higino initio lib. De Fabul. Deniq; extitisse primis post diluuiū temporibus, cuius filius dicitur fuisse quidā Prometheus, non ille quidem antiquissimus (is enim fuit Abel) sed recentior alius, qui tamen cum prisco illo confunditur ab Ethnicis hominibus, & Poëtis, præsertim omnia miscentibus. De hoc igitur prisco Iapeto dixit Ouid. lib. 1. Metamorph. [Quam satus Iapeto mistā fluuialibus vndis:] de quo Cyrillus ex Ethnicorū scriptis lib. 3. contra Iulian. Hinc prouerbiū etiam à Luciano Ethnico vsurpatum, τοῦ Ἰαπέτου ἀρχαιότερος, [*Iapeto antiquior.*] *Hinc Iaphia nomen, Ios.* 10, 2. *Sam.* 5 *& Iaphie oppidum Zabulonis, Ios.* 19: *& fortasse Iapodes populi vetustissimi inter Illyricos in Alpibus siti, de quibus Appian. in Illyricis, & Strabo lib.* 4. *Geograph. Huius Iapeti Berosus lib.* 1 *&* 4, *discertè meminit. Semi verò (qui pius permāsit, & à quo gēs Hebræorum orta) pauci scriptores Ethnici mentionem fecêre, præter illum, quem iam dixi Berosum, cuius verbà anteà protuli ex lib. eius* 1. *Manent tamen etiam inter Ethnicos hæc nominis ipsius quædam vestigia, velut nomen [Soemus] de quo Iosephus lib.* 2. *de Bell. Iudaico*

cap.

cap.20: & [Samos] insula, & [Samothracia] vbi dij Cabiri, seu dij Samothracum, quasi veriores, quam Dij Græcorum, qui religiosissime ab Ethnicis colebantur. Verùm Chami seu Cami lōgè plurima extāt inter Ethnicos vestigia: fuit enim impius, & Ethnicis propterea notior, quàm Semus ille pius, & verè religiosus. Quem enim S. Scriptura vocat Chamum, eundem Ethnici nominăt Camesen, quem Zoroasten quoque fuisse volunt. Sic igitur Berosus lib.3 [Erat, inquit, Noacho filius ex tribus primis iunior Cham, qui semper Magica & Venefica studens, Zoroast nomen consecutus erat. Is patrem Noachum odio habebat. Itaque nactus opportunitatem, quum Noa pater madidus iaceret, illius virilia comprehendens, taciteq; submurmurans carmine magico patri illusit, simul & illū sterilem atque castratum effecit. At verò Cham quum publicè corrumperet mortale genus, asserens, & re ipsa exequens congrediendum esse, vt ante exundationem, cū matribus, sororibus, filiabus, masculis, brutis, & quovis alio genere, ob hoc eiectus à Iano .i. Noa pijssimo, sortitus est nomen Chā esenne, id est, Chem infamis & impudicus.] Unde nomen Cameses formatū postea. Ex quo fit, vt vox [Esenus seu Ezenus] proculdubio sit ab hebræo verbo [Zanah] deriuata, quod fornicari & animo, & corpore significat. Fabius Pictor lib. de Aureo seculo docet sub finem aurei seculi Camesen præfectum fuisse, seu imperasse Aboriginibus in Italia, siue is priscus fuerit, de quo Berosus: siue recentior, quod magis puto. Multi enim postea fuerunt Cameses. Cato in Fragm. [Italia (inquit) splendidissima origo fuit, tum tempore, tum

origine gentis. Cœpit enim aureo seculo sub principibus dijs, Iano, Camese, Saturno.] Et postea, [Italia à dijs cõplura sortita est nomina, a Iano Ianicula (quem quidam Oenotriũ fuisse putant, quia inuenit vinũ & far) Camesena, à Camese: & à Saturno, Saturnia.] Et mihi quidem dubium non est Italos primos potius à Camo, vel eius posteris propagatos esse, qui ex Africa in Græciam & Siciliam traiecerint, quàm ex Iapeti posteris illis, qui in Asia vel Septentrionali Europæ parte diu subsiterunt. Ergo illi Cami siue Camesis filij Noæ, velut primi autoris suæ gentis & diutissimè, & lubentissimè memoriã conseruarunt, eámque posteris postea tradiderunt. Ab eadem Cami voce videntur quoque & in Oriente quidem (vbi Camus cum patre Noa diu habitauit) hæc nomina velut illius vestigia formata relictáque fuisse, Cambaia regio Orientalis, de qua Strabo lib. 12 & Cambala, vbi sunt auri fodinæ, quæ nũc Cambalu vocatur: vnde Magnus Cam Tartariæ dictus, qui illis locis imperat. Hinc Camæ & Camacæ populi Scythiæ extremæ & Orientalis, vt docet Plinius lib. 5. cap. 17: Camina Insula, lib. 4 cap. 12. Camina Ceres dicta apud Pausaniam lib. 6. Cameses fluuius Oceani Indici & Orientalis: de quo Aethicus. Camesena oppidum in Italia, de qua M. Cato in Fragmentis. Cambysis quoq; regis Persiæ nomen honorificum inde natum, qui Cyro regi in imperio successit: à quo Cambysena regio Orientalis fuit appellata. Et hæ quidem tot appellationes videntur ab vno Cami nomine deductæ, & in hominum memoriã velut vestigia lucida, Camũ reuocasse. Quid quod nõnulli, velut Plessæus in lib. de Veritate Christ.

scribunt?

ſcribunt? Hammon Iuppiter, aiunt, inter Afros eſt idem, qui & Cham filius Noachi: Scribitur enim per [Cheth] Hebraũ, quod per ſuum H, Latini, & Græci per ſuam aſpirationem pronuntiãt. [Mon] autem ſyllaba addita fuit imperitè, vel ambitioſè à Græcis, vt ab arena nomen Ammonis tanquam ſuum & Græcum deducerent. Ἄμμος enim Græcè eſt arena: In arenoſa verò Cyrenaicæ regionis parte ſitũ eſt iſtius Iouis Ammonis templum. At Herodotus lib. 2. mauult Ammonẽ quaſi Amnonem, id eſt, arietinũ vocatum ἀπὸ τ̃ ἀμνῶ deductum, quòd facie arietina pingeretur. Vnde illud Naſonis, [Lybs eſt cum cornibus Aminon.]

Sed errãt omnes iſti imperitia veræ iſtius nominis etymologiæ. Chammon enim à Chamo dicitur. Eſt enim lingua & gens Aegyptia affinis Hebrææ. Aegyptia igitur ab illa vocem Dei ſui Chammonis deſumpſit. Et hæc quidem de nominibus iſtis ſatis.

Ad VIII. Corruptiſſimum vitæ genus.

Accedamus iam ad reliqua noſtræ Hiſtoriæ capita, nempe ad corruptiſſimum vitæ hominũ genus, quod & poſt Gigantes natos, & tempore Noachi ante Diluuium à Deo immiſſum irrupit in orbem terrarum. Cuius rei hæc extant in Ethnicorum ſcriptis veſtigia, quãquam obſcurata ex eo, quòd illi etiam tranſtulerunt ad ætates Mundi, quæ ſecutæ ſunt Diluuium, ea, quæ ante diluuium contigerant, & facta fuerant, vel ignoratione temporis rerum geſtarum: vel quòd eadem ſæpiùs repetita fuiſſe putãt, renouato ſæpiùs mundo, quemadmodũ illi autumant: Imprimis autem Plato in Timæo, & Po-

litico, & lib. 3. de Legibus. Ergo quæ illi Ethnici de diuersis Mundi ætatibus aiunt, & præsertim de Ferrea tradunt, sunt istius morum corruptionis generalis, quæ ante Diluuium accidit, certissima inter Ethnicos ipsos testimonia. Quamobrem Ouidius lib. 1. Metamorph. docet Ferream illam Mundi ætatem (quæ fuit corruptissima, & deprauatissima) & Gigantum aduersus deos pugnam præcessisse, & terrarum inundationem. Nam de Ferrea illa, quæ diluuium proximè antecessit, hominum ætate sic scribit:

[Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus:
Non socer à genero: fratrum quoque gratia rara est:
Victa iacet pietas, & virgo cæde madentes
Vltima cælestum terras Astræa reliquit.] *Atque hac ipsa ætate, ait idem Ouidius, Gigantes nati, qui in cœlum, & Deos ipsos coniurarunt, & belligerarunt: de quibus ille sic eodem loco:*

[Néve foret terris securior arduus æther,
Affectasse ferunt regnum cœleste Gigantes:]
ex quibus homines nati fuere & ipsi quoque in Deum impij, & in alios homines sæui.

-- [sed & illa propago *(addit idem Poëta)*
Contemptrix superûm, sæuæq; auidissima cædis
Et violenta fuit.] *Post quas & propter quas hominum impietates, crudelitates, libidines, & omne genus scelerũ scribit idem Ouidius diluuium in terras vniuersas à Ioue .i. Deo effusum fuisse. Ergo subijcit*

[Iámque erat in totas sparsurus fulmina terras,
Pœna placet diuersa, genus mortale sub vndis
Perdere, & ex omni contrahere nubila cœlo,

Nec

*Nec cœlo contenta suo est Iouis ira: sed illum
Cæruleus frater iuuat auxiliaribus vndis.]*

Quid verò aptius, & cõuenientius nostræ veritati dici & restare potest, siue series rerum, siue immanis corruptio hominũ siue diluuij caussa spectetur, & quæratur? Ergo hoc est certissimũ nostræ veritatis vestigium. Hesiodus lib. 1. Opera & Dies, non procul ab istis abludit: docet enim tota Aerea ætate mundi (quæ secuta est Auream, & Argenteam) homines fuisse violentos & impios, prorsusque periisse: quibus Heroës successerint viri nempe meliores, quales qui ex Noacho post diluuium nati sunt, ac orti. Plato in Politico, post Saturni tempus & regnum tantã fuisse totius Mundi intemperiem ait, prauitatemq; hominũ, vt Deus habenas regimenq; Mundi deseruisse censeretur. Itaque à Deo sublatam illam viuendi rationem, hominesque illos nempe per diluuium à Deo deletos: alios autem in eorum locum substitutos, & repositos. Diodorus Sicul. lib. 1. de Gigantibus (qui primo Mundi seculo vixerunt) loquens, ita scribit, [Multi existimãt, quum ij Ioui, Osiridiq; dijs bellũ intulissent (quod summæ certè quidem impietatis indicium est) omnes peremptos esse.] Atque hæc illi, quanuis Ethnici, nobiscum de corruptissimis hominum moribus ante Diluuium, punitúmque à Deo Mundum vniuersum consentientes tradunt. Ex eorundem etiam libris Lactantius planè affinia his scribit: Nam lib. 2. Institut. Christian. cap. 14, postquam homines quosdam à cæteris differentes ex coitu Angelorum & fœminarũ natos dixit, eos ipsos totum mundũ suis artibus & exẽplis ante Diluuium deprauasse vult: [Hi, ait, spiritus

contaminati ac perditi per totã terram vagãtur. Itaq; omnia insidijs, fraudibus, dolis, erroribus complent. Hi sibi Geniorũ nomen assumunt.] Ergo isti primum mundum prorsus corrupêre. Sed & Berosus ait, Hi Gigãtes libidinosissimi erant, impudici, & nihil non sceleris admittebant. Inde illa sunt, quæ dijs suis Ethnici attribuerunt scelera, quoniam isti Gigãtes, & qui ex ijs sunt procreati illo seculo, dicti sunt, quemadmodum docet Moses, Fortes, dij, genui, herôes, & à posteris culti. Eusebius lib. 2. cap. 9. Præparat. Euangel. [*Quũ primis illis ante Diluuium temporibus mores hominũ, ait, stabiliti legibus non essent, nec supplicia peccatorũ imminerent, adulteria, nefanda matrimonia, maribus ereptam pudicitiã, homicidia, parricidia, confecta scelere bella, quasi res pulcherrimè gestas, dijs suis attribuebãt, & earum rerum memoriam, quasi perutilem, posteris tradiderunt.*] Et hac ratione, ait idem, coluerunt eos, qui voluptatum inuenerunt genera, vel amplificarunt: itemq; maleficos & pestiferos viros, quasi Deos coluerunt. Idem Arnobius contra Gentes ex eorum tamen monumentis scribit. Sed hoc ipsum quoque confirmat idem Eusebius eiusdem operis, quod iam citaui, lib. 7. cap. 3. ex Ethnicorũ quoque scriptis, vti ex Mosaicis sic scribens, [*Et Gigantes illi, qui per ora omniũ volitant impijs factis (quod adhuc vsque prædicatur) Deo .i. virtuti & pietati bellum nõ erubuerunt inferre. Et qui eos produxerunt siue immortales quidã, siue mortales, malefica quædam artificia, & magicam prauitatem primi excogitasse dicuntur.*] Ex quibus omnibus apparet luce Meridiana clariùs, & à Gigantibus, qui

primi

primi Mundi seculis fuerunt, summè corruptos fuisse hominũ mores: & eam immanem corruptionem vsque ad Diluuium perseuerasse, propter quam illud immissum est à Deo.

Ad XI. Denunciatio futuri Diluuij.

SED iam ad ipsam Diluuij denuntiationem veniamus, cuius vestigia sunt à nobis in Ethnicorũ libris quarẽda. Sunt autem hæc, Primùm, quòd Iosephus lib. 1. cap. 4. Antiquit. Iudaic. scribit, Etiam ab Adamo ipso prædictũ fuisse Diluuium Mundi propter hominũ scelera: idque duabus columnis (quarum vna erat lapidea, altera lateritia) inscriptum: quarum vna etiam ad ipsius Iosephi tẽpora in Syria superfuerit, vt tunc sciebant omnes & ipse scribit. Deinde quòd ante Iosephum M. T. Cicero lib. 1. de Diuinat. ex veteribus & Ethnicis scriptoribus docet ipsemet Ethnicus Assyrios & Babylonios habuisse monumenta rerum gestarum penè infinitorum annorum, in quibus quid Mundo esset euenturum, continebatur, ac prædictum erat. Consentit cum Cicerone Diodorus Siculus lib. 3 cap. 8. Biblioth. Scribit enim Chaldæos rerum, quæ futuræ fuerant, & quæ gestæ sunt, longissimam memoriam scriptis traditã habuisse. Tertio loco C. Plinius lib. 7. Nat. Hist. cap. 56, [E diuerso, ait, Epigenes apud Babylonios DCCXX annorũ obseruationes siderum coctilibus laterculis inscriptas docet, grauis autor imprimis. Qui minimùm Berosus, & Critodemus CCCCLXXX annorum. Ex quo apparet æternus literarum vsus.] Eæ verò siderũ obseruationes, rerum mutationes, & quæ eluuiones mun-

di futura erant, prædicebant. Ergo ex veteri memoria & traditione Patrum hoc retinuerũt, sciueruntq́ꝫ Ethnici Diluuium & clades mundi à suis Maioribus, qui illis temporibus vixerunt, & priusquàm illa euenirent, cognitas fuisse: ac proinde ijsdem fuisse a Deo denuntiatas. Sed quid tergiuersamur? Alexander Polyhistor apud Cyrillum lib. 1. contra Julian. narrat Saturnum prædixisse Xisutho, id est, Noacho futurum Diluuiũ, & quòd fabricanda esset Arca, in qua ipse simul cum auibus, reptilibus, & iumentis seruandus nauigare deberet. En denique istius Berosi, quem iam sæpiùs citaui, verba, qui, postquam de corruptissimis hominum illius primi seculi moribus, & præsertim Gigantum, locutus est, sic ait, [Tunc multi prædicabant, & vaticinabantur, & lapidibus incidebant de ea, quæ ventura erat, Orbis perditione. Sed enim illi Gigantes malis assueti corridebant omnia, cœlestiũ illos ira atque vltione perurgente pro impietate atque sceleribus.] Hæc iste, quicunq́ꝫ tandem est, Berosus, certè Ethnicus, & vetus autor tradit. Finit enim suam historiam quemadmodum & vixit lõgè ante Romam conditam. Hæc verò nónne sunt manifestissima denuntiati Diluuij vestigia etiam apud Ethnicos?

Ad XII. Diluuium vniuersale Mundi.

Pergamus verò, & tandem ad vltimum nostræ historiæ caput accedamus. Est autem de Diluuio ipso in vniuersum terrarum orbem immisso: cuius quot extent apud Ethnicos scriptores testimonia, vestigiáque, credi non potest, nedum dici. Quo magis miror quid Augustino

stino in mentem venerit, vt lib. 18. *Ciuitat. Dei, cap.* 8 *scriberet, huius vniuersalis & primi Diluuij nullã nec in Græca, nec in Latina historia factã esse mentionem: sed tantùm vel Ogigiani, vel Deucalionæi diluuij, quod vtrumque primo illo longè posterius fuit. Refutatur verò Augustinus cùm ex perpetuis Ethnicorũ monumentis, quemadmodũ mox docebimus: tùm & Lactãtij & Isidori scriptorum ecclesiasticorum testimonio, præterquàm quòd Augustini interpres eo loco Ioan. Viues vir eruditissimus hanc Augustini falsam esse sententiã, contrà prolatis cõtrarijs, docet. Lactantius igitur lib.* 2. *cap.* 10. *non ex Christianorum modò, verùm omnium Gentium consensu sic scribit,* [*Factum esse Diluuiũ ad perdendam, tollendamq́ ex Orbe terræ malitiã constat inter omnes. Idem enim & Philosophi, Poëtæ, scriptoresque rerum antiquarum loquuntur: in eóque maximè cum Prophetarum sermone consentiunt.*] *Isidorus lib.* 13. *Etymolog. cap.* 22. [*Diluuium dictũ est, ait, quòd aquarum clade omnia, quæ inũdauerit, deleat. Primum diluuium extitit sub Noë, quando hominum sceleribus offensus Omnipotens, toto orbe contecto, deletis cunctis, vnum spatiũ cœli fuit & Pelagi. Cuius hactenus indicium videmus in lapidibus, quos in remotis montibus, conchis, & ostreis concretos, sæpè etiam cauatos aquis visere solemus.*] *Hæc ille, qui docet omni mortaliũ generi superesse etiamnũ hodie vetustissimi illius Diluuij memoriam ex lapidibus pretiosis, qui cernũtur in summis montium iugis, quos illic ex eo Diluuio relictos ait Isidorus. Ex quibus apparet minimè Augustino assentiendum esse. Sed in eo decepti sunt Ethnici, quòd ea,*

quæ de primo illo & antiquissimo terrarum Diluuio acceperant, imperitè vel ambitiosè ad quasdam aquarum eluuiones peculiares, quæ in suis regionibus acciderant, transtulerunt, quemadmodum loco iam citato docet Lactantius. Ergo vera est illa Platonis lib. 3. Leg. sententia: multa quidem fuisse Diluuia: Vnum tamẽ inter cætera celebre & maximum. Verba Platonis hæc sunt ex Ioan. Serrani viri doctissimi versione. [ATH. Multas interneciones generis humani extitisse per Diluuia aquarum, & popularium morborum lues, aliasq; huiusmodi noxas, eò quidem vsque vt paucula hominũ reliquiæ post illas vastitates superessent. CL. Omnino id cuilibet verisimile videtur. ATH. Agè verò Vnã aliquam insignem consideremus è multis, eam videlicet, quæ per celebre illud Diluuium quondã extitit.] Huius autem copiosius meminit idem Plato in Timæo. Cõfuderunt igitur sæpè Ethnici particularia illa diluuia, quæ secuta sunt, cum illo Vniuersali, quod præcessit, non tamen semper, & vbique. Sed vt rem hanc totam perspicuè exponã, sic ex eorum scriptis colligo: Inundationes terrarũ fuisse plures. Prima, aiunt illi, nouimestris sub prisco Ogyge. Hæc sola fuit vniuersalis, & est Diluuiũ à Mose Gen. 6. & 7 descriptũ vti postea, Deo fauẽte, demõstrabo. Secunda inundatio Niliaca, menstrua sub Aegyptijs Hercule, ac Prometheo. Tertia bimestris in Achaia sub Ogyge Attico, & recentiore. Quarta, trimestris in Thessalia sub Deucalione. Quinta in Pharo seu Aegypto, & ipsa trimestris (quæ Pharaonica dicta est, vel à Pharaone, vel à Pharo insula, à qua tota Aegyptus, Pharos fuit olim appellata.). Quinta, inquam

in

in Aegypto sub Proteo Aegyptio in raptu Helenæ. Eodem modo ex Eusebij Chronicis multoties diluuium extitisse constat, velut sub Noacho, Ogyge, Deucalione: de quibus etiam Isidorus lib. 13. cap. 22. Etymologic. sed etiā postea sub Mauricio Imperatore, anno salutis 586 item sub Carolo V. Imperatore Germano in Hollādia, & Zeelādia, anno Domini 1531: & alijs in locis sæpe. Verùm Diluuium hoc vniuersale, & primum (quod Noachi temporibus fuit) κατ᾽ ἐξοχὴν Terrarū inundationem vocarunt, à quo ad ortū Deucalionis volunt intercessisse annos septingentos, quemadmodū tradit Xenophon quidam in Aequiuocis. De hoc igitur priscā Ethnicorū testimonia quærimus: nam de Ogygiano posteriore, quod in tota Attica & Achaia dūtaxat fuit: vel Deucalioneo, quod solum in Thessalia, extant quāplurima reliquiæ. Ogygiani istius posterioris (præter Eusebium, Xenophōtem istū, & superiores autores iam citatos) meminit etiā Varro in lib. de Pop. Rom. teste Augustin. lib. 18. Ciuit. Dei, cap. 8: & Berosus, & alij: quanquam eorum pleriq; sæpe primum illud Diluuium Ogygianum etiam vocant ab Ogyge prisco .i. Noa, vti iam docuimus: non autem ab Ogyge Attico, homine omnino recente & nouo. Deucalionæi diluuij mentionē faciunt Virgilius, Ouidius, Pausanias varijs in locis, qui Deucalionem solius Phthiotæ regionis (quæ est pars Thessaliæ) regem fuisse scribit, eiusq; sepulcrum in Attica extitisse affirmat lib. 1, & 5. Strabo lib. 9. Geogr. & alij penè infiniti. Illius verò, quod, vt sæpe dixi, & primum fuit, & vniuersale, & sub Noa contigit, infinita sunt in eorundem Ethnicorū libris vestigia. Ac pri-

mũm in libris Sibyllæ, cuius versus hi recitãtur à Lactantio Firmiano lib. de Ira Dei, cap. 23.

Ἐξ οὗ μηνίσαντος ἐπουρανίου θεοῖο
Αὐταῖσι πολίεσσι, καὶ ἀνθρώποισιν ἅπασι
Τὴν ἐκάλυψε θάλασσα κατακλυσμοῖο ῥαγέντος, *id est,*

[Ergo excandescente Deo, qui sidera fecit,
Vrbibus, & cunctis mortalibus ijsque scelestis,
Diluuium terras magnum obruit & mare totas.]

Quod Cato quoq; in Fragm. Originum, quæ extant, cõmemorat: [Chaldæi, ait, sempiternitatem Mundi sibi persuadent. Phœnicibus verò ac Sagis magis placet origo. Inter utrósque conuenit ante Ninũ circiter annis quinquaginta & ducentis (quibus durauit Aureum seculum] terras fuisse inũdatas, & in Scythia Saga renatum mortale genus.] Archilochus in lib. de Temporib. [Mnaseas Phœnix Damascenus, ait, lib, 97. hist. asserit ante Ninum fermè 250 annis fuisse terrarum inundationem, & quendam (cui testimonium perhibet Moseus antiquissimus Historicus) liberatum circa fluuium Araxin, ad montes Caspios.] Cæterùm huius Mnaseæ verba recitat Iosephus lib. 1. Antiquit. Iudaic. cap. 5. Sunt autem hæc, [Est & super Miniadã excelsus mõs in Armenia, qui Baris appellatur: in quo multos cõfugientes sermo est Diluuij tempore seruatos, & quendã simul in Arca deuectum (Is autem est Noa) in montis venisse summitatem, lignorúmque reliquias multo tempore conseruatas. Fuit autem iste, quem etiam Moses legislator Iudæorum scripsit.] Hæc apud Fla. Iosephũ Mnaseas ille, quem citat Archilochus. Meminit huius ipsius magni Diluuij quoque Hieronymus Aegyptius,

qui

qui antiquitates Phœniciæ literis mandauit. Meminit & Berosus Chaldæus, teste eodem Flauio Iosepho, qui etiam Gordiæum montem nominat quoque, vt suo loco videbitur. Berosus ille, quem iã sæpius citauimus, lib. 1 de Noa scribens, hoc quoque diluuium cõmemorat. Ait enim, [Is Noë timens quam ex astris futuram prospectabat cladem, anno 78 ante inũdationem nauim instar Arcæ coopertam fabricare cœpit. Anno 78 ab incoata naui ex improuiso exũdauit Oceanus, & omnia maria Mediterranea, fluminaq́. & fontes ab imo ebullientes exundauerunt supra omnes mõtes. Itaque omne humanum genus aquis suffocatum est, excepto Noa cum familia sua, quæ naui erepta est.] Hæc ille, quæ cũ nostra veritate plane consentiunt. Quæ verò apud eundem Berosum sequũtur, omnia cum ijs, quæ ex eodem refert Flauius Iosephus concordant. Huius quoq́; diluuij meminerunt Alexander Polyhistor, & Abydenus. Alexãder ait, Arto .i. Lamecho defuncto sub filio eius Xisuthro, id est Noa fuisse magnum Diluuium, quod prædixisset ei Saturnus .i. Adamus futurum, & quòd fabricanda esset Arca, in qua ipse cum animalibus seruaretur. Abydenus verò vetustissimus autor sic scribit: [Post quẽ & alij fuère, & Xisuthius, cũi Saturnus prædixit futuram multitudinem imbrium. Itaq; Xisuthus statim ad Armenios nauigauit, subitoq́; euenit diluuiũ] Hæc ex Abydeno Cyrillus. Illa enim ex eorũ (qui scriptores sunt Ethnici) libris ipse lib. 1. cõtra Iulian. trãscripsit, quæ sunt verissima historiæ Mosaicæ de Diluuio vestigia, vti videt omnes. Quid in Timæo Dialogo de eodẽ diluuio scribat Plato, puto cuiuis homini docto

notum esse, vt homines primi in eo perierint, vt Atlantica insula maxima tunc obruta fuerit, vt totius terrarum orbis facies inde immutata: quæ omnia legat apud eum qui volet. Cato in fragmẽtis ante Ninum 250 annis terram totam inundatam fuisse tradit, ex Maiorũ traditione. Ouidius lib. 1. Metamorph. Deucalioneũ diluuium appellans illud, quod fuit vniuersale, ait:


[Exspatiata ruunt per apertos flumina campos,
Cumq́; satis arbusta simul, pecudésque, virósque,
Tectaq́;, cumq́; suis rapiunt penetralia sacris.
Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto
Indeiecta malo: culmen tamen altior huius
Vnda tegit, pressæque latent sub gurgite turres.
Iámque Mare, & Tellus nullum discrimen habebãt:
Omnia Pontus erant, deerant quoque littora Ponto.
Occupat hic collem: cymba sedet alter adunca
Et ducit remos illic, vbi nuper ararat:
Ille super segetes, aut mersæ culmina villæ
Nauigat: hic summa piscem deprendit in vlmo:
Et modo quà graciles gramen carpsêre capellæ,
Nunc ibi deformes ponunt sua corpora Phocæ:
Nat Lupus inter oues, fuluos vehit vnda Leones,
Vnda vehit Tigros.
Obruerat tumulos immensa licentia Ponti,
Pulsabántque noui montana cacumina fluctus.]

Hæc Ouidius, quæ graphicè Diluuium illud Noeacum depingunt ex tradita vetustaq́; memoria. Illud enim tũc euenit, quod Proba Falconia ex Virgilio collegit.

[Tunc Pater omnipotens grauiter commotus ab alto
Aethere se mittit, tellurem & fundit in vndas,

Dilu-

Diluuium miscens, cœlúmque in tartara soluit.
Sternit agros, sternit sata læta, boúmque labores,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum.]
Et ne quid omittam ex illis Ethnicis scriptoribus, Plutarchus eius Diluuij quoq; meminit, quod ex Græcorũ libris Deucalioneũ appellat in libro de Defectu oraculorum, & Plinius lib.5. Nat. Hist. cap.13. de Ioppe oppido loquẽs, [*Ioppe, ait, Phœnicũ antiquior terrarũ inundatione, vt ferunt.*] *Solinus in Polyhist. cap.37. Deinde Ioppe oppidũ, inquit, antiquissimum Orbe toto, ante inundationem terrarum conditum.*] *Pomp. Mela lib.1. de Situ Orbis cap.11: Est Ioppe ante Diluuium (vt ferunt) condita.*] *Denique populi ipsi Indici nuper ab Hispanis reperti huius diluuij quoque memoriã adhuc inter se conseruant, quemadmodum in lib. de Veritate Christiana scripsit Plessæus, cap.26. Et hæc quidem tot & tanta pristinæ nostræque veritatis vestigia, testimoniáque certissima inter Ethnicos extant, ne ea fabula quædam esse, vel iucundum animi commentum censeatur.*



CAPVT IIII.

¶ *Quæ Politia tum Ciuilis, tum Ecclesiastica fuerit toto illo seculo & tẽpore, quod habet à Profanatione publica Nominis Dei annos 1421.*


AETERUM, quæ toto eo tempore (quod longissimum fuit, cōtinet enim annos 1421) Politia siue Ciuilis, siue Ecclesiastica inter homines fuerit, explicandū est. Utráque verò penè fuit eadem, quæ in proximo, superioreq; seculo, nisi quòd omnia semper in peius ruebant, creuitque in immensum, præsertim hac ætate, hominum nequitia. Ergo quod ad Ciuilem Politiam (quæ in his quatuor posita est, Magistratu nempe, forma Reipub. Legibus, & Institutis seu Artibus, quæ tunc exercebantur) attinet, videtur hæc tunc fuisse: Magistratus propriè toto eo tempore nullus erat, etsi quidam in singulis familijs ætatis ratione, vtpote qui erant maximi natu, præerant: sed qui in Inuitos ius diceret, pluribus & diuersis familijs summa autoritate imperaret, qui ius publicæ coërcitionis haberet, qui facinora publicè puniret vlla in Orbis regione nemo tunc fuit. Ergo tunc quoque scelera manebant impunita, violentia & libido effrænis in Mundo regnabat: nec vlla extant vel scribuntur illo seculo exempla pœnarum sceleratis hominibus impositarum. Scribit quidem Iosephus eos, quos nominat & commemorat Moses, alios alijs post mortem velut in principatum successisse, cui sententia videtur quoque assentiri Augustinus lib.15. Ciuit. Dei, cap.20: Verùm hic Principatus fuit duntaxat domesticum imperium, non autem regium, aut Prætorium: idque in suas cuiusq; solùm familias, nō in diuersas: in quo ipso Magistratus potestas à paterna differt. Ergo rectè Epiphanius lib. 1. contra Hæreses totum illud seculum quantumuis lōgum appellat Barbarismum, vbi nempe nullus imperaret,

rea,


ret,& iurisdictionem coërcitionemq́; in inuitos,& alios haberet. Consentit cum Epiphanio Eusebius lib.2.cap. 9.Præparat.Euang. Docet enim totius illius æui mores fuisse insolentes,impios,& dissolutos. Quemadmodum autem nullus Magistratus publicus tunc fuit:sic neque Leges vllæ communi eorum,qui tunc viuebant, consensu inter se cõstitutæ,vt idem Epiphanius,& rectè,tradit. Nam sibi quisque lex erat:& quantum vel conscientiæ exiguis sanè tunc reliquijs mouebatur : vel saturata & expleta libidine tardabatur,tantum ab iniuria in alios & scelere,tantum à spurcitia,tantum à scortatione, intemperãtia,impietate,cæterisq́; vitijs abstinebat. Nullo verò legum vllarum & pœnarum metu , vel vinculo quisquam constringebatur,quia nullæ pœnæ scelerum,& leges in ea vindicantes erant. Ex quo facilè euenit,vt omnis caro, .i. omnes homines, viã suam corrumperet. Sed quemadmodũ Magistratus,neq́; lex vlla publica, communiq́; sensu recepta,neque pœna sancita tunc fuit: sic neque vlla Reipub.forma cõstitutioq́; certa,vtpote quum nullæ essent Respubl. id est,nullus hominũ cœtus communis iuris societate inter se vinctus:vrbes quidem & oppida iam habebant homines, in ijs propter metum vel beluarum,vel à seipsis habitabant: Politia tamen aut regimen certum tunc inter eos ipsos eiusdem vrbis incolas nullũ erat:quanquã probabile est illos,qui simul in eodẽ oppido erant, ijsdémque mœnibus continebãtur, fuisse in suos conciues minus iniuriosos,propter viuendi consuetudinem.Propterea tamen neque cõmunem totius vrbis Magistratũ,qui scelera puniret,neque cõmunem legem habebãt: sed à primo ad vltimũ sceleribus omnes

& quidem impunè, dediti erant, ac liberè. Id quod etiã post Diluuium Sodomæ & Gabaoni oppidis, & eorum ciuibus accidit, Gen. 19. 4, Iudic. 19. 22: quia non erat, ait expressè textus, illo tempore Rex & Magistratus in Israel, Iud. 19. 1. Nullæ quoque tunc erant, vt nõnulli volunt agrorum diuisiones: sed erat terra cõmunis possessio: nulla dominia: nulla regna: nullæ Aristocratiæ, nullæ Democratiæ: nullæ propter fines regnorum tuendos, vel agros priuatorũ finiendos & retinendos: nullæ, inquã, tunc lites inter homines erant, nullaq́; bella propterea. Id quod G. Stuckius ex Macrobio docet lib. 1. Conuiual. quæst. & ante eum Epiphanius grauis autor imprimis. Cædes nihilominus & homicidia tum armis & vi publica pluribus simul collectis: tum etiã vi priuata à singulis vel etiam pugnis fiebant tunc quoque ab illis, sed alijs de caussis nempe propter scortationes, vel iras & iurgia mutua, vel cibos, & omnis generis voluptates explẽdas, quibus isti velut ventris serui addicti erant. Denique eas artes exercebant, quæ erant iam repertæ: qualis Agricultura, & Pastoritia ad victũ quærendum: Musica vocalis & organica ad voluptatem: Aeraria & ferraria ad arma, quibus se vindicarent, & vim alijs inferrent, fabricanda, & si quæ aliæ artes tunc notæ vel inuentæ erant, ab istis eximiè colebantur non ad communem Reipub. vel aliorũ vtilitatem: sed ad priuatum cuiusque tantùm vsum & cõmodum. Et hæc quidẽ de Ciuili, quæ tũc erat, Politia: quæ vel nulla, vel pessima dicenda est. Ecclesiastica verò iam exponenda, quæ in his quinque versatur, Verbo Dei externo, externo Dei cultu seu Sacramẽtis, Ministro, Loco, & tem-

& Tempore conuentus ecclesiastici. Ac quidem Verbũ Dei iam non tantùm per manus ab Adamo traditum erat: verumetiã scriptis & literis ab Enoscho mandatũ vt docet Iudas epist. vers. 14. Extabat enim iam liber Enoschi, seu Chanochi, qui postea translatus est à Deo. Quamobrem & promissio de Mediatore (qui futurus erat Semen mulieris) ab Adamo posteris denuntiata scripta erat ab Enoscho, ac proinde Misericordia Dei in pios: & Ira Dei quoque in impios literis cõmendata in Ecclesia, atque inter pios tunc sonabat, atq; annuntiabatur. Articuli quidem fidei Iustificantis (qua Iesum Christum Filium Dei Messiã & Mediatorem agnoscimus) tunc non tam pleni, distincti, atque perspicui erãt, quàm vel nunc sunt in Symbolo Apostolico, vel postea sub Abrahamo & posteris fuerunt (creuit enim explicatio cognitioq; fidei per momentũ) fundamentũ tamen ipsum salutis & remissionis peccatorum iam in Ecclesia notum erat, annuntiabatur, retinebatur, credebatur à pijs hominibus, nempe Filiũ Dei & eum (qui Satanæ & Serpentis caput .i. omnem potentiam Diaboli tollere & euertere posset) futurũ Hominem ex solius mulieris semine pro nobis, & venturum in nostrã cum Deo recõciliationem: cuius beneficij iam fructum ipsi pij sentiebant, & illius sacramenta, signa, ac sacrificia in victimis .i. vmbras habebant. Ergo externus Dei cultus idem tunc vigebat in Ecclesia qui in superiore proximóque seculo, nempe Sacrificia victimarum, & ex ijs Sacra conuiuia: Discrimen mundorum & immundorũ animalium tum ad immolãdum, tum ad victum à Deo ipso institutum: Congressus singularum familiarum ad


ad Altare suum, vbi in memoriã futuri Messiæ oblationes & victimæ (prout præceperat Deus Adamo, & Abeli) fiebant: Conciones de Dei Misericordia in suos, & Iustitia in peccatores audiebantur: Precationes publicæ concipiebantur, & Deus vnus adorabatur: Mundi prima creatio, & eiusdem futura redemptio prædicabatur: Aduentus Dei in extremum iudicium, Iudæ epist. vers. 14: & Resurrectio carnis, Heb. 6. Donum Prophetiæ etiam in Ecclesia (velut in Chanocho, Lemecho pio, Noacho, & alijs quibusdam) tunc vigebat, vt ex ipsorum prædictionibus apparet. Denique Excõmunicatione, eaque grauissima, quæ est Maranatha, vtebatur Ecclesia contra homines Deo rebelles, Iud. epist. 14, & 1. Cor. 16. Verùm Minister istius verbi, & Ecclesiæ publicus ecquis tũc esset, quæritur. Respondeo verò, Eum fuisse, qui tunc in vnaquaq; pia familia erat natu maximus ex eadem familia. Ergo Primogeniti munus Sacerdotum & Concionatorum verbi Dei in suis quisq; familijs (patribus mortuis) obibant. Itaque Deus pro illis postea Leuitas in Lege sua substituit. Quos autem pios recenset Moses ex familia Sethi, ij sunt, qui maioris tunc pietatis & probitatis laude inter homines claruerunt, atque illustriores fuerunt: nõ quòd tunc ij soli in Mundo pij fuerint, aut Sacerdotes, aut Ministri verbi Dei. Licèt Iosephus lib. 1. cap. 5. Antiquitatum, vti dixi, putet eos alios alijs continua serie successisse in administratione rerum Politicarum in familia: item in Prophetia, & cura regenda conseruandaque Ecclesiæ: quod verũ esse quanuis ego concesserim, nego tamen eos solos tunc vixisse pios: verùm præcipuos fuisse

fuisse tantùm, & tanquam inter cæteros pios columnas, ac sinceriores fateor; vsquequò omnis caro corrupisset viam suam. Cæterùm vt putat Epiphanius, nulla tunc hæreses fuere, sed manifestus in ijs (qui pij non erant) contemptus Dei, ac immanis publicáque profanitas elucebat. Idololatria verò vtrum tunc quoque cœperit, quæritur. Fuisse autem, aut cœpisse iam eo seculò volunt plures, velut Iosephus, Philo, Tertullianus in libro de Idololatria: negat tamen vnus Epiphanius. Erecta tamen fuisse iam tunc Idola non existimo, etsi Deus immane sperneretur. Locus autem, in quo fiebat conuentus Ecclesiasticus in singulis familijs erat is, in quo Altare sibi tota familia exstruxerat. Sic enim censeo singulas familias (vbi vna ab alia sese seiunxerat & separauerat) habuisse Altare suum peculiare, & locum in quem omnes ex hac vna familia conuenirent, & simul ad sacrificia preces, & audiendum Dei verbum solemniter congregarentur. Tempus denique istius solemnis cœtus agendi in singulis familijs fuit Sabbatum seu dies septima, in qua Deum post creationem Mundi cessasse ac quieuisse sciebant pij omnes: idque ab Adamo ipso per manus acceptum tenebant. Atque hæc fuit totius illius ætatis seu seculi, nempe 1 4 2 1 annis tum Ciuilis, tum Ecclesiastica Politia.



LIBER SEV SECTIO QVARTA PRIMAE MVNDI AETATIS, QVAE CONTINET EA,

quæ in Anno Diluuij contigerunt, id est, ab Ingressu Noachi in Arcam, iussu Dei, vsque ad eiusdem ex eadem Arca exitum. Habet autem annum vnum, siue vnius anni res gestas, & spatium.



VAE sequitur historia habet vnius solùm anni, vel paulò admodum plus, res gestas, & tempus: nimirum ab Ingressu Noachi in Arcã, iussu Dei, ad eiusdem exitum ex eadem illa Arca, Dei quoque mandato. Exijt autem Noachus ex Arca, Deo præcipiente, anno à Mundo condito 1657: anno vitæ ipsius Noachi 601: Post illius in Arcam ingressum, anno toto reuoluto, eóque solari: post publicam nominis Dei Profanationem, annis 1422. Habet autem hæc postrema primæ Mundi ætatis sectio & pars capita Historiæ præcipua quatuor.

I. Incrementum aquarum Diluuij, quantum

tum excreuerint, quandiu, & quantum temporis in ea inundatione permanserint Aquæ.

ERGO post ingressum in Arcam Noachum vnà cũ vxore, tribus filijs (Iapheto videlicet, Semo, & Chamo) eorúmq; vxoribus, & reliquis animalibus, quæ cum illis in Arca seruari Deus volebat (id quod mense 2. anni 600 vitæ Noachi contigit, die mensis eiusdem 17. quemadmodum disertè annotat Moses Gen. 7. 11) creuerunt in immensum Aquæ tum fontibus abyssi ruptis, tum etiam imbre copiosissimo è cœlo in terrã decidente per totos quadraginta dies, & noctes continuas, Gen. 7. 12, adeo vt excelsissimos quosuis terræ montes totis 15. cubitis tandem aquæ illæ superarent, Gen. 7. 20, & omnia quæ in superficie terræ erant, quantumuis altè euolarent, aut scanderent, aut reperent (velut aues, bestiæ, & homines) aquæ illæ eadem mergerent, ac extinguerẽt partim ea suffocantes, partim victum illis eripientes. Durarunt autem aquæ illæ sic altæ diu, ac plusquã per duos menses. Nam quum 150 dies intercesserint inter initium istius immanis aquarum incrementi vsquequò eadem depressæ fuerint, ac ostenderentur & viderentur summa cacumina montium (illi verò 150 dies cõplent quinque menses totos) sic statuo duos menses cũ dimidio isti incremento aquarũ & earundem furenti altitudini & exundationi esse tribuendos. Quo temporis, & quidem longo, spatio Arca per totũ terrarum Orbem ferretur, ac iactaretur: deniq; fuerit omnis caro anima-

ta deleta, quòd aqua eam mergerent: & quòd victum omnem, eiusque quærendi rationem ademerêt (exceptis ijs, qui erant, vti dixi, in arca) Gen. 7. 21. 22. Ergo tātum temporis, id est, per duos mēses summus ille furor, & vis summa ac impetus aquarū durauerit, vt omnia ruerêt, prosterneret extingueret, & deijceret: atque ita Dei iustissima in mundum illum iudicia exerceret, impleretq́ȝ. Verùm postquam sic sæuissent aquæ, omniaq́ȝ animantia in terra, & cœlo deleuissent, Misericordissimus ille Pater, & Deus recordatus est Noachi & piorum, qui cum eo in Arca erant: & animalium quoque ipsorum, quamuis brutorum (quoniā ea quoque ad mundum instaurandum seruari Deus volebat) eorum, inquam, omniū recordatus est Dominus Deus, & Mundi cōditor & Ecclesiæ suæ propagator ac custos. Ergo fontes abyssi (è quibus ebulliebant aquæ illæ immanes) repressit & occlusit: imbrem (qui plurimus è cœlo ruebat ad easdem aquas semper augendas vel fouendas) sedauit, & cōtinuit: ventum denique immisit, qui aquas illas immensas exsiccaret, donec intra centum illos quinquaginta dies a primo Diluuij die numerandos, prima, summáque montium iuga & cacumina conspicerentur, vtpote iam aquis nudata, & aperta hominum oculis, Gen 8 1. 2. 3. Sic finiti sunt dies illi 150, quibus & creuerunt aquæ, & sedatæ quoque fuerunt, Gen. 7. 24, & 8 1. Quod dierū spatium efficit quinque menses, qui additi secundo mensi anni 600 vitæ Noachi, quo cœpit Diluuium, efficiunt eiusdem anni menses septem. Ergo septimo mense anni 600 vitæ Noachi, eiusdem mensis die 17. vertices montium apparuerunt: imo ipsamet

Arca

Arca in vno quodam ex Armenijs montibus, eóque altissimo & excelsissimo constitit, quum amplius non ferretur, aut eleuaretur ab aquis, illis vtpote iã infra iuga montium subsidentibus, & à Deo depressis, Gen.8.4. Atque hæc est mea de incremento aquarum, & earum exundatione, eiúsque duratione: denique de earundem decremento sententia.

II. Experimentum cessantis Diluuij, à Noacho factum.

Ceterùm decrescentis cessantisque Diluuij habuit Noachus etiam antequam vel exiret ipse, vel aues ex arca emitteret, multa testimonia. Ac quidem antequã Coruum emitteret, hæc: Quòd imber è cœlo decidere desijsset: Quòd ventus aquas exsiccans flaret, isque & sentiretur, & audiretur, atque aquarũ constrictio, crispatio, compactióque fieri cerneretur: Quòd Arca ipsa iã non iactaretur huc & illuc fluctibus impetuq́; aquarum, vt anteà: sed leniter primùm in aquis ferretur, deinde in vno ex montibus Ararati constitisset: Deniq́; quòd summa montium cacumina conspici iam poterant vndis nudata, & exsiccata, Genes.8.1.2: & deinceps. Quæ omnia ante decimum mensem exactum anni 600 vitæ Noachi finitum contigerunt. Septimo enim illius anni mense cõstitit Arca in illo monte Armeniæ: decimi verò mensis eiusdem anni primo die conspecti sunt vertices montium, Gen.8.4.5. Postquam autem conspecti essent ex Arca illi vertices montium in terra, expectauit adhuc Noachus dies quadraginta, id est, à primo

die mensis decimi vsque ad vndecimum diem mẽsis vndecimi eodem illo 601 vitæ suæ anno patienter adhuc sustinuit sese Noachus in arca, licet ex ea iam cerneret iuga montiũ aperta, & aquis detecta probabiliter, prudenter, & vere cõyciens non idcirco in inferioribus terræ partibus, velut in conuallibus & locis planis exsiccatas esse aquas diluuy quòd iam vertices montium ys destituerentur, ac conspicerentur nudati. Ergo post illos dies 40. .i. die vndecimo mensis vndecimi, Noachus emisit Coruum auem ex Arca, aperta illius fenestra, vt experiretur, Vtrum in locis terræ imis subsedissent ac exaruissent quoque aquæ. Verùm Coruus ad eum redyt supra Arcam, & ex arca in agros iterum reuersus est: idque sæpe continuauit sic ire & redire Coruus, donec aquæ exsiccarentur, Gen. 8. 7. Sed quum ex eo Corui volatu, id est, itu in agros, & reditu ad se seu supra, non autem intra Arcam Noachus non posset satis notare, atque certò perspicere quantũ aquæ subsedissent, ac defecissent (est enim Corui volatus sublimior, deinde etiã Coruus subsidet in altiorum arborũ ramis) idem Noachus septem post eductum Coruum diebus emittit Columbam. Hæc autẽ auis nec tam pernix est, quàm Coruus: nec tam alta petit. Ergo quũ in conuallibus & planis locis nõdum defecissent, aut exsiccatæ eßent aquæ, & quum adhuc humiliores arbores exæquarent aquæ illæ, redyt ad Noachum Columba, quòd non inueniret, vbi plantam pedis poneret: Ipse autem eam ad se recepit, Gen. 8 8. Septem verò postea diebus eadem Columba à Noacho emissa denuo fuit, quæ in ore folium oliuæ (quod ex arbore ipsa defregerat, nõ autem in terra hu-

mi ia-

mi iacens & positum repererat, collegerátve) ad Noachum attulit. Hinc verò intellexit Noachus (quum sit Olea humilis arbor) aquas multùm subsedisse, & ipsi adeo superficiei terræ iã esse proximas, Gen. 8. 11. Redyt igitur ad Noachũ Columba denuo, quæ fuerat denuo ab eo amissa. Post quod tempus interpositis iterum diebus septem Noachus non per impatientiam, sed Dei beneficium, & iram eius in Mundum placatam exploraturus, tertiò Columbam ex Arca emisit. Hæc autem tertiùm emissa non redyt amplius ad Noachũ seu in Arcam, quòd in terris & locum, & pabulum sibi inuenirет Columba, Genes. 8. 12. Atque inde Noachus coniecit placatum esse Deum in Mundum, & erga genus humanũ, ac proinde Diluuium finitũ esse, & aquas in terræ superficie esse exsiccatas. Nondũ tamen egressus est: sed Dei iussum patienter expectauit. Nec enim adhuc erat exsiccata tota terræ superficies, nedũ vt esset sic firma & solida, vt & ipsum Noachum, aut eius liberos, & grãdiora animalia sustinere aut ferre posset, eáque gressu firmo supra terram incedere quirent, vel auderent. Ergo totus adhuc mẽsis duodecimus anni vitæ Noachi 600 interpositus fuit, & expectauit Noachus ipse totum illum adhuc mensem, post quem, nempe primo mense anni vitæ eiusdem 601 primo die eius mẽsis demum Noachus remouit tectum seu operculum arcæ, vt ex tecto vndiquaq; liberè iam circunspiceret, ecquis esset terræ status & facies. Vidit autem, & ex eo tecto animaduertit omnes aquas Diluuij esse planè iam exsiccatas, & ex tota superficie terræ recessisse, Gen. 8. 12. Nondum tamen egressus est, quia nondum erat sa-

tis firma & arida terræ ſuperficies, vt ſupra illam inſiſtere vel homines ipſi, vel bruta animãtia poſſent. Itaq; ſubſtitit adhuc Noachus cum ſuis omnibus in Arca, Deiq; iuſſum de egrediendo ex magna fide & patientia per duos pene menſes totos expectauit, Gen. 8. 15.

III. Noachi ex Arca egreſſus.

ERGO ſubſtiterat Arca iam inde à 7. menſe anni Noachi 600 in vno quodam, vti dixi, ex mõtibus Ararati, ſeu Aſſyriæ vel Armeniæ ſuperioris, id eſt, poſt quinque menſes à Diluuio cœpto. Iam per dies 57 à die primo primi menſis anni 601 vitæ Noachi ad 27 diem ſecundi menſis eiuſdem anni Aquæ Diluuij omnes exaruerant in tota ſuperficie terræ, & ſe receperat mare, fontes, & flumina in ſuos alueos ordinarios: manebat tamen ſemper Noahus in Arca concluſus cum animalibus, in quam Dei iuſſu fuerat ingreſſus, & cuius oſtiũ idem Deus, imminente diluuio, ipſemet clauſerat. Dei enim iuſſum de egrediendo patienter in ea expectabat. Itaque die 27 ſecundi menſis anni 601 vitæ ſuæ Noachus iubetur a Deo egredi ipſe & liberi eius vnà cum ſuis vxoribus, cumq; omnibus animantibus, quæ cum eo in Arca fuerant ingreſſa Gen 8. 14 15. 16. Sic autem egreſſi ſunt omnes: Primùm quidẽ ipſe Noachus, deinde tres eius filij: poſtea vxor Noachi, poſt quam exierunt nurus eius: denique animalia bina egreſſa, nempe mas & fœmina, quemadmodum primùm fuerant in Arcam ingreſſa ſecundum genus ſuum, Gen. 8. 16. 18. 19. Nec verò perturbatè & confuſè Noachus ea eduxit ex arca, ſed placidè, commodè, & diſtinctè, poſtquam Deus ipſe

ipse Noacho & illis ostium arcæ aperuisset finito diluuio, quemadmodum eo incipiente ostium clauserat.


IIII. Noachi ex Arca cum filijs, uxore, nuribus, & animalibus egressi Soteria, id est, Sacrificium, gratiarúmue actio Deo reddita pro salute.

Egressus verò Noachus ex Arca cum filijs illis suis tribus, uxore tribus nuribus, & Animalibus, sacrificiū fide obtulit Deo. Obtulit verò ex animalibus quidem omnibus quæ fuerunt in Arca, sed puris duntaxat seu mundis nō etiā ex immundis. Obtulit autem illa omnia supra Altare, quod in eum vsum ipse cum filijs post egressionem suā ex Arca exstruxerat. Gen. 8.20, Heb. 11.7. Fuit igitur ingens numerus victimarū ex omni animantium mundorum (quæ in Arca seruata fuerant) genere cæsarum atque mactatarum, quale sacrificium, támque solemne, & varium; neque antea, neque postea vnquam fuisse commemoratur in S. Scriptura, quantūuis diues & copiosum fuerit Solomonis in dedicando Templo sacrificium, 1. Reg 8 5: Item Ezechiæ regis in solemni illo Paschatis festo à se celebrato, 2. Chron. 30.24. Fuit verò hoc idem Noachi sacrificiū potius Eucharisticum, quàm pro peccatis Expiatorium. Gratias enim Deo de Mundo, & se, & liberis, & uxore, & nuribus, & animalibus ex tanta aquarū copia seruatis Noachus, quique cum eo erant omnes, agebant. Quanquàm eosdem pro placanda in posterum Dei ira in mū-

dum hunc obtulisse eos quoque verum est: sed præcipuè fuit Gratiarum, vti dixi, actio hoc sacrificium, & σωτήρια tunc oblata Deo pro rerum, quæ supererant, conseruatione. Gratum autem fuit Deo sacrificium Noachi propter eius fidem, nō autem propter victimarum multitudinem (nec enim Deus rebus carnalibus per se delectatur, aut istum pinguedinis adustæ tetrū odorem suauiter odoratur, Psal. 50.13, Itaque acceptū ei fuit Gen. 8.21. Nec verò hoc solùm: sed etiam amplissimas Noacho, totiq; futuro postea mūdo promissiones Deus addidit: de Mundi statu iterum instaurando: de condonandis hominum peccatis: de generali Diluuio in posterum non futuro: de iure hominum in bruta animātia restituendo: de hominibus tutis aduersus vim & impetum ferarum animantium præstādis: denique de hominibus ipsis inter se tutis futuris: ergo de pœna in homicidas grauissima exerenda, Genes. 8.22.23, & 9.1, & deinceps. Quæ quanquam sunt locupletissima Dei in homines placati promissiones, quia tamē ad nouum (qui post diluuium à Deo institutus est) Mundum pertinēt, suntque huius rerum status (quo in his terris fruuntur iam homines) fundamentum, ea prætermittemus. Fuit enim nobis propositum hoc tempus & seculū duntaxat explicare, & rerum in eo à Mose cōscriptarum vestigia in Ethnicorum libris quærere, quod à Mundo condito ad egressum Noachi ex arca fluxit, ad pios in fide confirmandos, & ἀθέους homines, qui hanc veritatem negant, refutandos, ac conuincendos. PATRI verò, Filio, & Spiritui sancto, qui sunt vnus ille verus Deus in æternum, & vltra colendus ac benedicendus, sit

laus

laus, & gloria in secula seculorum. Amen.



CAPVT II.

¶ Disputata, & agitata quædam in his quatuor superioribus Historiæ capitibus.

HABET autem & hæc pars quoque Historiæ suas quasdam quæstiones obscuras, quæ, quantum quidem poterimus, facilè tum explicabuntur, tum illustrabuntur. Ac primùm quidem de Incremento Aquarum.

Ad I. De Incremento Aquarum.

Quæritur, Quomodo & quadraginta, & centũ illi quinquaginta dies, quibus aqua primùm creuisse, postea verò defecisse & decreuisse dicuntur, sunt numerandi? vtrum in illo maiori numero nempe 150 diebus, minor videlicet dies 40 cõtineantur: an seorsim sunt sumendi, & post dies 40 supputãdi præterea dies illi 150, Gen. 7.17.24. R. Et ratio temporis, quo durauit diluuium: & verba ipsa Mosis suadent in maiori illo 150. dierum numero dies 40 contineri. Nam totũ illud Diluuij & immißi & exsiccati negotium, Deiq; iudicium perstitit dũtaxat annum vnum solarem ac plenum, qui constat 365 diebus, Genes. 8. At verò si quis 40 illos dies, quibus creuerunt aquæ, supra 150 addat, excresceret numerus dierum omnium collectorum, & à Mose

postea cõmemoratorum annum illum Solarem constantem 365 diebus. Quamobrem in 150 diebus illi 40 sunt proculdubio comprehendendi. Id quod & Math. Beroaldus libro 3. Chron. cap. 1, & Iosephus Scaliger lib. 3. de Emẽd. Temp. cap. vltimo, & lib. 5. cap. de Diluuio viri summi doctissimique probant ac confirmant. Verba verò Mosis idem sibi volunt. Nam recapitulãs Moses Gen. 7. 24 totum illud, quod eodem capite de aquis primùm excrescentibus, postea Arcam subleuantibus, deinde omnes homines omniaq́; animãtia in terræ superficie extinguentibus, & denique subsistentibus dixerat, & vno tanquam temporis spatio colligens, addit omne illud temporis spatium fuisse ac cõprehendisse dies solùm 150, quemadmodũ idem ipse quoque, Gen. 8. 1. 2. statim explicat. Nam ait Arcam quieuisse (nimirũ subsidentibus aquis Diluuij) post exactos præcisè 150 dies ab eo, quo primùm cœperat Diluuiũ in terris fieri, & aquæ cœperant excrescere tum imbre è cœlo cadente, tum fontibus Abyssi erumpentibus, Gen. 8 3: qui dies, quodve spatium fuit mẽsis septimus a capite anni 600 vitæ Noachi, cuius mense 2, die 17 cœperat diluuium in terris existere. Ergo in his verbis Mosis Gen. 7. 24 [Præualuerunt aquæ illæ super terram 150 dies] inest ἀνακεφαλαίωσις totius superioris historiæ, illiq́; dies 40 (quibus aquæ creuerant) continentur. Atq́; hoc ipsum, quamuis obscurè & intricatè, voluit, censuitque Augustinus lib. Quæst. in Gen. cap. 12. Dies autem illi siue 40, siue 150 sunt à primo die Diluuij immissi sumendi .i. à die 17, mensis 2 anni 1656, & Noachi vitæ 600 quemadmodum & Sacra Historia, & Iosephus lib. 1. Anti-

Antiquit. & Beroaldus lib. 3. Chron. testantur. Q. *Vtrum totis illis* 150 *diebus Aquæ Diluuij creuerint, quum dicantur toto illo spatio prauualuisse super terrã, totámque eam cooperuisse. Sic initio creandi Mundi Psal.*104.6, *Gen.*1.2 *fecerant eámque texerant aquæ.* R. *De hoc ipso quærit Augustinus lib. quæst. in Gen. cap.*11: *sed suam sententiã perspicuè non exponit. Apparet autem ex Mose Gen.*8.1, *& deinceps aquas etiã intra illud* 150 *dierum spatium decreuisse adeo, vt statim post* 150 *dies capita montium aquis nudata cernerentur, quæ eadem antea ab aquis mersa fuerãt, & cooperta, superatáque totis quindecim cubitis. Ergo aquæ Diluuij per* 40 *tantùm dies crescunt, & Arcam subleuant, montium quorumvis altissimorum summa cacumina cubitis* 15 *superant & excedunt, denique omnia deijciunt, mergunt, suffocant vi, & impetu suo. Manent autem vsque ad* 150 *diem, à primo die Diluuij sic superiores & terra & mõtibus: die denique* 151 *vertices montium apparuerunt Gen.*8. *Ergo omnino necesse est aquas eas decreuisse intra illud idem* 150 *dierum spatium: & inferiores, quàm priùs fuerant, euasisse* 15 *totis cubitis, atq; tanta mensura fuisse exsiccatas per ventum à Deo immissum, cohibita cœlesti pluuia, & fontibus abyssi clausis. Quod* 150 *dierum spatium quum* 5. *menses compleat, sic eos diuidamus, vt dicamus per* 40 *dies .i. per mensem totum, nempe primum diluuij, cum sequẽtis mensis triente seu tertia parte (quæ decem dies habet) creuisse aquas illas, & ad summum illud fastigiũ suum (quo superabant montes* 15. *cubitis) peruenisse. Quod spatiũ si a quinque mensibus detraxeris, restant*

menses tres cum diebus 20, qui efficiunt in summa dies 110. Iam verò dies istos 110 sic partiamur, vt ex ijs 40 decremẽto aquarum tribuamus (vt totidem diebus postea decreuerint aquæ, per quot antea creuerant) restabunt dies 70 .i. menses duo cum triente quo toto tẽporis spatio aquæ in illa sua altitudine permanere potuerunt, ac Mundum euerterunt, terræque animantia omnia viuentia delerunt. Q. Vtrum Arca per duos illos menses & triente, id est, per 70 dies (quibus sic altæ permanserunt aquæ, vt montium vertices 15 cubitis excederent) in vno tantùm terræ seu orbis loco substiterit, an per vniuersum terrarum Orbem iactata, & impetu aquarum, procellisque ventorum delata fuerit.

R. Quum manifestè Moses annotet Gen. 8.4. Arcã demum postquam ab aquis ex superficie terræ fuerat exaltata, & eleuata, quieuisse, quando in vno ex montibus Armeniacis substitit, & 7. demũ mensis anni illius die 17 id contigisse scribat, satis intelligi potest eandem Arcam & antea iactatam, & ventis procellisque delatam in varia terrarum loca, atque agitatam fuisse. Vtrum verò per vniuersum terrarum orbem interea vagata fuerit, nõ explicat S. Scriptura: neque nos desinire possumus. Q. Quomodo Arca illa tãtis, tamq; immanibus ventis pulsa, & fluctibus aquarum, & impetu vndarum tam sæuo totiesque percussa, tamen soluta, quassata, disruptaq; tandem nõ fuerit: sed salua & incolumis, nullo latere, aut assere, tabuláve eius amissa, vel etiam fracta permanserit: quum nullum nauigium, quantumvis robustum, benéque compactum, & tandiu, & tot fluctus sustinere queat, neque tot vndarum impetus

petus infractum & saluum ferre possit, eisque obsistere. R. *Aliam esse aliorum nauigiorum rationem: aliam verò huius arcæ verum est. Illa enim ab hominibus gubernantur: hæc verò ab ipso Deo, & quidem modo extraordinario, & miraculoso regebatur. Ergo firma & incolumis, infractáque aduersus omnem vim aquarum & procellarum (Deo sic eam tuente) Arca mansit. Quum enim illius ostium Deus ipse clausisset, Gen.* 7. 16, *hoc (velut manus sua) peculiari sigillo apposito, arca hæc tuta aduersus omnes cœli, marisq́ iniurias reddita est, ac perstitit. Quamobrem immediatè à Deo seruabatur, ne fluctibus ventisve collideretur. In medijs enim illis aquarũ tempestatibus Deus & Arca ipsius, & Noachi, & omnium, quæ in Arca erant, tãquam custos & pater meminerat Gen.* 8.1. Q., *Vtrum montes ante Diluuium fuerint, quum dicantur aquæ eorum capita* 15 *cubitis superasse, Gen.* 7.20: *Nonnulli enim existimant Montes demum post diluuium ex aquis defluentibus extitisse: priùs autem minimè in toto terrarum orbe fuisse.* R. *Ex Psal.* 104.6, *vbi de prima terræ creatione disseritur, apparet etiam mõtes à Deo conditos fuisse, quum primùm (.i. multis ante diluuiũ seculis) terra creata fuit, non autem ex solo aquarum diluuij decursu enatos. Id quod verissimum est. Nec enim aquæ adhuc defluxerant, quum Arca substitit in Ararati monte, Gen.* 8.4: *& tamen iam montes, ijque maximi erant, vt docet Moses, .i. ipsa veritas.* Q., *Vtrum verisimile sit aquas Diluuij potuisse superare summa excelsissimorum montium cacumina totis quindecim cubitis, Gen.* 7.20: *quum nonnulli montes (velut*

Olympus in Thessalia, & Athos in Gracia) reperiantur, qui ventos, & pluuias, totámque mediam aëris regionem altitudine superēt, quemadmodum Solinus Polyhistor cap. 17. tradit. ℞. *Hanc quæstionem sæpè tractauit Augustinus, velut lib. quæst. in Genes. cap. 10: lib. 15. Ciuit. Dei, cap. 27: & lib. 20. eiusdem operis, cap. 18, quo in loco sic ait,* [*Ergo verum est illo tempore periysse, qui tunc erat, Mundum: nec solùm Orbem terræ, verùm etiam cœlos, quos vtique istos aëreos intelligimus, quorum locum & spatiū tunc aqua crescendo superauerat. Ergo totus, aut penè totus aër iste vētosus (quod cœlum, vel potius cœlos vocat Petrus, sed istos vtique imos, non illos supremos, vbi Sol, & Luna, & sydera constituta sunt) conuersus fuerat in humidā qualitatem, atque hoc modo cum terra perierat, cuius terræ vtique prior facies fuerat deleta Diluuio.*] *Et quod affertur de Olympi summa altitudine, sic idem Augustinus retorquet,* [*Si enim, inquit, Olympus mōs (qui est terra) potuit inuadere spatium trāquilli illius aëris, vbi dicitur nec nubes videri, nec vētos sentiri, cur non & aqua crescendo eò penetrare in Diluuio potuit? Cur igitur vsque ad illa cœli spatia terris exaltari licuisse, & aquis exaltari non licuisse contendunt, quum isti mensores & pensores elementorū aquas terris perhibeant superiores, atque leuiores?*] *Ex quibus colligitur aquas Diluuij vertices superasse montium Olympi, Athos, & cæterorum omnium, quum iuga Armeniorum mōtium, qui sunt omnium altissimi, eadem aqua excesserint. Cuius rei testimonium affert Tertullianus in lib. de Pallio, quòd in summis montibus etiamnum suo tempore*

pore, velut & hodie, concha & buccinæ maris peregrinentur & reperiantur nimirũ aduentitiæ, & extra suũ elementum. Quod argumentũ & Isidorus in Etymol. lib. 13. cap. 22: & Solinus cap. 15. proferunt quoque. Ex quo falsa apparet Thalmudistarum sententia, qui scribunt Aquas diluuij nõ peruenisse vsque ad cacumen montis Sion. Id enim falsum est. Nam illud saltem 15 cubitis superarunt, imò pluribus. Q. Vtrum annus, & menses, quibus vtitur ante Diluuium Moses, quosq; in eodem describendo & supputando commemorat, fuerint Solares, an Lunares. Sunt autem menses Solares singuli inter se æquales, & tricenûm dierũ. Annus Solaris est 365. dierum. Menses verò Lunares sunt inter se inæquales, & partim caui, partim pleni. Pleni menses habent dies 30. Caui menses sunt duntaxat 29 dierum. Ergo Lunaris annus habet tantùm dies 354. Atque ita diuersa omnino erit Anni, & mensium Diluuij supputandi ratio, magniq; interest ad illius loci intelligentiam quæ sententia probetur, vel vera sit. R. Math. Beroaldus scribit Mosem vti quidem in supputando Diluuio anno Solari: sed de Mensibus aliter statuit, & Lunares esse definit, quibus idem Moses annum illum numeret: Ergo vult idem vndecim dies ex mense secundo anni vitæ Noachi 601, velut epactas, additos à Mose fuisse. Sic ille lib. 3. Chron. cap. 1, vt annus ille Solaris, quem refert Moses, completus esset, alioqui plenus ex illis 12 mẽsibus, quos enumerat Moses, non futurus, nisi epactæ ac vndecim illi dies adiungerentur. Hæc sentit ille, quemadmodum & Tyranus, id est, Mosem vti mensibus Lunaribus. Sic enim Be-

roaldus, [Cæterùm, ait, 12 menstrua spatia diebus cō-stant 354: quū alternis singuli menses 30: alternis 29, dies cōpleant. Itaque à 17 die mensis 2, anni 600 vitæ Noachi ad 17 diem mensis 2. insequētis anni, qui fuit vitæ Noæ 601, annū Lunarem expletū habemus constantem 12 Lunaribus mensibus, quibus desunt dies vndecim ad Solarem annum conficiendum, qui diebus cōficitur 365.] At verò hāc sententiam minimè probat Iosephus Scaliger grauis autor imprimis, ac eruditus, qui cōtendit & Annum, & Menses esse Solares, quibus non modò Moses, & qui eū ætate præcesserunt, vsi sunt: sed etiam post Mosem Israëlitæ temporibus, & Iosuæ, & Iudicum, & Regum quoque ipsorum. Sic igitur ille totidem verbis lib. 3. de Emend. Temp. cap. vlt. De anno priscorum Hebræorum scribit, [Ne quid tergiuersemur amplius, Annus (priscorum nempe) Hebræorum non fuit Lunaris. Fuit ergo Chaldaicus, aut (si mauis) Aegyptiacus annus duodecim æqualibus mensibus cum quinque appēdicibus dierum. Quis melius hoc nos docuerit, quàm Moses ipse? Is igitur scribit Diluuiū cœpisse 17. mensis secundi: 150 dies aquas inualuisse, & diem proximum à 150, hoc est, 151 fuisse 17. mensis septimi. 46 dies ante diluuium fluxerant. Nam 46. cœpit diluuium, nempe 17. mensis secundi. Iunge 150 cum 46, fiunt manifestè dies 197: qui per 30 diuisi relinquunt menses exactos sex, & 17 diem septimi, in quo Arcam quieuisse scribit Moses. Ergo nemo refragari possit, quum fateatur menses Hebræorum veterum tricenis diebus descriptos fuisse. Nullum locum hîc habet Luna.] Hæc ille, quæ etiam eiusdem operis lib. 5. cap.

De Diluuio repetit. Et certè quidem nos in Iosephi Scaligeri viri nobis charissimi sententiã pedibus imus, & annum, & menses (quos in vsu habuit Moses) solares, non lunares fuisse perspicimus, quanquam non diffiteor Beroaldi sententiam in summa anni supputanda locum habere posse, & rationem eam numerandi non improbabilem, absurdámve videri. Q. Quo mẽse anni Romani (quo nos iam vtimur) hæc singula contigerint, quæ Moses commemorat de aquis crescentibus, decrescentibus, de Arca in monte Armeniæ quiescente, de emisso Coruo, & Columba, & exitu Noachi. R. Vt huic quæstioni facillimè, verissimeq́ respondeatur, imprimis hæc duo constare oportet: Primum, Ecquis annus, Ciuilisne, an Sacer sit hoc toto in libro Geneseos sumendus. Alterũ, Ecquis anni Romani mẽsis Hebræi huius anni primo mensi respondeat. Et quidẽ à nobis antea demonstratum est, Annum eum, quo & in mundi, & Patriarcharum ætate supputanda Moses vtitur, esse Ciuilem Hebræorum annum, non autem Sacrum. Sacer verò à mense Nisan incipit, quod omnes sciunt. Ciuilis autem à mense Tisri. Quare hoc velut à nobis abundè probatum, hoc loco sumatur velut concessum. Iam verò mensis Tisri, qui est Primus mensis Anni prisci, & Ciuilis Hebræi, vt vult Beroaldus, mensi ei respondet, qui in anno Romano Septẽber vocatur: Vt verò mauult Scaliger, mensi Octobri. Nos verò Beroaldum sequamur. Ergo Tisri mensis primus anni Ciuilis Hebræi, qui fuit etiam caput anni vitæ Noachi 600, esto noster mensis September.

I. Tisri, Septẽber, primus mensis anni Noachi 600

II. Marhesvan, October, mensis secundus, cuius die 17 cœpit Diluuiũ esse in terris. Iam verò ab eo die per totos dies 40 pluit e cœlo, & fontes abyssi rupti sunt .i. vsque ad 27 mensis sequentis, qui Casleu, seu Nouember dicitur.

III. Casleu, Nouember, tertius mensis, ad 27. diem cuius a die 17 Octobris mensis continui imbres è cœlo fuêre. Iam verò ab eo die vsque ad 17 diem mensis Nisan, id est, Martij (qui fuit mensis illius anni septimus, ac proinde dies 150 à cœpto Diluuio) iactata semper fuit Arca. Die verò illa 17 mensis septimi demum subſtitit in montibus Armeniæ, ac quieuit.

IIII. Thebeth, December, mensis quartus.

V. Sebath, Ianuarius, mensis quintus.

VI. Adar, Februarius, mensis sextus. Videntur Aquæ cœpisse decrescere die septimo Februarij, id est, 40 diebus antequam Arca subsisteret.

VII. Nisan, Martius, mensis septimus. Huius mẽsis Martij die 17 Arca in Armenia quieuit seu substitit. Decimo verò mense (qui fuit Tamuz, Iunius Latinis) montiũ capita apparuêre, aquis dilunij subsidentibus ac multùm exsiccatis.

VIII. Iiar, Aprilis, mensis octauus.

IX. Siran, Maius, mensis nonus.

X. Tamuz, Iunius, mensis decimus: cuis primo die cacumina montium apparuerunt nudata aquis, vti dixi, atque aperta: Post quem diem expectat Noachus adhuc 40 dies i. vsque ad 10. diem mensis sequentis, qui est Ab, vel Iullius, quo die primùm emisit Coruum ex Arca.

XI. Ab

XI. Ab, Iullius, mensis vndecimus, cuius vndecimo die Noachus, vti demonstraui, emisit ex Arca Coruum. It Coruus, & redit, sed quanto tempore non designat Moses. Finge totis 7. diebus id fecisse Coruũ, id est, vsque ad diem 17 mensis illius vndecimi: post quẽ diem bis emisit Columbam Noachus, interpositis septẽ diebus inter singulas emissiones, qui dies efficiunt dies 14: sed dempto die emissionis erunt dies 13. qui cõplent totum vndecimum mensem. si cum 17 diebus superioribus coniungantur. Ergo toto hoc mense emittitur semel Coruus, & Columba bis. Tertiò quidem emittitur eadẽ Columba: sed non redijt ex tertia dimissione.

XII. Elul, Augustus. Hic fuit postremus, & duodecimus mensis anni Mundi 1656, anni Noachi 600, quo toto mense post tertiò dimissam Columbam, & iam non redeuntem, expectabat tamen Noachus in Arca vsquequò magis adhuc aquæ desiccarẽtur .i. ex tota superficie terræ deficerent. Sed Mense primo anni Mundi 1657, anni verò vitæ Noachi 601 (qui fuit September Latinis, & Tisri Hebræis, vti docuimus) primo die eius mensis, & Anni, vti dixi, 601 vitæ suæ Noachus totum superius Operculum Arcæ remouit, omnibus aquis Diluuij vbique iam etiam in superficie terræ exsiccatis, Gen. 8. 13.

Mense secundo eiusdem anni vitæ Noachi 601, (qui fuit Hebræis Marhesuan, Latinis October) eius mensis die 27 Noachus, iussu Dei, ex Arca egreditur. Ex his autem omnibus apparet, quo tempore & mense singula contigerint, quæ Moses in Diluuio (& dum in Arca Noachus versatur) gesta narrat, Gen. 7, & 8.

De his ipsis paulò aliter Iosephus Scalig. lib. 5. Emend. Temp. cap. De Diluuio. Tribuit enim mensi Nouēbri, quæ nos Octobri. Sed alij, quos nos hoc loco sequimur, mensem Marhesuan (qui Macedonibus Dios est) Septembrem esse volunt. Hoc verò mense Diluuium accidisse tradit etiā Iosephus lib. 1. Antiquit. Iudaic. cap. 5: sed Tisri potius est nominandus, si menses Hebræos cum Latinis comparamus. Quibus, vt potuimus, expositis, ad reliqua nostra .i. Mosis historiæ capita pergamus. Sequuntur autem quæ in experimentis de Diluuio cessante à Noacho factis controuerti & possunt, & solent.

Ad II. Experimentū cessantis Diluuij.

Quæritur, Vtrum Noachus ex impatientia quadā animi Coruū & Columbam emittit ex Arca quasi tantæ in Arca moræ tædio affectus, in qua velut in sepulcro iacebat, & tanto sterquiliniorum ac sordium (quæ ex animalibus egrediebantur) tamq; tetro odore, & tādiu tolerato fatigatus vixerat, quasi statim ex ea tam iniucunda sede sese proripere & liberare cuperet. R. Quū fidei nomine maximè laudetur, & à Spiritusancto cōmendetur Noachus, Heb. 11. 7, dicaturq; ex fide præparasse Arcam: Impatientia verò ex infidelitate nascatur (quæ fidei repugnat) minimè propter impatientiam Noachus emisit Coruum & Columbam ex Arca sed potius ex fide. Quum enim se seruandū esse ex Diluuio sciret, & reliqua omnia quæ in eadem illa Arca tunc erāt, vt illius Dei beneficij gustum aliquem præsentiret, & oculis fidei prauideret, emisit ex Arca

aues

aues illas futuras indices & nuntias deficientium ac recedentium aquarũ. Cæterum ex fide, non ex animi præcipitii quodam desiderio Noachum id fecisse, apparet, quod etiam aquis ex tota terræ superficie iam exsiccatis, non exijt tamen ex arca ante Dei iussum Noachus: sed diu patienter Dei mãdatum in ea expectauit, Gen. 8.13.14, vt quemadmodum Deo præcipiente fuerat Arcam ingressus, sic eodem iubente ex ea quoque egrederetur. Q. Cur Coruum potius ex arca Noachus emisit, quam auem aliam quampiam, quum multæ aliæ aquis gaudeant, velut Ardea, Gracculi, Anates, Cornices, & Mergi: ex quibus potuit idem iudicium fieri de aquis subsidentibus, vti ex Coruo aue. Nam in Pelago grauissimam esse tempestatem constat, quũ Mergi aues ad littora confugiunt, inquit Isidorus lib. 12. Etymolog. R. Alij censent Coruũ præsertim emissum à Noacho, propterea quòd sit vilis quædã auis Coruus præ alijs. Ergo propter vilitatem selectũ putant, quasi eo amisso, minor esset futura iactura. Verùm Noachus minimè vile existimauit quicquid Deus voluerat esse secum in Arca illa seruatum. Præterea multis in locis corui, velut auis (quæ sit testis benignissimæ Dei de suis creaturis prouidentiæ) fit mentio in S. Scriptura, sicut Iob. 39. Psal. 147. 9, Luc. 12.24. Itaq; Greg. Magnus lib 3. Moral. cap. 15. sic scribit, [Coruus profectò est quisque doctus prædicator, qui magna voce clamat, dum peccatorum suorum memoriã, atque cognitionem infirmitatis propriæ, quasi quandam nigredinem coloris, portat.] Id quod idem Gregorius lib. 18. eiusdem operis, cap. 18. repetit. Sed & quanti à profanis scri-

ptoribus fiat, apparet ex Aeliani lib. 15. Hist. Anim. cap. 39: quantiq; à populo ipso Romano, ostendit Plinius lib. 10. Natur. Histor. cap 43. Ipse ego sum testis quāti fiat Leydæ ab Hollandis seu Batauis. Eos enim ex vicis & publicis plateis ne quidem abigere licet: vti nec aues Ciconias ex domorū tectis, nedum eos occidere. Ergo nequaquā propter vtilitatem emissus est Coruus. Alij malunt eum contrà propter diuinitatem potissimū ex omnibus auibus delectum, ac emissum. Coruum enim auem esse maximè & diuinam & intelligentem, præsertim in auspicijs capiendis putant. Plinius lib. 10. Nat. Hist. cap. 12, [Corui, ait, in auspicijs soli videntur intellectum habere significationum suarum. Nam quum Mediæ hospites occisi sunt, omnes è Pelopōneso, & Attica volauerūt.] Aelianus lib. 15. Hist. Animal. cap. 40. sic ait, [Si Coruus quid agit, quod pertineat ad Deum, hic tibi sacrum quippiam, & diuinationis plenū loquitur.] Verùm hæc ratio est inepta. Nam ex superstitione Gentili nascitur, quæ statuit fouetque auspicia ex auium garritu vel volatu: quod obseruationis rerū genus prorsus verbo Dei damnatum est, Isa. 47. Itaque nec ex ea caussa Coruum emisit Noachus. Ego verò iudico delectum à Noacho præsertim Coruum, propter eius naturam, ac volatum: Naturam quidem, quòd & aquis non terretur, & ex sordibus (si quas in aquis, vel alibi piscari potest) vescitur: Volatū autem, quoniā in cacuminibus arborum sidere solent, neque pernices alas habent Corui, vt longè latéue vno tractu volare possint, sed subsistunt, & quiescunt statim. Vt igitur experiretur Noachus, Vtrum aqua Diluuij iam infra summa

vesti-

vestigia arborum (velut quercuum, vlmorum, nucum, & caeterarũ similium) subsedissent, quemadmodũ infra cacum na montium erãt etiam ante 40. dies, emisit potissimum Coruũ ex cuius natura & volatu id agnoscere potuit Noachus. Nam si nullas arbores, earúmve vertices aquis superiores coruus reperiret, nondũ aquis nudatae erant arbores: at si quas reperiret superiores aquis Coruus, in ijs sideret, subsisteret, ac volaret: ex quo facile erat conijcere aquas iam esse arboribus inferiores in superficie terrae. Quamobrem aptissime Coruum ad id conijciendum, deprehendendúmve delegit primùm Noachus potiùs, quàm vllam aliam auem. Caeterùm praetermitto illas allegorias, quas in Coruo, & Columba quaerit Augustinus lib. 12. contra Manichaeum, cap. 20 & 21. Legat apud eum, qui volet. Nec enim ipse eas probo. Q. Quid haec verba significãt Gen. 8. 7: [Et Coruus ibat, & redibat, vsquedum exsiccarentur aquae è superficie terrae:] quum etiam Columba ierit, & redierit ad Noachum, donec exsiccatis aquis potuit consistere in terrae superficie. R. His verbis notari differentiam dico inter Coruum, & Columbam à Noacho emissam. Coruus enim semel ex Arca emissus nunquam in eam postea se cõcludi passus est, nec se voluit aut siuit manu cõprehendi iterum à Noacho. Ergo Coruus iste volabat, subsistebatque modò supra tectum arcae, modò supra arboris alicuius verticem aquis nudatam: quod ipsum seu quã vicissitudinem vocat Moses [Ire, & redire.] Nunquam tamen in ipsam Arcae fenestram, ex qua semel emissus euolarat, rediit, vt se à Noacho sineret iterum manu prehendi. At Columba non tantùm in

Arcam rediјt: ſed etiam ad feneſtram eam ipſam vnde primùm dimiſſa fuerat, & à Noacho bis emiſſa, ſe bis manu quoque comprehendi, retrahiq́; in Arcam paſſa eſt, Gen. 8. 9. Ergo docilior, timidiórve fuit Columba, quàm Coruus. Hic enim Coruus intrepidus extra Arcam remanſit, etſi terræ ſuperficies nondum erat planè leuata aquis, modò in tecto Arcæ: modò, vti dixi, in cacumine arboris alicuius ſubſiſtens. Illa autem Columba trepida reuerſa eſt, & intrauit intra Arcã ipſam, quia totius terræ ſuperficies nõdum erat exſiccata. Ex quibus duo colliguntur: Vnum, Arbores videlicet nequaquam omnes fuiſſe aquis Diluuij radicitùs euulſas, ſed quaſdam fixas in terra etiam poſt diluuium remãſiſſe, quemadmodum & exitu reditúque Corui. & ex Oliua (cuius folium defregit Columba) manifeſtè colligitur. Alterum, Non periјſſe Coruum iſtum, quem Noachus ex Arca emiſerat (quod tamen putat Auguſtinus lib. quæſt. in Geneſ. cap. 13) ſed vixiſſe ex morticinio, putredine, & ex ijs quiſquilijs, quas vel in montibus, vel in arboribus inueniebat, partim in Arcæ operculo, partim in cacumine arborũ manens, vti demonſtrauimus. Q. Quandiu poſt Coruum emiſſa eſt à Noacho primùm Columba ex Arca. R. Ioſephus Scaliger lib. 5. de Emend. Temp. cap. De Diluuio ſentit, ſcribitque totos 40 dies interceſſiſſe inter Corui, & Columbæ primam emiſſionem. Alij verò, velut Franciſcus Iunius in annotatiunculis illis eruditiſſimis in Geneſ. interponit ſeptẽ duntaxat dies inter Coruum emiſſum ex Arca, & Columbam. Etſi vterq́; rationibus nititur, ego tamen Iunij ſententiam amplector. Q. Cur Columbam potiſſimũ

poſt

post Coruũ Noachus emisit ex Arca? R. Nonnulli in ijs auibus quærunt allegorias. Alij alias eius facti rationes afferunt, Ergo quidã potissimum Columbam electam à Noacho propter prudentiam seu intellectũ existimant. Plinius lib. 10. cap. 36, [Columbis inest, ait, quidam & gloriæ intellectus. Nosse credas suos colores, varietatemque dispositam: quin etiã ex volatu quæritur (aliâs creditur) plaudere in cœlo, varieq; sulcare.] Quin & meditatio Columbæ tribuitur à Bernardo sicut clamor pulli hirundinis, Serm. de Cantico Ezech. Columbæ verò prudentia à Gregorio Magno pulchrè explicatur in Cant. Cantic. cap. 5. [Ad hoc, ait, Colũbæ iuxta fluenta residere solent, vt volantiũ auium vmbram in aqua videant, super quam se proijciẽtes vngues rapaciũ animalium sic effugiant.] Alij malũt à Noacho delectam Columbam tanquã Deo gratiorem auem, quàm esset Coruus. Est enim Columba animal & castum, & innocens. Castum quidem animal, quoniam, vt scribit Plinius lib. 10. Nat. Histor. cap. 34, neque Columbæ, neque Perdices Coniugij fidem violant: nisi enim cœlebs, aut vidua Columba, non relinquit domum. Aelianus lib. 15. Hist. Animal. cap. 31, [Columbas, ait, ex auibus maxima esse pudicitia, ab omniq; adulterio castissimas esse percepi. Nunquã enim ex societate inter se instituta, neque mas nisi morte vxoris distrahitur: neque fœmina dissociatur, nisi vidua fuerit.] Innocens verò animal est Columba, vel teste Christo [Estote, ait, simplices, vt Columbæ, Math. 10. 16.] Itaque Ecclesia Dei comparatur Columbæ, Cantico Cantic. cap. 5. Gregorius Magnus Homil. 5. in Euangel. [Columba, ait,

simplex est animal, atque à malitia fellis alienũ. Quasi Columbæ ergo ad suas fenestras sunt, qui nihil in hoc Mundo concupiscunt, qui omnia simpliciter aspiciunt.] *Bernardus Serm 2. de Epiph. Domini*, [*Quod agnus in animalibus, Columba in auibus est, inquit. Summa vtriusque innocentia, summa simplicitas. Quid enim sic alienum ab omni malitia, sicut Agnus, & Columba? Nocere cuiquã nesciunt, lædere non nouerunt.*] *Et hæc quidem illi. Ego verò sic sentio, Noachum Columbam post Coruum ex Arca emisisse præsertim, quòd illius & naturam, & volatum consideraret, & quòd Corui non patientis se in Arcam retrahi contumacia fuerat offensus. Volebat igitur iam Noachus periculum facere, Vtrum ipsa terræ superficies esset aquis leuata (Nam maiorum arborum, quæ erant in terræ superficie, cacumina iam aquis nudata esse deprehẽderat ex Corui volatu, qui in illis subsidebat, remanebátque, nec in arcam iam ingrediebatur) & Vtrum humiliorum arborum inhærentiũ in ista terræ superficie vertices essent quoq; aquis liberati, exoneratique. Itaque auem Noachus delegit, cuius non esset pernix, & lõginquus volatus: sed humilis, lenis, & circa vicina tantùm loca. Deinde auẽ eiusmodi emisit, quæ non esset contumax, vt Coruus: sed quæ se retrahi in Arcam, & tractari, capiq; manu hominum facilè pateretur: id quod non sinebat de se fieri Coruus. Est autẽ Columba eiusmodi auis, nempe lenis, placida, & tractabilis, quæ etiam hominum est amantissima, quemadmodum Physici tradunt. Aelianus lib. 15. Hist. Animal. cap. 31,* [*In vrbibus, inquit, Colũbæ cum hominibus frequenter habitant, seque ad pede*

horũ

horum huc & illuc magna mansuetudine, & facilitate versant: In locis autem, vbi ab hominum frequentia solitudo est, propinquitatem hominum minime expectantes, aufugiunt: In multitudine hominum confidentiores sunt, seq; nihil ibi graue passuras planè sciunt.] Hæc ille, quæ demonstrant Noachum virum & prudentissimum, & optimum physicum Columbam rectissimè delegisse, quæ capi postea comprehendiq; posset ac retrahi: & humiles arbores peteret. *Q. Vtrum eandem Columbam sæpiùs ex Arca Noachus emisit, an diuersam & aliam. R. Eandem omnino, non autem diuersam Columbam ter emisit Noachus. Eandem enim fuisse, non aliam, atque aliam ostendit [He Haiedia] præpositum vbique voci [Ionah] quæ Columbam significat, Gen.8.10.11.12. He verò Haiedia certã, eandemq; rem, de qua supra actum est, notat, ac designat. Q. Quomodo Noachus ex folio Oliuæ decerpto (quod in ore Columbæ ferebat) collegit aquas Diluuij subsidisse plurimùm, & terræ superficiem illis propè totam esse liberatam, ac leuatam. R. Olea est arbor humilis, non excelsa vel ardua, quemadmodum Pinus, Nux, Quercus, Acer, reliquaque similes arbores. Ergo quũ ex Oliua, id est, depressa, & terræ superficiei vicina arbore folium decerptum videret in ore Columbæ Noachus, optimè coniecit, propè iam aquas omnes Diluuij recessisse, & terræ superficiem ijs esse liberatam. Hanc cõiecturam & doctissimè & verissimè explicauit Ioannes Caluinus. Porro foliũ illud Oliuæ (quod in ore Columbæ gestabat, atque ad Noachũ afferebat) non humi iacens & positũ Columba inuenerat, sed ex arbore ipsa*

decerpserat, auulseratque. Nam si humi iaceret, aquæ Diluuij prorsus iam defecissent, quæ tamen postea & demum post aliquot dies exsiccatæ, & prorsus ex terræ superficie recessisse dicuntur, Gen. 8. 13. Ergo terræ superficiem quidē operiebant adhuc aquæ: sed non magna altitudine. Itaque cacumen Oleæ arboris (quæ est humilis) iam non superabant: imo illud aquis nudatum erat. Cæterùm vtrum viride fuerit adhuc illud Oliuæ folium, an marcidum & mortuum, non exponit Moses: vtcunque certè valde tenax & in ipsa arbore firmū & inhærens fuit folium istud, quòd tot procellæ, & tanti aquarū impetus illud euellere, & deijcere ex suo trunco & arbore non potuerunt. Quod denique scribunt Physici, velut Gyllius apud Aelianum, Columbas ramulos lauri, non oleæ pertenues colligere solere, tanquam amuletum & remediū ad propulsationem fascini, aliò pertinet, quàm ad scopum Noachi. Item quod tradit Plinius lib. 8. cap 27. eas leuare, & purgare annuum fastidium & morbum herbâ, quæ vocatur Helxine, non habet quicquā cum isto Oliuæ folio cōmune. Q. Cur Columba denuo ex Arca emissa redierit tamen ad Noachum: quum & locum, vbi consisteret, in terra inueniret, nempe Oleam arborem, & mōticulos seu colles, & folium in ore haberet. R. Proptereaquod pabulum, vnde viueret, nondum in terræ superficie adhuc aquis operta reperire poterat Columba. Nec enim illa, quemadmodum & coruus, sordibus, & putredine vesci potuit. Ergo reuersa est ad Arcā, vbi à Noacho pascebatur, & cibum reperiebat. Quod autem Augustinus lib. quæst. in Gen. cap. 14 quærit, quomodo Columba dicatur

eatur, quũ primùm ex Arca fuit emiſſa, non habuiſſe, nec inueniſſe locum, vbi plantam pedis poneret, quum tamen iam montium capita nudata eſſent aquis, habet facilem hanc reſponſionem, nempe Columbas non ſolere cacumina montium petere, & tam altè ac ſublimè volare: ſed ſubſiſtere in locis inferioribus terræ & humilioribus, quàm ſint montes. Illa verò loca adhuc tecta manebant aquis Diluuij. Ergo locum, vbi ſubſiſteret, nondum reperiebat Columba, quum eſt primùm emiſſa & reuerſa. Q. Vtrum tũc primùm Noachus Arcæ feneſtras aperuit, Gen. 8. 6, quum Coruum ex ea emiſit: ánnon etiam priùs & ſæpius id fecerit. R. Equidem non dubito, quin vſus feneſtrarum earum, quæ erant in Arca (plures enim quàm vnam fuiſſe, non dubito, & illic ſingularem numerum pro plurali ſumi dico, quemadmodum eodem libr. Gen. 2. 10. [Fluuius exibat ex Hedene] quin, inquam, vſus earum præcipuus fuerit, vt lumen Solis per eas Noachus, queq́ in Arca cum eo erant animalia viderent ac reciperent: ne in Arca tanquam in perpetuis tenebris verſarentur: ſed diem illic à nocte diſtinguebat Noachus, Gen. 6. 16. Tamen fuerunt quoque alij earundem feneſtrarum in Arca vſus, ac commoditates, veluti, ſi quid ſordium domeſticarũ erat ex Arca proijciendum, ſi quid aquæ hauriendum ad vſus familiæ Noachi domeſticos, & neceſſarios: aut ſi quidpiam eiuſmodi emittendum, aut admittendum, feneſtra aliqua aperiebatur.. Quanquã enim non erat in Arca Noachus, velut in regio ſpatioſoq́ aliquo palatio, vbi cõmodè diſtinctas cœnationes, deambulationes, & cameras plures ad voluptatem diſpoſitas haberet:

sed in ea velut in sepulcro, cum putore, fœtore, & sordibus animalium iacebat: Ea tamen, quæ ad victũ erant ipsi animalibusque in Arca necessaria vel secum habebat Noachus in Arca, vel quærebat quantum poterat, quemadmodum aquam ad potum suum, & eorum animalium, quæ Deus in Arca seruari volebat. Ergo etiã fenestris illis ad eiusmodi cõmoditates, vti dixi, poterat vti Noachus: ac proinde verum est ijs vsum quoque fuisse. Quare iudico eũ fenestras Arcæ, videlicet hanc tantùm vel illã (prout necesse aut opus erat) aperuisse, & quidem sæpiùs, & priusquam Coruum emitteret ex Arca. Nam quomodo idem Noachus videre ac dignoscere potuit ex Arca capita montium esse inundata aquis, nisi arcæ fenestras aperuisset? Nec enim illæ erant vitreæ, vti nostræ, per transuersum & medium quarum cerni quidpiam posset, nisi aperirentur: sed erant ligneæ fenestræ. Ergo eas aperuit 40, diebus ante Coruum emissum, quũ nimirum aspexit, viditque Noachus iuga montium aperta, & aquis liberata, Gen. 8.5. Verùm quum Coruũ emisit, dicitur Noachus disertè fenestrã Arcæ aperuisse, quoniam tunc non vnam, aut alteram dũtaxat ex illis fenestris remouit, & aperuit: sed simul omnes, vt intromitteret iam liberiorem aërem in Arcã, utpote planè tunc sedatum & quietum ab omnibus procellis, & pluuijs, & sese, eosque omnes (qui secum vnâ in Arca versabantur) luce illa maiore, & copiosiore recrearet, ac cõsolaretur Sic enim & seipsum & vxorẽ, liberos suos, & nurus suas ad Dei beneficium agnoscendum vehementiùs excitauit, & spem optimam de sua ex aquis Diluuij liberatione, propinquóque ex Arca

egressu

egreſſu ſuo concepit. Ergo tunc aperuit Noachus feneſtram Arcæ Gen. 8. 6, id eſt, omnes feneſtras, quas ad clarum lumen in ea ſuſcipiendum idem prius fecerat, iuſſu Dei, exſtruxeratque: non autem vnam tātum, aut alteram, vt antea. Nonnulli verò ſic tunc Noachum feneſtras aperuiſſe volunt, vt eas poſtea non clauſerit. Nec enim quū Columbam ad ſe recipit in Arcā Noachus, manúmque ex arca extendit Gen. 8. 9, dicitur aperuiſſe tunc feneſtram Arcæ, quum tamen id, non niſi aliqua feneſtra apertâ, facere potuerit. Ergo, aiunt, manſit ſemper aperta. Q. Cur vento aquas diluuij exſiccauit & diſpulit Deus, Gen. 8. 1. R. Etſi abſq; vento id facere Deus potuit: voluit tamen, quemadmodum ad diluuium in terras immittendum, & ventis, & pluuijs vſus fuerat: ſic ad idem illud finiendum vti contrario vento, vt intelligamus omnia voluntati Dei inſeruire, cúmque vētis cæteriſque rebus omnibus pro ſuo arbitratu vti poſſe ad noſtrum exitium, vel ſalutem. Ergo ſicut Notum madidoſq; ventos induxerat ad Diluuij aquas inijciēdas: ſic Boream, vrenteſq; ventos Subſolanos immiſit calidos & ſudos, quibus aquas Diluuij velut hauriret, & ſiccaret. Q. Vtrum ſtatim poſt emiſſam tertiò Columbam ex Arca Noachus eius operculum remouerit, quoniam Gen. 8. 12. 13, continuatur vtrumque nullo interiecto temporis, vt videtur, ſpatio, quo poſt non redeuntem in Arcam Columbā expectarit Noachus, vt tectum illius auferret. R. Ratio temporis, ſupputatióque Anni Diluuij requirit omnino, vt Noachus poſt emiſſam tertiò Columbā expectarit totū menſem duodecimum, antequam operculum Arcæ re-

moueret. Sic enim expletus intelligetur annus Mundi 1656, & vitæ Noachi 600. Nam 40 dies illi, quos ab initio decimi mensis (conspectu mõtium nudatis capitibus) expectauit Noachus, donec Coruum ex Arca emitteret, quadraginta, inquam, illi dies incidunt in decimum mensis vndecimi seu sequentis: ad cuius complementum addendi sunt dies viginti, quibus Coruus, & Columba emissa fuerit, & ad Noachũ redierit, nempe septem dies post Corui emissionem: deinde dies 14 quibus Columba denuò fuit ex Arca dimissa. Ergo dies illi 10, & 20 isti ex emissione auium, efficiunt dies integros 30, quibus completur anni vitæ Noachi 600 mensis vndecimus. A quo vsque ad mensem primum anni 601 vitæ Noachi (quo operculum Arcæ primùm detractum est) interijcitur mensis eiusdem 600 vitæ Noachi vnus nempe duodecimus. Nam Anni veteres seu prisci, quemadmodum docuimus, & duodecim mẽsibus constabant & Solares erant. Ergo ad implementum illius 600 anni restat mensis ille duodecimus, quẽ totum expectauit, ac præterfluere siuit Noachus, antequàm operculũ Arcæ remoueret. In quo summa Noachi patientia apparet, minimeq́; præceps de egrediendo ex Arca desiderium. Q. Cur Noachus operculũ Arcæ tandem remouit. R. Hoc vt cõmodiùs intelligatur, primùm explicandũ est, Ecquod & quale Arcæ operculum fuerit illud, quod primo die primi mensis anni vitæ Noachi 601 fuit ab eo sublatum. Sciendum est igitur Nauigium illud, in quo Noachus cum familia sua, & animalibus introgressis seruatus est ex aquis Diluuij, fuisse quadrangulâ formâ exstructum ad modum

dum Arcæ, ac propterea Arcam non Nauim appellatum. Ergo tectum primum, & quod vere fuit pars superior istius Arcæ, fuit & planum & quadrangulum, eadem longitudine, & latitudine constans, qua fundum seu imum Arcæ, quod fuit infima pars Arcæ Sic olim erant tecta domuum inter Hebræos quadrangula. Non fuit quidem Arca ista, velut Cubus, æquilatera, sed tamen fuit quadrāgula: nam illius lōgitudo maior erat, quàm eiusdem latitudo. Porrò huic Arcæ tecto plano & quadrangulo fuit aliud impositum quod operculum hic nominat Moses. Erat autem hoc operculum non planum, vt tectum ipsum: sed fastigiatum, & assurgens in altitudinem cubiti in angustum, Gen. 6.16. vbi fiebat coaxatio asserum, & ex eo fastigio paulatim hoc idem operculum deorsum deprimebatur: cuius suggrundæ & latera proijciebantur omni ex parte extra Arcam, vt velut stiriæ quædam aquas pluuias exciperent, & emitterent extra Arcam. Hoc autem operculū erat primi tecti Arcæ velut integumentum. Ergo simillima fuit in eo huius Arcæ Noachi cum Arca fœderis Dei (quam postea iussus est Moses exstruere) similitudo, quòd quēadmodum Arca fœderis habebat operculū, quod Propitiatorium vocabatur, Exod 25: sic hæc arca Noachi habuit & ipsa quoque operculū ad sui tecti primi custodiam, & pluuias ab eo arcendas, denique vt eo desuper tegeretur. Itaque [Cefeh] à tegendo dicitur. Nec verò operculum illud fuit pars Arcæ, vti nec Propitiatoriū erat pars Arcæ fœderis, sed tegmen tantùm, etiā tecti ipsius Arcæ primi: alioqui illud auelli & remoueri ab Arca non potuisset, quin ipsam Arcam rupisset

ac fregisset Noachus: & quidem temerè, quum eius rei mandatum à Deo non accepisset. Deinde se, & suos iniurijs cœli, & frigoribus noctis exponeret si ipsum arcæ tectum primum auferret. Quare hoc est operculum, quod Arcæ detraxit Noachus, & quo detracto mansit nihilominus Arca adhuc & tota, & perfecta, & omnibus suis partibus cõstans. Cur autem illud remouit ratio est, Quòd quum ad eum neque Coruus, neque Columba iam rediret, vnde conijceret quantũ aquæ diluuij à tempore emissæ tertiùm Columbæ defecissent: nec ipse quoque ex arca (Deo nondũ præcipiente) egredi adhuc vel vellet, vel posset: fuit necesse vt in aliquem Arcæ locum ascenderet ipse, vnde iam vndique intueretur ac conspiceret quæ esset terræ facies, quantũ aquæ depressæ & exsiccatæ essent, vt ea ratione tum seipsum, tum alios Noachus in fide beneficij Dei confirmaret, & spem futuri propediem ex Arca egressus, instaurandiq; mundi conciperet: denique se, & omnes, qui in Arca secum erant, ad deum immensè laudandũ excitaret. Nec verò dubito, quin etiam Noachi filij, vxor, & nurus, remoto illo Arcæ operculo, in tectum arcæ ipsi quoque conscenderint, vt tale Dei miraculum ipsis oculis suis intuerẽtur & viderent, ac Deum eximiè ex eiusmodi aspectu collaudarent, illi gratias agerent, ac suam salutem propediem sperarent. Quare non frustra, neque de nihilo Noachus Arcæ operculum remouit: non temerè, non præcipiti desiderio: sed omnia legitima suæ, suorúmque fidei confirmandæ subsidia quærens & captans. Omnes tamen, quantumuis ex tecto arcæ cernerent aquas omnes diluuij in tota terræ superficie exsiccatas, manserunt tamen

men

men patienter in Arca, vsquequò à Deo ipso iuberentur ex ea egredi, & Mundum instaurare. Quæ quũ de secundo nostræ historiæ capite dicta sint, iam ad tertium accedamus. Continet autem Noachi, & eorum omnium, qui in Arca erant, etiam animalium ipsorum egressum ex eadem arca iussu Dei factum 27 die mensis secundi anni Noachi 601.

Ad III. Noachi ex Arca egressus.

Quæritur, Quinam sint montes Ararati, in quorum vno, quemadmodum Moses scribit Gen. 8. 4, Arca substitit aquis subsidẽtibus. R. Isti montes siti sunt in ea Assyriæ parte, quæ Armenia Maior à scriptoribus Græcis & Latinis dicta est. Fit quidem à Strabone lib. 16. mentio Ararenæ regionis, quæ Arabicæ Petrææ pars est: sed illa neutiquam ad hũc pertinet locũ. Nam in Oriente, non in Meridie substitit Arca illa: & qui montes omnium altissimi esse scribuntur, illi in Armenia, non in Arabia statuuntur, velut à Strabone lib. 11. & Dionysio Alexand. de Situ Orbis. Arachosiam appellasse videtur Am. Marcellinus lib. 23 Hist. eam ipsam regionem, quam Moses vocat Arateam. Sed quid verbis opus est? Huius ipsius regionis meminit alibi quoque S. Scriptura, veluti 2. Reg. 19. 37, Isa. 37 38, Hierem. 51. 27. Ex quibus locis eam regionem Armeniæ Maioris partem esse constat. Id quod verum esse confirmat quoque Plinius, qui lib. 6 Natur. Hist. cap. 13. populos Aratiaticos (meliùs autem Araratiaticos) in illa Armenia collocat. Hos autem quis ab Ararati dictos neget? Sed & in Itinera-

rio Antonini in descriptione Armeniæ commemoratur Ararathia oppidum, quod est a Mosaica voce Ararati proculdubio nominatum. Hanc quoque vocem in descriptione Assyriæ seu Armeniæ restituit apud Aethicum veterē satis autorem Iosias Simlerus. Denique huius Ararath & Epiphanius lib. 1. Tomo 1. hæresi 18, & Isidorus lib. 14. Etymolog. cap. 8. meminēre graues autores. Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 5. Montem hūc vocat ex veteri autore Mnasea Damasceno [Barin] quem etiam constituit in Armenia Maiore supra Minniadam, id est, Armeniam Minorem. Minnij enim vel Minnias, vt apparet ex Hierem. 51. 27, est Armenia Minor, dicta Armenia tāquam Aram Minnim, vt etiam scribit Franciscus Iunius, quæ notior fuit Græcis & Latinis: ac propterea Armenia Maior tribuitur ab ijs Assyriæ. Q. Quis egresfuro ex Arca Noacho, cæterisve, ostiū illius aperuit, quum extrorsum, non autem introrsum post ingressum Noachum a Deo clausum fuisset, quemadmodum facilè ex verbis Mosis colligitur, Gen. 7. 16. R. Deus ipse ostium Arcæ aperuit, quum præcepit Noacho, vt exiret ipse, vxor eius, liberi, nurus, & animalia, quæ cum eo erant. Genes. 8. 13. 14. Nam ad Dei iussum Noachus & in Arcā ingressus est, & ex eadem exiuit. Itaque vti Deus illi clauserat ostium Arcæ, sic aperuit. Q. Vtrum omnia, quæ in arca erant, aperto ostio sint simul & confusè egressa, velut homines ipsi cū animalibus: an potius ordinatim: & vtrum homines priùs egressi, quàm animalia. R. Apparet cùm ex Dei præcepto de egrediendo, quod extat Gen. 8. 15. 16 & 17:

& 17: tùm etiam ex eius implemento, quod secutum est, primùm homines ipsos egressos ex Arca: tum postea animalia. iubetur enim Noachus exire primus ex arca: tùm vxor & liberi, & nurus: & postea educere animalia ex eadem arca, quemadmodũ idem illa primùm in Arcam admiserat. Ergo neque confusè ruerunt & proripuerunt se ex arca Bestiæ, sed prout à Noacho educebantur, apertis cellularũ (in quibus singula bestiarum genera conclusa fuerant in Arca) ostijs: neque illæ primæ sunt ex Arca egressæ, neque primæ in Arcam ingressæ, verùm vtrobique post homines & ingressos, & egressos, iussu Dei, quemadmodũ apparet Gen. 7. 14. 15.

Q. Vtrum omnia, quæ fuerant in Arca, sint egressa vno die. R. Id quidẽ manifestè non declarat S. Scriptura: Si quis tamen cõiecturis locus est, censuerim ipse quod, quemadmodum & quanto tempore illa in arcam ingressa sunt, sic & tanto spatio ex eadem exiuisse. Apparet autem ex Gen. 7. 4. penè dies totos septem Noachum in Arcam introijsse, priusquam omnia animalia in eandem confluxissent, & interim dum illa in Arcam recipit ipse. Ergo totidem diebus, nempe septem, post egressum Noachum, & eius familiam (quam ex Gen. 7 13 statuo eodem die totam ex Arca exijsse, vti in eam intrauerat) animalia bruta ex eadem arca secundũ sua genera sunt ordinatim emissa. Tantum igitur temporis spatium nimirum septimanam dierum totam tribuo illi rei, quã sumpsit sibi Noachus ad animalia extrahenda seriatim & producenda, & in diuersas Mundi partes ex Arca dimittenda. Q. Quo ordine Noachus, & eius familia sit ex Arca egressa, Vtrum mares omnes

coniunctim & priùs: & postea fœminæ. R. *Hoc vbique in tota hac egressione ex arca statuo, sumoq́; eodem ordine omnia in egrediẽdo gesta esse, quo in ingrediendo fuerant. Quare quum viri seu mares, nempe Noachus & tres eius filij Sem, Cam, & Iaphet primi fuerint ingressi in arcam, & quidem ante mulieres omnes, adeoq́; ante matrem suã id est, vxorem Noachi, Gen.7.7 13: sic ex eadem Arca viri & mares primi, & ante fœminas omnes exierunt, Gen.8.18 (quanquam tamen omnes eodem die Gen.7.13) etiam filij ante matrem suam .i. Noachi vxorem. Ergo quod Gen.8.16 videtur vxor Noachi iuberi priùs egredi, & ante filios suos, accipi debet quasi in globo dictum & præceptum, vt omnes ex arca exirent, velut Gen.7 1: non vt ordo exeundi præscriptus illic fuerit, qui, quemadmodum suprà demonstraui, cùm ex vers. 18. eiusdem cap intelligi: tùm ex ordine & ratione ingrediendi colligi debet. Neque tamen quod liberi ante matrem suam ingrediuntur, vel egrediuntur ex Arca, id ab ijs factum est ex vllo cõtemptu, aut irreuerentia matris: sed vt patri Noacho adiutores essent ad omnia paranda, quæ ad introitum vel exitum omnium erant necessaria, etiam mulierum ipsarum. Quamobrem quum scribit Augustinus lib.12. contra Faustum Manich. cap.21, Homines de Arca coniunctos exijsse, qui disiuncti in eam intrauerant, meo quidem iudicio fallitur. Eodem enim prorsus modo digressi sunt ex Arca, quo fuerant in eam priùs ingressi, nempe primus Noachus, deinde Sem, Cam, & Iaphet. Vtrobiq́; viri seorsim, & seorsim fœminæ siue in intrando, siue in exeundo. Cessent igitur omnes, quas in ista di-*

uer-

uersitate (quam falsò esse putat Augustinus) quærit, allegoriæ: nihil enim diuersum gestū est in exitu à primo introitu. Q. *Quomodo animalia ex Arca egressa sint, vel educta à Noacho.* R. *Primùm per genera quæq; sua, non confuse, velut Cerui, & Leones: Lupi, & Oues: Volatilia, & Canes, seu terrestria animalia: item Munda & immunda simul, Genes. 8. 19. Ergo quum Leones emitti à Noacho ex cellulis & stabulis suis cœpissent, omnes emissi sunt ex arca, priusquā Cerui, vel aliud aliquod animalium genus quadrupes & terrestre ab eodem Noacho educeretur. Sic de reliquis animalibus terrestribus. Deinde ad Volatilia dimittenda ventum est, quæ ipsa quoque vnumquodq; secundum genus suū emissa sunt, velut Accipitres omnes, deinde Columbæ: & sic de cæteris volatilibus. Bina verò simul emittebantur à Noacho & filijs eius ex suis nidis & cellulis, nempe ex vnoquoque genere mas & fœmina, vti bina in Arcam fuerant ingressa, Gen. 7. 9, & 16. Ergo Leo vnus, & Leæna vna simul educebātur ex arca: deinde Leo adhuc vnus, & Leæna adhuc vna, donec huius generis omnes ex suo stabulo educti fuissent. Sic ex Coruis, Coruus vnus mas, & Coruus vnus fœmina simul: deinde Coruus adhuc vnus mas, & Coruus adhuc vnus fœmina, vsquequò Corui omnes ex suo nido fuissent dimissi: & sic de omnibus bestijs, nisi si quas ad sacrificium Soteriorum reseruauit Noachus, vti quasdā conseruauit. Ex quo apparet bestias quantumuis feras & nobis hodie crudeles & intractabiles, fuisse tamen tunc & in ingressu in arcā, & in exitu ex arca Noacho filijsq; eius subiectas, tractabiles, domitas, Domino Deo*

ferociam earum sic dom inte, & contundente. Q. Vtrum priùs Immunda animalia sint in arcã & ingressa & egressa ex ea quàm Munda: an potiùs contrà, Mũda priùs, Immunda posteriùs. R. Quanquã id disertè non explicat Moses, tamen quia quum de eorum in Arcam intromissu agit, priùs semper Munda, quam Immunda commemorat, & appellat: Idcirco Munda priùs in Arcam intrasse crediderim, postea verò Immunda. Ergo & eadem Munda animalia priùs egressa fuerint .i. ante Immunda. Quum autem Munda emisit Noachus ex vnoquoque eorum genere bina, nempe marem & fœminam in cellulis vel nidis suis in sacrificium Soteriorũ Deo offerenda retinuit. Ad quod sacrificium quia tandem peruentum est, estque quartum & vltimum historiæ nostræ caput, de eo paucis agamus.

Ad III. Sacrificium Soteriorum à Noacho factum.

Quæritur, Quot ex vnoquoq; mundorum animaliũ genere capita Noachus obtulerit Deo Soteriorum .i. salutis receptæ nomine post egressum. R. Bina tantùm, nempe marem & fœminam ex vnaquaq; mundorũ animalium specie Noachus tunc sacrificauit, vt totum eorum genus, his velut primitiis, in masculo & fœmina Deo consecraret, essétque Deo sanctũ & gratum quicquid ex ijs animalibus postea in perpetuum nasceretur. Ergo septena paria, id est, impari numero ex Mundis animalibus in Arcam ingressa fuerant, Gen. 7. 3, vt ex eo numero par vnum .i. marem & fœminã Deo postea

Noa-

Noachus in sacrificium offerret, ac totum Mundum futurum eidem dedicaret. Dicitur autem hoc sacrificiũ fuisse Deo boni odoris, Gen. 8. 21. Cuius etiã sacrificij & Cinerum eius, & Altaris reliquias extitisse adhuc suo seculo in mõtibus Armeniæ scribit Epiphanius lib. 1. Tom. 1. hæresi 18. Q. Quod sacrificij genus fuerit illud, quod primùm Deo Noachus post suũ ex arca egressum obtulit, Vtrum expiatorium, quemadmodum scribit Flauius Iosephus lib. 1. Antiq. Iudaic. cap. 6: an verò potius Eucharisticum, vt putant ij, qui illud Σωτήρια *vocant. R. Partim Expiatorium, partim etiã Eucharisticum fuit. Ac quidem Expiatorium, quatenus pro pace Mundi in futurum à Deo exquirenda, & Deo ipso propter hominũ peccata irato placando fuit oblatum: Eucharisticum autem, quatenus idem Sacrificium Sotericum est, id est, pro salute Mundo à Deo data offerebatur, & gratiarum actio erat, quam Deo Noachus pro semine Mundi futuri conseruato agebat. Itaque mistum fuit hoc sacrificium, magnæq; vtilitatis.*

Q. Cur hoc Noachi sacrificiũ Deo gratum fuerit, Vtrum propter hostiarum seu victimarum mactatarũ & occisarum multitudinem: an potius propter ipsius Noachi illud offerentis fidem in Deum. R. Quum Deus victimarum neque sanguine, neque numero per se delectetur, Psal. 50: non potuit propter victimarũ numerum gratũ esse Deo Noachi sacrificium. Etsi enim propter hostiarum illarum varietatem (Nam ex omni Mundorum animalium siue terrestrium siue volatiliũ genere par obtulit Noachus) fuit singulare ac vnicum hoc sacrificium, quale neque antea, neque postea vllum


fuisse cõmemoratur: multitudine tamen bestiarum non est vel cum illo Solomonis conferendum, vbi viginti duo millia boum cæsa dicuntur, & centũ viginti millia ouiũ mactata, 1. Reg. 8. 64: vel cum illo Ezechiæ regis, in quo mille tauri occisi sunt, & oues decies mille, 2. Chro. 30. 24: vel etiam cum illo Iosiæ, vbi oblata fuere tria boum millia, ouium autem, agnorum, & hœdorum triginta millia, 2. Chron. 35. 7. Sed neque cum illis Ethnicorum Imperatorum, velut Alexandri Magni, & Marci Philosophi Imperatoris Romani Hecatombis, in quibus apud Ammian. Marcellinũ extat hæc Boum querimonia, lib. 25: Οἱ λευκοὶ βόες Μάρκῳ τῷ Καίσαρι, ἂν σὺ νικήσῃς, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα, *Albi boues Marco Cæsari, Si tu viceris, nos perimus,] tam fuit profusa, & immanis istorum hominum Ethnicorum in sacrificãdo prodigalitas, & mactatio boum, vt penè ad edendũ boues deficerent, tam furiosè, tantoq; numero eos Ethnici isti diis suis offerebant. Ergo & Alexandri, & Marci hominũ infidelium sacrificia Deo placuissent, quod nemo pius vnquam dixerit, senseritve. Quid igitur? Cur Noachi sacrificiũ odoratus est Deus bonâ flagrantiâ, & habuit gratum? Nimirum propter fidem Noachi, quã habuit ille quidem primum in vniuersum in Deũ ipsum, in quem velut omnipotentem & Deum verum & solum Noachus credidit: Postea in eius peculiare promissum de se, & iis (quæ in Arca erant) omnibus ad futuri mundi propagationem conseruãdis: Denique de Messia futuro, & semine illo mulieris, quod caput Serpentis cõtereret: quem & venturũ credidit, & per propterque eum Messiam se, piosque futuros Deo gratos fore*

fore Noachus credidit, nec Mundum hunc priùs esse omnino delendũ, quàm Deus hoc suum promissum præstitisset, ac impleuisset. Ex quibus apparet Noachum vi istius fidei suæ in Arca colluctatum fuisse cum omnibus cœli, marisve periculis & procellis, cum ipso terrore mortis toties ante oculos versantis, cum impatientia carnis, & cæteris eiusmodi ac penè infinitis tentationibus. Denique vi fidei istius etiam in Arca tanquam in sepulcro Noachum eundem vitã tamen sperasse, & patienter suam liberationem à Deo & petysse, & exspectasse. Post egressum igitur suum in illa fide sua confirmatus, & Dei promissionum erga se & suos implementum cernens Noachus maiori adhuc cum fide in Deum egressus est, quàm ingressus fuerat, Deóque sacrificat. Ergo propter illam Noachi fidem gratum fuit Deo illius sacrificium, Heb. 11.7, *Gen.* 8.21. *Illa enim est, quæ nos nostrasque actiones Deo commendat, & acceptas reddit, Heb.* 11.6, *Habac.* 2.4, *Rom.* 5.1.2.3.

Q. Vtrum vno & eodem die Noachus omnes illas victimas, id est, par vnum ex omnibus mundis animalibus occiderit, quum solus esset cum tribus duntaxat filiys relictus ad tantùm bestiarum numerum iugulandũ.

R. Non definit quidem S. Scriptura Vtrum vno die hæ tot victimæ fuerint mactatæ: verùm quum omnium earum oblatarum velut vnius dũtaxat sacrificy, & semel oblati meminerit Moses, vno & eodem die, vno eodemq́; sacrificio victimas istas omnes oblatas fuisse Deo iudico sentioq́. Fuit autem Holocaustum Sacrificium illud, quemadmodum docet Moses, Gen. 8.20, *in quo totæ hostiæ cremabãtur: nihil autem ex ys ad cõuiuium*

sacrum postea peragendum reseruabatur. Et hæc quidem hactenus. Nunc ad perscrutãdas istius veritatis reliquias accedamus, In quo maxima huius Historiæ vtilitas confirmatioq́ꝫ aduersus ἀθέους, καὶ ἐμπαίκτας homines continetur.



CAPVT III.

Vestigia superioris historiæ, & veritatis.

NON est verò futura nobis, vel cuiquam alij dubia superior historia etiam ex ipsis Ethnicorum hominum scriptis, si modò eorum (quæ suprà de Diluuio Vniuersali ex ijsdem probauimus) memoria prorsus non excidit. Cohærent enim hæc cum illis, vt qui illa superiora vera, & tradita ab illis concesserit, hæc iam negare nõ possit. Verùm ne qua dubitatio cuiusquam vel obstinatissimi hominis animo inhæreat, peculiariter & huius quoq́ꝫ historiæ vestigia ex eorundem Ethnicorum libris ac traditionibus inuestigemus, à primo capite exorsi, quod est Aquarũ Diluuij supra quosuis montes exundatio, & incrementum.

Ad I. De Incremento Aquarum.

Primùm quidem certo certius est omnes, qui Diluuia scripserũt, dixerúntve fuisse, idcircò ea vocasse Diluuia, quòd tunc Aqua totam terræ eius superficiem (in qua

qua illa extiterunt) mersit, & inundauit, etiam montes ipsos, qui in eadem illa regione siti, & alti apparēt. Sic enim Ouidius lib. 1. Metamorph. etiam de Deucalionis Diluuio:

Obruerat tumulos immensa licentia Ponti,
Pulsabantq́; noui montana cacumina fluctus.

Horatius item lib. 1. Carm. Ode 2. de Inundatione Tyberis, & de eo ipso Deucalionis diluuio agens, docet mōtes ipsos tunc aquis fuisse obrutos. Sic enim canit:

Terruit gentes, graue ne rediret
Seculum Pyrrhæ noua monstra questæ,
Omne quum Protheus pecus egit altos
Visere montes.
Piscium & summa genus hæsit vlmo.
(Nota quæ sedes fuerat Columbis)
Et superiecto pauidi natarint
Aequore Damæ.

Ergo quod scribit Pausanias lib. 1. Megarum quendam tempore Deucalionei diluuij sese recepisse in montem Megaræ regionis nomine Geraniam, vbi seruatus fuerit, quod diluuij illius aquæ in cacumen istius montis non peruenissent, merè est fabulosum: quemadmodū & illud, quod Ouidius eodem libro 1 Metamorph. & idē Pausanias lib. 10. volunt Parnassū montem aquis illis minimè tunc obrutū fuisse, sed superiorem. quum idem hic Pausanias fateatur oppidū, quod in cacumine Parnassi situm erat, aquis tunc fuisse mersum. Quod accidere certè quidem non potuit nisi diluuij istius aquæ ad caput ipsum montis ascendissent illúdque etiam ipsum texissent. Sed quum rationem, qua Deucalion cum

Pyrrha uxore seruatus esset ex illis aquis, non reperirent (fuit autem in Noacho Arca: & nauigiũ in Deucalione isto recentiore.) finxerunt Parnassum montem superiorem istis aquis mansisse, in quem Deucalion, & Pyrrha soli confugissent. Sed cur non etiam alij in eundem se quoque recepissent? Ergo Diluuij cuiusuis quouis tempore definitio in eo est, quòd tota terra illius, in qua diluuiũ euenit. superficies tecta fuit aquis: ac proinde montes quoq; ipsi illius loci. Sunt enim pars superficiei terræ. Quãobrem hoc ipsum multò magis in hoc Vniuersali Diluuio accidit. Sed ne cuiquam vel minimus eius rei scrupulus restet, en ex ipsis Ethnicorum libris testimonia manifesta, quæ sunt certissima nostræ veritatis vestigia: Ac primùm Abydeni testimonium veteris scriptoris, quod extat apud Cyrillum, lib. 1. contra Iulianũ, qui tempore istius diluuij nullibi terras aquis nudatas & immunes fuisse scribit, ex vetustissima traditione, ac memoria. Idem Mnaseas Damascen. apud Iosephum lib. 1. Antiquit. cap. 5. tradit, nimirum in illo Diluuio omnes Orbis montes summersos fuisse, præter vnum omnium excelsissimũ, qui situs est supra Miniadam, id est, supra Minorem Armeniam in maiore Armenia, qui mons, ait, Baris dicitur, in quo se cum Arca pius quidam vir seruauit. Berosus lib. 1 de eodem diluuio loquens, ait, [Fluminaq; & fontes ab imo ebullientes supra omnes montes excessisse, accedentibus & impetuosissimè ac præter naturã è cœlo per multos dies corruentibus copiosissimis imbribus.] Idẽ Cato in frag. & Archilochus de Temporibus. Sed & Tertullianus licet autor Christianus, tamen ex Ethnicorum & scriptis

ptis & consensu in lib. de Pallio: & Isidorus lib. 13. cap. 22. Etymologic. idem prodiderunt, in illo diluuio omnes terræ montes aquis obrutos fuisse. Solinus quoque, (sed autor Ethnicus in Polyhist. cap. 15, etsi iste illud Diluuium Deucalioneum vocat. Nam quod de Noæ, seu veteris Deucalionis Diluuio tradit Moses, Graci homines ambitiosi ad suum & iunioris Deucalionis diluuium transtulerunt. Ex quibus, vti etiã iam annotaui, omnino falsa ineptaq; apparet Iudæorũ Thalmudistarum sententia, qui negant aquas illius Diluuij vsque ad verticem montis Sionis (vbi postea Templum Dei positum fuit) peruenisse, vel ascendisse: Imo eum vel saltẽ cubitis totis quindecim superarunt, nedum vt eo inferiores fuisse censeantur. Sed ad secundũ caput nostræ Historiæ pergamus, vbi de Coruo & Columba emissis à Noacho agitur, & loco vbi substitit Arca Noachi, illiusque etiam reliquijs, quæ diu in eo loco permansere. Iam verò quæ rerum istarum apud Ethnicos scriptores extent vestigia, videamus.

Ad II. De Diluuio cessante, & Coruo, & Columba.

AC primùm quidem de Coruo & Columba certè auspicia & auguria, id est, prædictiones rerum futurarum (qualis est euentus belli, felicitas vel infelicitas inceptorũ nostrorum, cæteraq; huiusmodi) ex isto Noachi facto malè ab Ethnicis postea interpretato natas esse non dubito. quòd hominum memoriæ inhæreret primum illũ noui huius Mundi parentem Noachum auibus ad

explorandas Diluuij aquas usum esse, & ad iram Dei (sedatane iam prorsus esset, an nondum placata) perscrutandam. Non quòd eas aues quas emisit Noachus, faceret voluntatis Dei interpretes, & internuntias sicut Ethnici illi censuerunt: sed quod ex Corui & Columbæ volatu cöijceret, Vtrum aquæ Diluuij adhuc altæ essent in terræ superficie, necne. Quamobrem illi abusi hac prudenti Noachi coniectura & consilio Ethnici, ex auibus auguria auspitiáque ad res futuras prædicendas, Deíq; voluntatem expiscandam (quasi illæ essent Dei internuntiæ) postea instituerunt: quæ quanqua sunt illæ quidē superstitiosa, sunt tamen vestigia emissi à Noacho ex Arca Corui Columbæq; ad tentandas explorandásve Diluuij aquas. Quemadmodum autem Coruum emisit Noachus. Sic auem hanc Ethnici homines in auspicijs suis potissimum sequuntur. Coruum enim auem maximè & intelligētem, & aptam ad res futuras prænuntiandas esse volunt. Plinius lib. 10. Nat. Hist. cap. 12, [Corui, inquit, in auspitijs soli videntur intellectū habere significationum suarum. Nam quum Mediæ hospites occisi sunt, omnes è Pelopōneso, & Attica (vbi propterea tristissima bella fuere) volarunt. Aelianus lib. 15 Hist. Animal. cap 40: [Si quod ad Deum pertinet, ait, Coruus agit, sacrum quippiam & diuinationis plenum loquitur.] Et cap. 42: [Coruum, ait, Apollinis sacrum eiusque pedissequum esse dicunt (qui Deus Apollo diuinationibus præest ex sententia Ethnicorū) & ideirò Coruum vaticinandi facultate præditum fatentur, eiusque clamorem obseruant ij qui auium sedes, & clangores, & volatus ipsarum à dextra & à sinistra

cogno-

cognoscunt] id est, qui auspicia obseruant. Huic consentit Plutarchus, qui in lib. de Iside ex omnium Græcorũ Ethnicorum sententia recepta sic scribit: [Græci rectè, quum dicunt & sentiunt Columbam esse animal sacrũ Veneri, Draconem Mineruæ, Coruũ Apollini, Canem Dianæ. Fulgentius lib. 1. Mythologic. [In Apollinis tutela Coruum ponunt] ait. Cuius rei causas affert varias, sed tum ex Anaximandro, tum ex Pindaro hanc probat, quòd solus Coruus & res futuras, & vocum significationes inter omnes aues nouit. Huius vtriusque summæ præ cæteris auibus Corui sapientiæ testimonium proferunt. Ac quidem quòd res futuras Coruus præsagit, exemplum testatum extat, vt scribit Pausanias lib. 10. prater illa Plinij suprà commemorata, quòd quum Athenienses infelicissimam illam in Siciliam nauigationem susciperẽt, statuæ aurum detraxit Coruus, quã in Delphis collocarant Athenienses. Quòd autem idẽ Coruus auis humanas voces & intelligit, & fingit, prodidit Plinius lib. 10. cap. 43. De Coruorum intellig. Scribit Aelianus lib. 15. cap. 40. esse talem vt ad hominis imitationem alia sit vox Corui ludẽtis, alia seriò agentis. Plutarchus item in libro, Vtrum animalia terrestria, quàm aquatilia plus rationis habeant, ex experientia ipsa probat hoc ipsum. Sed hoc superstitiose in Coruo notatum est, quod de Augurijs istis, & rerum futurarum prædictione Ethnici tradunt: Est tamen, vt dixi, illius emissionis Corui ex Arca ad iudicandam aquarum Diluuij altitudinem vestigium obscurum & deprauatum. Illud verò & rectè, & conuenienter eius naturæ fuit obseruatum, Coruum nempe pluuiæ futuræ

præſagam eſſe auem, ac prænuntiam, quod quum ſit tẽperamento ſicciſſimo, facilè aëris mutationem, & pluuiæ aduentum ſentiat. Id quod varij prodiderunt, & res ipſa docet. Aratus in fine Φαινομένων *ſic ait,*

-- Καί που Κόρακες δίους σταλαγμοὺς
Φωνῇ ἐμιμήσαντο σὺν ὕδατος ἐρχομένοιο
Ἤ ποτε καὶ κρώξαντε βαρείῃ δισσάκι φωνῇ
Μακρὸν ἐπιρροιζεῦσι τιναξάμενοι πτερὰ πυκνά.

Quæ ſic interpretatus eſt Virgilius lib. 1. Georgicôn:

[Tum liquidas Corui preſſo ter gutture voces,
Aut quater ingeminant: & ſæpè cubilibus altis
Neſcio qua præter ſolitum dulcedine læti
Inter ſe folijs ſtrepitant.] *Plinius lib. 18. cap. 35: [Corui, ait, ſingultu quodam latrãtes, ſeq́ concutientes, ſi continuabunt, ventos præſagiunt: ſi verò raptim vocẽ reſorbebũt, ventoſum imbrem.] Omitto cætera, quæ de Corui induſtria in ſiti, in petenda ſtipe ſeu cibo à viatoribus Phyſici ſcripſere: itémque Prouerbia illa, [Ex malo Coruo malum ouum:] & [Coruus cibum habens captat vmbram] vt docet Epiphanius, Hæreſi 66. nam ad Grammaticos pertinent. Quod autem addit Moſes, Non rediJt ad Noachũ ipſum Coruus ab eo ſemel emiſſus ex Arca, licèt iret & rediret, hoc retentum eſt, ac memoria conſeruatum ab Ethnicis, ſed fabulis obſcuratum, & interpolatũ aſtu Satanæ, vt veritas S. Scripturæ deleretur. Aiunt enim, quum Coruus ab Apolline ſacrificiũ facturo dimiſſus eſſet ad aquas petendas, quibus Apollo in eo vteretur, Coruum non rediJſſe. Higinus lib 2. Aſtronomicôn, cap. De Hydra. Ouidius lib. 2. Faſtorum:*

[I, mea,

[*I, mea, dixit, auis, ne quid pia sacra moretur:*
Et tenuem è viuis fontibus affer aquam.
Coruus inauratum pedibus cratera recuruis
Tollit, & aereum peruolat altus iter.
Stabat adhuc durus ficus densissima pomis:
Tentat eam rostro, non erat apta legi.
Immemor imperij sedisse sub arbore fertur:
Dum fierent tardâ dulcia poma morâ.]

Vnde volunt ijdem hanc Coruo pœnam impositam, vt quandiu ficus maturescunt, de nullo fonte, nulláve aqua bibat, quòd tunc habeat guttur sitis & ariditate perforatum. Et hæc quidem de Coruo. De Columba verò à Noacho emissa hæc apud eosdem Ethnicos extãt vestigia: Primum id genus auis pro Deo à Syris cultum est, vt tradit Higinus in Fabul. cap. 197. non quidem ex ea caussa, quam Græci homines vani fingunt, Quòd ouum eximiæ magnitudinis quędã Columba olim apud Euphratis fluuij ripam inuenerit, quod postea excluserit (ecqua enim ista, & quàm friuola ἀποθεώσεως & deificationis Columbæ caussa?) sed quoniam Syri memoriã operæ à Columba in Diluuio præstitæ Noacho retinebant, quum illa fuit aquarum maximè decrescentium nuntia, ac proinde Columbæ à Syris velut pacis erga homines diuinæ præcones, & præsagæ colebantur. Erant enim Syri, vt cæteri homines, superstitiosi. Vnde etiam eas in vexillis Babyloniorum depictas fuisse volunt nonnulli, fuisseque eorum exercitus signa, quemadmodum Aquilæ Romanorum, Luna Bizantinorum, Noctua Atheniensium, nimirum propter istius beneficij Columbæ memoriam. Erant enim Babylonij & Chaldæi Assy-

rijs, vbi Arca subsedit, vicini, à quibus id inaudierant, ac didicerant factum. Multa de Columbis, earúmque diuerso genere (sunt enim illius quinq; species) ingenio, moribus scribit Athenæus lib. 9. Dipnosoph. sed hoc imprimis eas vocem hyeme non emittere, nisi sereno & tranquillo die. Sunt enim serenitatis nuntiæ. Plutarchus libro, Vtrum Terrestria Animalia plus rationis habeant, ait, Columbas crudeles esse propter nimiam coitus cupiditatem: [Proruunt enim, ait, earum mares oua fœminarum, & fœminas perdunt, quòd, dum oua incubata fouent, coitum non admittunt.] Vnde ex ea parte sunt infames. Epiphanius Hæresi 73 contra Ophitas, [Quanquàm Columbæ genus, inquit, non laudatur in multis (petulans enim est Columbarum genus, & à multiplici mixtione non alienum, lasciuúmque, & per omne tempus voluptati deditũ.] Vnde Veneri eas homines profani sacras esse dixerunt.) [Ad hæc verò debile, & infirmum est. Sed (addit idem) propter innocentiam, patientiam, & mali facilem obliuionem Columbæ laudantur.] Verùm istis Columbarum laudibus, vel vituperationibus omissis, videamus ecquæ restent nobis ex scriptis Ethnicorum reliquiæ & manifestissimæ. Emissæ à Noacho ex Arca Columbæ testimonia, præter illud, quod iam demonstraui, de ea à Syris adorata, & à Chaldæis sumpta in signum Militiæ, Plutarchus in libro, Vtrum Terrestria animalia plus rationis habeãt, sic apertè scribit, Versionem enim Latinam afferam: [Poëtæ igitur, ait, Columbam Deucalionis scribunt Arcâ emissam, quantisper remearet, & eòdem continuò se reciperet, tempestatis: postquam autem

tem

item auolasset. serenitatis argumentum dedisse.] Hanc eandem Deucalionis Columbam volunt in Molossis, Epiri populo, fuisse, ac mansisse postea, & ex quercubus in sylua Dodonæa responsa dedisse: imò quum in quercubus illa sederet, eas arbores vocales fuisse, & futura prædixisse ijdem Ethnici scribunt. Pausanias libro 7. [Confugiunt, inquit ad oraculum Dodonæum. Hanc enim terræ continentem qui incolebant, & Aetoli, & eis finitimi Acarnanes, ac Epirotæ, Columbas existimarunt, & è quercu æditum oraculum omnium verissimum.] Nam & veterem Deucalionem & Pyrrham, sub quibus fuit vniuersale Diluuium, fabulantur Græci (postquam vterque ex aquis euasisset) sese in Epiri regionem recepisse, eam Columbam secum adduxisse, & Dodonæi Iouis templum ibi ædificasse, quod Templum Græci primum omnium summè coluisse dicuntur, & ex eo ipso loco natam esse totam Græciæ fabulositatem testatur quoque Plinius lib. 4 Hist. Nat. in Proœmio. Ergo huius templi velut sanctissimi, & in quo ex ista Columba oracula prima reddita sunt, meminère religiosissimè postea optimi quique Scriptores Ethnici, Strabo lib. 7. Pausanias lib. 7. & 9. Pomponius Mela lib. 2. cap. 3. Solinus Polyhistor cap. 13. Cur verò hæc? Quòd antiquissimæ huius Historiæ nostræ de Columba à Noacho (quem vti diximus, veterem Deucalionem nominarunt) ex Arca in Diluuio emissa memoriam conseruabant quidem: eam autem fabulis & mendacijs suis homines vani & ambitiosi Græci interpolabant, vt eam laudem sibi tribuerent, & arrogarent, quasi hæc in sua Gente, non in Armenia primùm cōtigissent. Quid,

quod Oliuam, eiusque ramum ijdem illi Ethnici dicunt esse signum, testimoniumque pacis (vnde illud est Virgilij [Ramum pretendit oliuæ] de missis fœderis contrahendi caussa legatis) vnde sumpserunt, obsecro? Nónne ex eo, quod sedatarum aquarum, & proinde Dei erga homines placati testimonium, & velut symbolum Columba à Noacho emissa attulit ramum Oliuæ, vt scribit Moses? Isidorus lib. 17. Etymolog. cap. 9. ex Ethnicis, [Est, inquit, Olea arbor pacis insigne.] Virgilius libro vndecimo Aeneidos:

[Iámque oratores aderant ex vrbe Latina
Velati ramis oleæ, veniámque petentes.

Plinius lib. 15. cap. vlt. [In profanis vsibus, ait, pollui Laurum, & Oleam fas non est, vt ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his altaria, areve soleant.] & cap. 4. Olea honorem Romanæ Maiestas magnum prebuit, turmæ Equitum Idibus Iullijs ex ea coronando. Athenæ victores oleæ coronant. Denique Augustinus lib. 83. quæst. cap 59. typicè lætitiam per oleũ significari docet. Verùm de eo pluribus agere minimè necesse est, propterea quòd varij tum veteres, tum recentes scriptores hoc ipsum docent, qui honos Oliuæ tributus ab Ethnicis est illius nostra historia & de Oliuæ ramo ad Noachum à Columba, tanquam pacis Dei erga homines nuntia, allato certissimũ, antiquissimumq́; testimonium, & vestigium. Pergamus ad reliqua eiusdem veritatis capita.

Ad III. De exitu Noachi, & Loco, vbi Arca constitit.

Incidit

Incidit autem tertium, quod est de exitu Noachi ex Arca: & de loco, vbi illa constitit. Sunt autem hæ duæ quæstiones coniunctæ. Nam & ibi substitit Arca, vbi Noachus ex ea egressus est: & ibi egressus est, vbi illa conquieuit a fluctibus & iactatione aquarum Diluuij. In quo primum explodenda sunt Græcorum hominum ambitiosorum, & planè nouorum ac recentium scriptorum, quemadmodum docet Plato in Timæo, commenta, qui Nauigiũ (in quo homines ex Diluuio seruati sunt) in sua Græcia, & in monte Parnasso substitisse tradunt. Illud enim Diluuium omnino recens est, & multis, post vniuersalem seu Noachi inundationem, seculis cõtigit: denique fuit peculiare illi duntaxat Phocidis & Thessaliæ regioni. Nos verò de eo quærimus Diluuio, quod & primum omnium fuit, & vniuersale, & sub primo vetustissimóque Deucalione (qui idem & Noachus, & Xisuthus, & Ianus dictus est) euenit terrarum Orbi, omnesque mortales, imò viuentia omnia, quæ vbiq; gentium erant, consumpsit, præter ea quæ in vna illa Noachi Arca continebantur. Ergo & de exitu huius Noachi: & de loco, vbi Arca illa substitit, quæritur. Respondet Moses, [In montibus Ararati.] Iam verò ex ipsis Ethnicorum scriptis velut Plinio, & Itinerario Antonini demonstrauimus, & populos Aratiaticos, & vrbem Ariarathiam in Armenia Maiore (quæ Assyriæ pars est) sitam fuisse. Isidorus lib. 14. cap. 8 [Ararath mons Armeniæ, in quo Arcam post Diluuium resedisse testantur. Vnde & vsque hodie ibidem lignorũ eius videntur vestigia.] Ariarathi regis Cappadociæ meminit Iustinus Historicus, quod nomen procul dubio

ex illis vetustissimis vestigijs restat. Imò & Ammianus Marcellinus lib. 23 non solum eas regiones omnes scribit habere montes maximè celsitudinis: verùm etiam Coronum montem inter eos ipsos altissimum esse tradit, & nominat: cuius partem habitantes occiduam frumentarijs agris affluunt, & vinarijs pingui fœcunditate latissimis. Quamobrem ex eiusmodi Ethnicorum scriptis apparent vestigia nostræ veritatis, quæ descensum seu exitum Noachi ex Arca in montibus Ararati, id est Assyria seu Armenia maiore collocat. Sed maiora adhuc, ampliora & eius rei testimonia ex ijsdem Ethnicis proferamus. Abydenus apud Cyrillum sæpiùs iam à nobis citatus scribit pium quendam virum in Armenia monte quodam altissimo ex Diluuio seruatum fuisse. Hunc locum Armenij ipsi etiam tempore Flauij Iosephi illius liberationis memoriam à Maioribus traditam pie seruantes, vocarunt Καταβαθμὸν, *vt idem Iosephus tradit lib. 1. Antiquitat. cap. 5. Mnaseas Damascenus apud eundem Iosephum sic ait,* [*Est & super Minniada excelsus mons in Armenia, qui Baris appellatur, in quem multos confugientes fama est Diluuij tempore liberatos, & quendam simul in Arca deuectum in montis venisse summitatem, lignorumque Arcæ reliquias multo tempore conseruatas. Fuit autem iste quem etiam Moses Iudæorum legislator scripsit.*] *Est autem Minnias, seu Minnium, vt Q. Curtius nominat lib. 5, Vrbs celebris in Armenia, à quo oppido, & à voce* [*Aram*] *Arminia tanquam* [*Aram Minnij*] *vel Aram Minnia*] *primùm dicta est, Hier. 51. 27: deinde à Græcis & Latinis, maioris suauitatis gratia,*

Arme-

Armenia nuncupata, nominataq́; Quid si Minyæ populi Thessaliæ (quorum princeps fuit Iason, qui Colchos inuasit) ab ijs Minnijs Armenijs orti sunt? Sed redeo ad Arcæ in Armenia relicta vestigia. Hieronymus Aegyptius, qui Phœnicum historiam literis mandauit, cum superioribus, nimirum Abydeno, & Mnasea consentit, vti docet idem Iosephus. Epiphanius lib. 1. Hæresi 18 contra Nazaræos [Adhuc hodie, inquit, reliquiæ Arcæ Noæ ostenduntur in Carduensium montibus, & regione.] Berosus noster lib. 1. [Eleuata ab aquis Arca, ait, in Gordiei montis vertice quieuit, cuius adhuc dicitur pars aliqua esse, & homines exinde bitumen tollere, quo maximè vtuntur ad expiationes.] Hæc eadem ex Beroso habet quoque Iosephus loco iam citato, id est, lib. 1. Antiquit. cap. 5. Ex quibus apparet eundem esse montem, quem Mnaseas [Barin,] & Berosus [Gordieũ] vocat, & Epiphanius [Carduensem:] alij verò etiam Kardæum, & Chardiæum nominant, prout diuersa idiomata rem eandem & idem vocabulũ variè nimirum pronuntiant. Baris igitur fuit is ipse mons appellatus, in quo peculiariter Arca Noæ substitit. Regio ipsa, & pars Mundi, in qua Mons ille situs est, ab Hebræis & Mose dicitur Ararat, vnde Arathia vrbs: à Græcis & Latinis modò Assyria, modò Maior Armenia: à Chaldæis & Babylonijs, vt ait Franciscus Iunius in Genes. cap. 8, Kardu Vnde Karduena vel Korduena regio apud Ammianum Marcellinum lib. 25. transtigritana, vicina Zabdicenæ, & Mediæ in Caspijs montibus, & ad Caucasum montem sita, quem appellant Græci, scribuntque esse montium

omnium altissimum, & ad flumen Niphaten. Has ab Aethico Cosmographo vocatur Cordubenna. In Karduena regione habitāt Kardi, quorum idem Ammianus meminit in descriptione totius Caspiani tractus, & regionum, quæ sunt ad mare Caspium, libr. 23. Histor. In eadem autem Karduena vel Korduena regione sunt Kardyenses vel Karduenses, vel Kardiei, vel Karduai (sunt enim omnes isti ijdē reipsa) montes, è quibus vnus est nomine Baris, ille videlicet ipse, in quo Noachus cum Arca, deficientibus aquis Diluuij, substitit. Hos montes, qui tam variè ex voce Chaldæa describūtur, Græci nōnulli, Latiniq́; primùm Chardiaos: deinde Cardiaos & Cordiaos, dempta h, aspirationis nota, vocarunt.: denique alij ex Cardiaos vel Cordiaos scripserūt, effecerunt, dixeruntq́; Gordiaos Vnde vulgo & passim inualuit postea, vt hi Assyriæ seu Maioris Armeniæ Montes celsissimi scriberentur, pronuntiarēturque montes Gordiai, quorum pars & vnus est mons ille celebris Caucasus, seu Baris. Iam verò montium istorum Gordiaorum meminerunt Ethnici Scriptores penè innumeri, velut Ptolemæus, Strabo lib. 16, Plutarchus in Alexandro, & Lucullo: Q. Curtius in libr. de Rebus gestis Alexandri Magni lib. 5, quos etiam (vti & populum eorum incolam Medis vicinum) Gordienum & Gordienos vocat, quemadmodū eosdem Plinius lib. 6. cap. 15. Gordyæos quoque, velut eiusdē lib. cap. 11, & 26. Quanquàm Strabo lib. 16, videtur distinguere Gordyos populos à Karduchis vel Karduenis: sed parum fidei in his vocabulis habendū est Græcis autoribus, vel eorum Latinorúmve descriptioni credenden-

dendum quum in iisdem vocabulis pronuntiandis mirè varient, & errent isti omnes. Constat verò Armeniam, vbi montes isti collocantur, dici deriuariq; à voce Hebræa [Aram] quæ excelsum significat, quod sit ea regio excelsa: & Dionysius Alexandrinus excelsissimos in eadē regione montes esse tradit, quos, vt dixi, Gordiæos Græci vocant & Gordyæos, vti & Stephanus libr. De vrbibus in voce Gordyæa. Huic nostræ sententiæ cōsentit quod M. Cato in Fragm. scribit his verbis [Ante Ninum circiter annis 250 (quibus durauit aureum seculum) terras fuisse inundatas constat, & in Scythia Saga renatū mortale genus.] Dicta verò est Assyria, seu Armenia Maior Scythia Saga vel ab oppido & flumine Saga (quod vtrumq; in Assyria est) vel à verbo Hebræo [Schagah,] vnde regio & pars illa Mundi Saga dicta est priscis seculis tanquam populosa, multiplicata, & cæterarum Gentium fons & mater, qualis fuit. Ex quo controuersia illa, quæ est apud tum Platonem in Timæo, tum Iustinum Historicum lib. 1, quæstio facilè deciditur, Vtrum Scythæ, an Aegyptij primi hominum in hoc mundo extitêre. Vindiciæ enim pro Scythis sunt pronuntiandæ. & illi priores esse censendi non modò, quàm Aegyptij, sed etiā quàm Phryges, & Arcades, contràquàm tamen (sed falsò) sentit Herodotus, & quam vlli alij mortales, qui quidem in hoc terrarum Orbe sint, fuerintve post vniuersale terrarum Diluuium. Denique quod scribit Higinus in Fab. cap. 153. ex Ouidio, alijsque Poetis, post diluuium illud natos esse homines ex lapidibus à Deucalione & Pyrrha post tergum in humum & terrā iactatis (vnde Populi

Λαοὶ ἀπὸ τῆς λαᾶος, id est, lapide, vocantur à Græcis) hoc quoq; falsum est & ineptum. Procreati sunt enim etiam post Diluuium homines ex hominibus naturali propagatione, & ex semine coituq; maris & fœminæ hominis, vti ante diluuiū: nam illud totum, quod hodie in terræ superficie extitit, extátve, hominū genus, quantūuis sparsū & diffusum ex illis tamē octo personis emanauit, quæ in Arca seruata sunt, nimirum ex Noacho, & eius vxore, tribus eius filijs Semo, Camo, & Iapheto, & eorum vxoribus. Et hæc quidem de tertio nostræ Historiæ capite hactenus dicta sunto.


Ad IIII. Sacrificium Noachi Deo factū.

Iam igitur ad quartum & vltimū accedamus. Est autem Sacrificium pro salute & sua, & cæterarum rerum, quæ erant in Arca à Noacho factum, & oblatum à Deo. Huius quoque etiam quædam apud Ethnicos vestigia restant: Primùm fatentur, & scribunt Græci Deucalionem priscum nempe (sed quod de prisco scriptum est, ipsi ad suum & iuniorem quoque transferunt ambitiosè, quemadmodū sæpè demonstraui.) Ergo fatentur illum Deucalionem, qui & Noachus fuit, & pium in Deum fuisse, & moderatissimū sanctissimumq; virum, cæterósque mortales vitam honestam docuisse. Ouidius lib. 1. Metamorphos. de eo, & Pyrrha eius vxore loquens, ait,

[Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit: aut illa reuerentior vlla deorum.]

Plutarchus lib. 2. contra Coloten. [Deucalion, inquit, Græciam vniuersam (imò terrarū orbem) imbuit sanctè, qua

ctè, quasiq; expiauit precationibus, ieiunando, oraculis, elogijs propositis, mortales ita erga numen animauit, vt eos tum spes bona, tũ metus in officio contineret.] Deinde eundem post Diluuiũ religiosissimè Deo sacrificasse tradunt Ouidius lib. iam citato, & Higinus in fabulis cap. 154. Deniq; verò eius altaris, quod ad eiusmodi pro salute sua sacrificium offerendum idem ædificauit, reliquias extitisse etiam suo seculo tradit ex Ethnicorum & Armeniorum ipsorum testimonio & literis Epiphanius lib. 1. Tom. 1. Hæresi 18. Ex quibus omnibus manifestissima etiam istius sacrificij à Noacho post Diluuium oblati Deo vestigia, sed alieno, id est, Deucalionis nomine (astu Satanæ & Diaboli) interpolata reliqua esse colliguntur etiã inter ipsos Ethnicos. Quãobrem & ex ea parte ijdem & veritatem nostram confirmant, & atheos homines confutant. Sequitur verò vltimum totius huius operis caput.



CAPVT IIII.

¶ Quæ Politia tum Ciuilis, tum Ecclesiastica toto illo Diluuij vniuersalis anno fuerit.

QVANQVAM non multùm discrepauit Politia tum Ciuilis, tum Ecclesiastica, quæ fuit

toto illo Diluuij vniuersalis anno ab ea, quæ ante Diluuium in Mundo fuisse demonstrata est: tamen quoniam habuit hic ipse annus aliquid in vtróque à superiori ætate diuersum, neque huic quoque nostri operis & laboris parti sua coronis detrahenda videtur, explicemus, quæ, qualísve fuerit illo, quamuis breui, tempore vtraq; ista Politia. Ac quidem Ciuilis posita est in Magistratu, Legibus, Forma Reipubl. Artibus, quæ tunc exercebantur, & Moribus tum publicis, tum priuatim receptis. Quod ad Magistratum, illud fuit singulare illo Diluuij anno, quod Vnus duntaxat esset totius Orbis terrarum tunc Magistratus, non plures: ne sine Magistratu summo essent illo anno homines, quo tamen tota superiore Mundi ætate, id est, per 1656 annos. Is autem Vnus & summus Magistratus, fuit Noachus. Fuit autem eius potestas non quidem propriè Regia, sed Regiæ proximè accedens, nempe Paterna, seu Patris in Liberos & Nurus. Nam quemadmodum in Ethicis & Politicis eas cõparat inter sese Aristoteles, sunt simillimæ istæ potestates. Ergo Noachus habebat tunc Paternum, ac proinde proximum Regio imperiũ in omnes, qui tunc restabant homines, nempe vxorem, & liberos, nurúsque suas: quod minimè tyrannicè, sed moderatè, ciuiliter, sanctè, pièq;, vtpote vir Dei timẽs, exercebat. Leges autem Politicæ, nulla huic à quoquã homine scriptæ erant: Conscientiæ tamen reliquum ex naturali luce per peccatum deperditæ testimonium, fide, verbóque Dei reuelato, corroboratum in Noacho, & filijs eius pro legibus audiebatur, & hominum superstitum actiones saltem in Arca illa, & tempore Di-

luuij

lunij regebat, eásque moderabatur: non intemperans libido, & effrenis audacia. Nam omnes in Arca modestè, moderateq́ proculdubio vixerunt. Noachus enim familiam suam & piè prius instruxerat: & in Arca in Dei metu seuerè regebat. Forma Reipubl. fuit Domestica potius, quàm Regia, & Aristocratica. Parebant enim filij Noacho velut Patri suo. Et tamen ea regiminis ratio fuit & Regiæ, & Aristocraticæ persimilis. Non erat verò regia. Nec enim familijs ex diuerso stirpe propagatis imperabat Noachus, quũ quæ restabant omnes ex se vno & vxore sua, natæ procreatæque essent. Nõ erat etiam verè Aristocratica: Vnus enim nempe Pater, non plures, in reliquos nempe filios imperium, & quidem summum, tunc obtinebat, sed velut Pater: non autem tanquam Rex. Omnes autem homines tunc in vna Arca erant conclusi. Nulli verò toto illo Diluuij anno nati narrantur, & in Arca suscepti siue ab hominibus liberi: siue ab animalibus, quæ in ea erant, fœtus & pulli. Tunc generis humani procreatio conquieuit, quòd Deus Arcam iudicijs suis exercendis, non hominum voluptatibus explendis præparasset. Artes autem quæ tunc erãt, sciebantúrque, fuerunt eædem illæ, quas superior ætas, & homines ante Diluuium didicerant, atque repererant, qualis Agricultura, Pastoritia, Musica, Ferraria, Aerariáque, & cæteræ, quas hominum vsus pepererat. Has sciebant & Noachus, & illius filij: & quum in Arca minimè essent otiosi, eas exercuerunt, quas tunc & in eo loco administrare potuerunt. Mores denique hominum in illa Arca versantium tum publici, tum priuati, fuerunt quod ad ex-

terunm speciem sancti, moderati, & laudabiles, licèt iam tunc Cam minimus natu esset hypocrita: sed ingenium suum Patrem celabat: Verùm postea se, suúmque illum animum fictum prodidit. Et hæc quidem tunc, totóque illo Diluuij anno fuit Politia Mundi Ciuilis. Ecclesiastica vero iam explicanda, quæ consistit in Verbo Dei, ecquod tunc fuerit: In Ministro: Cultu Dei externo: Loco, & Tempore illius cultus concelebrandi. Verbum Dei, quod tunc erat, quum Noachus & quãdiu in Arca vixit, erat quidem nõ scriptũm, à Deo tamen ipso reuelatum (si libros Enoschi exceperis: in quibus aliqua pars Verbi diuini scriptis tradita erat, velut de Diluuio, & punitione sceleratorũ continebatur.) Ergo verbum Dei, quod tunc Noachus cum liberis habuit, fuit duplex: Vnum Generale, nempe de Semine Mulieris, id est, Messia venturo, & contrituro caput Serpentis. Hoc fuit fundamentũ Ecclesiæ Dei, & Electionis piorum. Quod verbum ab Adamo per manus traditum Noachus liberiq; eius & animo, & mente, & memoria illibatum conseruabant. Deinde habebant ijdẽ Verbum Dei peculiare, nempe de se ex hac tanta mundi clade, & aquis Diluuij eripiendis ac conseruandis, cui credidit Noachus, Hebr. 11.7. filijq; eius, qui idem illud sæpè ex Patre suo audierant, ipse ex Deo. Ergo hoc Dei promissum animis infixum illi sæpè in Arca repetebant. Minister illius Verbi, & in vniuersum totius externi cultus Diuini in illa Arca fuit Noachus, qui vtrumque illud Dei Verbum sæpè suis suggerebat, prædicabat, repetebatq;, vt se suosq; in Dei promissionibus confirmaret, ac consolaretur: præsertim dum in

medijs

medijs illis aëris & Maris tempestatibus, & procellis Arca grauissime iactaretur, ac ijs feriretur. Sustentandæ enim mẽtes filiorum Noachi, vxoris, & nuruum suarum fuerunt recitatione, & inculcatione tùm generalium, tum peculiarium Dei promissionum. Id quod proculdubio sedulò & diligenter, & sæpe fecit Noachus. Ergo fuit ille Minister Ecclesiæ in Arca, & prædicator diuini verbi. Cultus exterior Dei fuit in eadẽ Arca idem, qui & ante Diluuium, excepto quod totò illo Diluuij anno non fuit sacrificatum Deo sed demum postquam ex Arca fuit egressus Noachus. Verùm cõciones de Verbo Dei, Preces ad Deum & publicæ, & priuatæ propter Mediatorem fuerunt in Arca concèptæ: Publicæ per Noachum: Priuatæ, per singulos, qui illic erant, preces, inquam, & mentales, & vocales, quibus se & suam salutem Deo commendabant. Disciplinam vero Ecclesiasticam etiam tunc fuisse non dubito, quandiu in Arca simul illi vixerunt, vt Noachus reprehenderet non tantùm velut Pater: sed etiam velut Pastor & Propheta Dei, si quid reprehensione dignum in suis cerneret, & dictu, factúve turpe ac fœdum. Prophetia denique in eadem Arca retenta est, & sæpè inculcata de venturo Messia, & futura ipsorum omniũ, qui in Arca erant, etiam animalium ex aquis Diluuij liberatione, & noui postea Mundi instauratione. Quæ omnia suis fore prædixit ex Dei verbo Noachus. Locus exercitij diuini cultus toto illo anno fuit Arca ipsa, in qua nõ puto fuisse vllum altare: sed tamen certo loco in ea Arca conueniebat tota Noachi familia, & ad audiendum Noachum, & ad preces Deo publice funden-

dus, in quocunque Arcæ tabulato locus ille fuerit. Postquàm verò ex Arca Noachus exiit, & Altare exstruxit, vbi Deo sacrificaret, non dubito quin posteri eius, qui in ijs locis manserunt, quàdiu illius & Arcæ, & Altaris in ijs mõtibus reliquiæ fuerunt, sæpè in eum ipsum locum concurrerint, & conuenerint ad eas Arcæ vel altaris reliquias superstites videndas, partim religiosè & piè, partim superstitiosè. Religiosè, velut si qui fidei suæ de Dei Iudicijs in homines sceleratos, & de eiusdem Misericordia in Noachum & pios confirmandæ gratiâ eò confluerent: Superstitiosè, si qui Deum ibi propter Arcam illam, & ligna illius reliqua sanctiùs coli existimabant, & credebant. Qui mos est superstitiosorum hominum certis locis potestatem præsentiamque Dei extra ipsius verbum adstringere, & affigere. Denique Tempus publicorum & ecclesiasticorum congressuum etiam in Arca ipsa, & toto anno & spatio diluuij, fuit Dies septima, quam Deus ab initio Mundi peculiariter ad sui cultum, meditandáque opera sua instituerat, Gen. 1, & 2. Ergo non dubito quin die cuiusque Hebdomadis septima, tota familia Noachi solemniùs conuenerit ad audiendum Noachum concionantem, & ad precandũ Deum. Tunc enim suos omnes maximè consolabatur, instruebátque Noachus, non solùm quâ Pater: sed etiam, vti dixi, quâ Pastor, & Propheta Dei. Reliquis verò septimanæ diebus quisque se in Arca ijs, quas illic potuit, Artibus exercuit, nec otiosus fuit: Septima verò ex Dei præcepto quisque ab ijs etiam in Arca conquieuit. Et hæc quidem, quæ qualisve toto illo anno Politia & status Ecclesiæ in Mundo

fuerit,

fuerit, ostendunt. Quæ quoniam sunt à nobis explicata, & opus ipsum institutum ad finem iam & vmbilicum perductum, expositaq́ sunt à nobis vetustissimi Mundi Antiquitates, laudem Deo Opt. Max. (tanquam nautæ, qui ex longa nauigatione portum tandem attigerunt) canamus, & infinitam illius in primi Mundi administratione Sapientiam, Potentiam, Iustitiam, ac Misericordiã agnoscamus, admiremur, celebremus, quæ elucet, vti demonstrauimus. Patri vero, & Filio, & Spiritui Sancto, qui sunt vnus ille Deus, laus, & gloria in æternum, & vltrà. Amen.

FINIS.





